This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lo 10,222

Harvard College Library

THE GIFT OF

STEPHEN SALISBURY,

OF WORCESTER, MASS.

(Class of 1817.)

18 May 1901.

P. OVIDII NASONIS

FASTORUM

LIBRI SEX.

AD OPTIMORUM LIBRORUM FIDEM

RECENSUIT LECTIONIS DIVERSITATEM ET ALIAS OBSERVATIONES

ADIECIT

IO. PHIL. KREBSIUS.

IN USUM SCHOLARUM.

WIESBADAE

EX OFFICINA L. SCHELLENBERGII

MDCCCXXVI.

So 10.2221

HARVARD COLLEGE
MAY 16 1901
LIBRARY

Salisbury fund

VIRO SUMME VENERANDO

D. CAR. ADOL. SCHELLENBERGIO

SUPREMO OMNIUM SCHOLARUM NASSOVIAE RECTORI

etc. etc. etc.

SUO QUONDAM MAGISTRO

NUNC AMICO VETERRIMO

AMORE BENEVOLENTIA FAVORE CONIUNCTISSIMO

HOC OPUS EDITOR

D. D. D.

Accipe, Vir summe venerande, quae me impulerint causae, ut Tibi hoc meum opus prae aliis dedicarem. Iam prius, quam Fr. Aug. Wolfii, nostrum utriusque magistri, scholas frequentarem, Tu unus ex meis illis magistris in schola Halensi fuisti, quo duce Ovidium legere coepi. Gratam ergo Tui, ut aliorum, de quibus illius temporis lubentissime recordor, Rambachii, Wetzelii, Kiesewetteri, Maſsii, Dieckii, Thormeyeri, Blühdornii, memoriam in animo servo, et quoad vivam, servabo. Grati enim animi virtutem amo et postulo ab omnibus discipulis, eosque homines abominor, qui primos suos magistros, quibus aliquid debere sibi ipsis persuasum est, obliviscantur. Verum non solum haec Tua de mea eruditione ac litterarum Romanarum scientia pristina merita me Tibi devinctum faciunt,

sed his etiam plura accesserunt, quae me Tibi devinctissimum facere deberent. Tu enim, quum Halis, urbe mea patria, studiorum causa recessum tranquillum quaereres, paternam meam domum habitationis Tuae sedem elegisti. Ita familiae meae, parentum, meus, fratrumque interior factus es amicus: Tu fuisti parentum deliciae, Tu mihi et fratribus exemplar probitatis, industriae, eruditionis. Ex illo tempore amicitia et familiaritas, quae Tibi nobiscum intercesserat, etiam quum Halis discessisses, firma et perpetua mansit. Per litteras enim subinde non solum Tui memoriam periucundam renovabas, sed documenta etiam dabas Tui perpetui in nos amoris. Itaque quum triginta uno abhinc annis Collaboratoris munus in Gymnasio nostro vacuum esset, Tu patruo Tuo, tum Rectori Gymnasii, auctor gravis fuisti me Halis Weilburgum arcessendi. Tua auctoritas valuit. Ego honorifice vocatus patriam reliqui ac non invitus huc profectus sum. Tuo igitur amori, Tuae benevolentiae, Tuo favori debeo quodammodo sedem hanc

peregrinam, quo ex patria cessi. Hanc sedem ex illo tempore numquam mutavi, quamvis saepe alio concedere admonitus atque vocatus. A discipulis enim semper reveritus et honoratus, a collegis non neglectus, a civibus cultus innumeras hic voluptates cepi, labores scholasticos aequo animo ac lubenter tuli, amicitias contraxi, coniugium conciliavi. Quo factum est, ut sedem hic figere perpetuam constituerem, praesertim quum locus ipse a magno hominum tumultu vacuus, regio autem ea sit, quae ab omnibus, qui eam viderunt, amoenissima habeatur. Hanc sedem tranquilli otii, quo optime, ut scis, usus sum, Tibi unice debeo, Vir carissime. Quo autem amore iam ante quadraginta annos me complexus es, eodem me amplecti numquam desiisti. Publicum ergo hoc sit opus monumentum mutui mei summi in Te amoris, meae venerationis, mei grati animi! Accipe illud aequo et benevolo animo, mecumque verum cense, quod ait Cicero, veterrimas quasque amicitias, ut ea vina, quae vetustatem ferant, esse debere no-

bis suavissimas. Tu enim mihi quidem omnium, qui vivunt, es amicus veterrimus, eoque suavior et iucundior, quo pauciores ex amicis felicis illius aetatis adhuc superstites sunt. Trium iam ex illis obitum maxime deploro, quorum unus BREDOVIUS, integritate et candore animi mihi carissimus, iam ante plures annos ex vita immature discessit; alterum nunc lugeo mihi morte ereptum, VATERUM, arctissimo caritatis vinculo, ut ante iuvenilibus studiis communibus, mecum coniunctissimum. Is fuit, de quo cum Horatio dicere possum: *Anima, qualem neque candidiorem terra tulit, neque cui me fuit devinctior alter.* Cui quando pudor et iustitiae soror incorrupta fides, nudaque veritas, quando liberalitas et caritas in omnes, quando doctrina subtilis et litterae interiores ac reconditae, quando pietas in deum sincera et infucata ullum inveniet parem? Hunc communem nobis amicum perpetuus sopor urget; huius obitum nuper lamentati sumus. Sed illum iam lugere desinamus, et tertii meminerimus, cuius mors no-

strum utrique acerbissima fuit. Is fuit, ut vulnus iam recrudescens revellam, Vir summus Fr. Aug. Wolfius, cuius summa sunt in nostrum utrumque merita. Hunc quondam magistrum nobis meritissimum venerati sumus; hunc nobiscum omnes philologorum principem admirati sunt. De cuius ingenio, doctrina, meritis quid ego praedicem? Omnes norunt. Is postea nobis fuerat amore et benevolentia coniunctissimus; is filium meum duobus extremis vitae annis summo ac vere patrio amore complexus erat. Hunc nobis Massilia eripuit. Vae! quale praesidium, quale decus amisimus! — Ita, Vir optime, mihi iam nunc tres tantum ex pristino illo tempore vivi supersunt. Primus *Tu* es, cuius de Nassoviae scholis merita immortalia sunt, quem doctrina praestantem ex Antimacho Tuo novimus, quem coram compellare ac salutare bis saltem anno mihi felicissime contigit. Huc accedunt crebrae Tuae epistolae, ex quibus me eam voluptatem, quae ex carissimis iucundissimisque rebus percipi solet, capere, prorsus velim Tibi

persuadeas. Alter est CAR. MORGENSTERNIUS, quem mihi fortuna in remotas Russiae terras abstraxit, et quem nonnisi summum semel in anno per litteras salutare possum. Tertius est ALB. GERH. BECKERUS, cum quo mihi frequens et iucundum est commercium litterarum, et quem ante hos tres annos in patria sua urbe Quedlinburgi post multos annos coram salutare contigit. Ita sunt res humanae, mobilis et inconstans fortuna; infra enim lunam nihil est nisi mortale, fragile, caducum: aeterna autem gloria virtutis, cuius Tu es custos rigidusque satelles. Tu vive diu Tibi, Tuis, patriae, scholis! Vive diu! Vale mihique favere perge!

Weilburgi die Tuo natali a. d. VI. Nonas Maias
MDCCCXXVI.

PRAEFATIO.

Redeo tandem aliquando post triginta fere annos ad Ovidium meum, quem tanto temporis spatio interiecto neglectum ac fere iacentem reliqui. Ex quo enim Ovidii Fastos primus omnium germanice [1]) reddidi, huius poetae atque eius carminis numquam fere, saltem raro curam habui, etsi tum quidem in praefatione germanicae interpretationis me commentarios [2]) in hoc Ovidii poëma uberiores brevi post editurum promiseram. Hoc promissum

[1]) Huius interpretationis inscriptio est: *Des P. Ovidius Naso Festkalender, übersetzt von I. P. Krebs.* Frankf. a. M. 1799. 8. Haec prima est interpretatio germanica omnium huius poematis librorum. Multa tamen in ea sunt, dico aperte, quae male intellexi et praepostere ac temere verti, multa, quae nunc mutanda, delenda, recidenda duco. Nec mirum ideo mihi ipsi videbatur, quod haec mea interpretatio toties in Gierigii iustam reprehensionem incurrisset, etsi rursus eadem diligentius inspecta ipsum nonnumquam ab erroribus avertere potuisset, ut I, 672.

[2]) In his vere scribendis tum per duos annos occupatus fui eosque fere usque ad finem perduxi. Sed post opere finito animadverti, multa praeterea esse legenda, quae nondum ad manus essent, de multis ulterius esse quaerendum ac disceptandum. Postea aliis ab hac re prorsus alienis multis laboribus hoc opus est plane interruptum, nec umquam a me, quod sentio, absolvetur ac perficietur.

nondum servavi, nec umquam servabo, praesertim quum maximam partem eorum, quae afferenda erant, Gierigii editoris Fastorum optimi diligentia atque doctrina nunc iam praeripuerit. Etenim hoc opus, cui hanc praemisi praefationem, nihil tale praestat, quum in usum scholarum et inferiorum et superiorum editum sit: quod mirum fortasse videbitur multis, qui grammaticam et historicam interpretationem eamque uberiorem editionum talium finem atque consilium esse opinantur.

Nondum inter se consentiunt, qui exemplaria veterum scriptorum in usum scholarum curant, num quid praeter scriptorum verba addendum sit, nec ne. Nonnulli enim iique plurimi textum, quem vocant, sine ulla prorsus annotatione huic usui sufficere censent; alii textui comitem addunt annotationem criticam, grammaticam et historicam aut brevem aut longam [3]). Ex his mihi illa

---

[3]) Saeculum nostrum feracissimum est talium editionum, quae multae ex typographia Manhemiana, Halensi, Tauchnitiana, Weigeliana, Hahniana et Teubneriana prodeunt. De principatu bibliopolae inter se certant; neque tamen umquam laudabo eas, quae litteris minusculis ac versibus sine ullo fere spatio coarctatis textum scriptorum ita reddunt, ut oculorum lectoris aciem obtundant et corrumpant; non eas, quae emendatissimum quidem ab hominibus doctissimis multis annotationibus praegravant; non eas, quae aut mendis operarum corruptissimae sunt, aut malo chartae habitu litterarumque forma deformantur. Quid in hac re typographia librarii mei honestissimi praestiterit, hoc specimen esto. Ceterum non inutile fuerit historiam talium editionum a primis typographiae annis usque ad nostra tempora pertexere, in eaque maxime rationem variam ac saepe diversam, quam secuti sunt editores, accurate exponere.

prior scriptores edendi ratio omnino altera potior videtur. Haec enim altera plerumque omnibus difficultatibus, quibus verba cuiuscumque fere scriptoris premuntur, occurrere ac tollere studet, ita ut, quae lectores adolescentes non satis eruditos et doctos impedire et perturbare possint, facilia ac dilucida reddat. Saepe ne id quidem satis est; explanant etiam locos non ita difficiles, verba verbis mutant, addunt germanicam interpretationem, res omnes antiquas fusius narrant, praecepta grammatica exponunt, aliorum doctorum libros testes rerum adducunt; quae omnia ad adolescentium lectorum usum coacervant, quasi hic cornu abundantiae omnis eruditionis effundendum esset. Bona sane et lectoribus illis plerisque exoptissima ratio. Verum enim vero, ut, quod sentio, fatear, illa quidem contemnenda mihi maxime videtur. Exoptata certe et commoda est lectoribus, sed noxia ac perniciosa: tollit enim omne eorum iudicium, omnem industriam, studium, laborem. Explicata, illustrata, expedita sunt omnia, quae difficilia, obscura, contorta fuerunt. Quin ipsa etiam attentio tollitur; qua sublata, tollitur disciplina scholastica. Attentus enim nonnisi is erit, qui, quas difficultates locus aliquis habeat, ipse invenerit, neque tamen sua litterarum antiquarum scientia aliorumque librorum auxilio quidquam reperire potuerit, quod difficultatem omnem tollere, quaeque ambigua erant, explanare, nodosque, satis expedire ac solvere posset. Sublata igitur erit adolescentis quamvis optimi attentio, si, quae obscura ipsi vide-

bantur, nullo suo labore, nulla opera, nullo studio in edito suo exemplari illustrata invenerit. Ita vero etiam magistro bono atque erudito gaudium quoddam minuetur et adimetur, si quam solutionem et illustrationem locorum difficilium et obscurorum discipulis nullo ipsorum labore iam notam cognoscet. Eripietur enim ei iucunda quaedam occasio Socratica ratione discipulos ad eum locum ducendi, quo ducti explicationem et illustrationem ipsi invenire possint. His de causis hanc vulgarem editiones in usum scholarum adornandi rationem noxiam atque perniciosam duco. Profecto, si hae editiones omnia ipsae explanant, quae explanare magistrorum est, scholis plane carere possunt discipuli ac fieri *αὐτοδίδακτοι*. Nonnisi in schola puer docendus est, quidquid ipsi obscurum ac difficile intellectu fuerit. Unus tantum, quod sciam, ex omnibus interpretibus, qui in editione scriptorum veterum in discipulorum usum elaborarunt, ad illud exemplar, quod quaero, proxime accedere videtur. Is est *Aug. Matthiae*, vir utriusque antiqui sermonis scientissimus, qui fere nihil explanat, alios autem veterum locos sive graecos sive latinos addit, quibus et sermonis et rei alicuius historicae difficultatem tollat. Eiusmodi sunt, quae ille ad Ciceronis Orationes et Epistolas ab ipso editas in margine infra posuit. Nondum tamen mihi vir ille doctissimus perfectissimam speciem omnino videtur esse assecutus. — Quid ergo tu censes, quaeret aliquis, qua ratione tales editiones adornandae sint?

Primum ante omnia duco textum esse ad optimorum librorum fidem accuratissime emendatum et typis expressum: quod utique, etsi omnes fere hunc titulum prae se ferunt, paucissimarum editionum est proprium. Alterum, quod addatur, sit vel omnis codicum et editionum veterum lectionis diversitas, vel variantium lectionum potiorum delectus. Tertium addantur similes loci, in quibus eadem vel loquendi ratio vel sententia invenitur. Quartum proferantur aliorum veterum loci, qui testes alicuius dictae rei sint. — Ita multa in editione erit materia, in qua exerceri possint adolescentes; multa, qua magister et adiuvetur, et scientiam et doctrinam suam exhibere possit. In re critica nihil addatur, quod lectorum iudicium et acumen aut tollere aut aliquo ducere et dirigere possit, praeterquam quod textus eam praebet lectionem, quae editori hucusque omnium potior videtur esse. Ita suo quisque iudicio stabit et utetur. In rebus autem grammaticis et historicis, in quibus hodie interpretes largam suae et alienae doctrinae copiam effundunt, sexcenties dicta et cocta repetunt ac recoquunt, nihil fere explicetur, omnia magistrorum doctrinae permittantur, quibus veterum additi loci, ut testes locupletissimi atque certissimi, maxime inservire possunt, et ab omnibus certe gratissimo animo accipientur. Editor, si quid habet, quod tamquam novum magistrum doceat, id doceat in singularibus libris, vel in maioribus editionibus, non in iis, quae dicuntur in usum scholarum. Aliae esse debent hae, aliae illae.

Haecce fere est forma talis editionis, quae animo obversabatur, quum hoc Fastorum Ovidii opus in hunc usum editurus eram, minus tamen in duobus primis libris, quam in quatuor postremis, qui unice specimina sunto. Neque tamen diffitebor nondum a me perfectissimam talis editionis speciem, quam excogitare possimus, esse expressam. Cuius ad cogitatam speciem quum mecum alii manum, artem, animum direxerint idemque experiri voluerint, tum denique unus certe summum et perfectissimum assecutus esse videbitur. Quid a me factum sit, lectores benevoli, audite!

Omnium enim primum duxi textum ad optimorum codicum fidem accuratissime constitui. Qui non ignarus est rei litterariae operum Ovidii, et maxime eius Fastorum, is sciet *Andr. Naugerium* [4]), *Iac. Micyllum* [5]), *Herculem Ciofanum* [6]),

---

4) Hic Patricius Venetus libris mss. usus apud Aldum edidit Ovidium Venet. 1502. 3 Vol. 8. Repetita est haec editio a. 1516 et post eius mortem 1534.

5) Hic philologus Argentoratensis primum *Metamorphoses*, deinde *Amatoria*, tum *Fastorum libros cum reliquis* Basil. ap. Hervag. 1550. f. cum commentariis doctissimorum virorum spisso volumine edidit.

6) Sulmonensis hic fuit, qui apud Aldum nepotem *Ovidii opera* edidit Venet. 1578—1580. f. cuius *Observationes in omnia Ovidii Opera* Antv. ap. Plant. 1583. 8. prodierunt. Usus est in Fastorum volumine emendando duodecim libris veteribus, quorum octo Vaticani fuerunt, unus Fulvii Ursini omnium antiquissimus, alius Achillis Statii idem perantiquus, alius ex bibl. Maffeii, alius fratris sui M. Antonii. Ad crisin haec fuit editio magni momenti. Observationum totum volumen transtulit in suam editionem Burmannus.

Carolum Neapolim [7]), *Nicol. Heinsium* [8]), *Petrum Burmannum* [9]),

---

7) Hic omnium genere illustrissimus, Resuttaniae in Sicilia tum principis frater, Panormitanus, anno aetatis vigesimo primo commentarios in Fastorum libros absolvit, quos Eryc. Puteanus hac inscriptione edidit: *Car. Neapolis Anaptyxis ad Fastos Ovidianos.* Antverp. 1639. f. Hanc editionem addito textu cum additamentis repetiit Io. Felix Palesius. Panormi 1735. f. quae editio sine textu ab eodem Palesio iterum recusa est in Tomo primo *Lampadis sive Facis artium liberalium Ian. Gruteri.* Florent. 1735. f. Palesii additamenta levia sunt nec ullius fere momenti. Ad crisin non multum contulit Neapolis, solum fere occupatus in rebus antiquitatis explanandis, non sine magno fructu.

8) Hic Lugduno-Batavus, Dan. Heinsii filius, is est, quem optimo iure Ovidii sospitatorem et restitutorem appellant. Is subsidio plus sexaginta codicum mss. instructus summaque sagacitate et doctrina praeditus Ovidium novum fere in lucem edidit. Amstel. 1658 — 1661. 3 Tom. 12. quorum cuique suas notas adiecit. Quos codices habuerit, et cuius illi aetatis et unde fuerint, nusquam ipse dixit, sed alio tempore se dicturum promisit: quo promisso numquam stetit. Curas autem eius secundas post mortem Burmannus in editione sua protulit. Nunc vero certe una et consentiens est virorum doctorum vox, Heinsium nimis saepe emendandi libidine correptum textum temere mutasse. Etsi Heinsii notas omnes Burmannus recepit, mihi tamen illa ab Heinsio ipso curata editione utendum fuit in aliquot mendosis locis alterius editionis.

9) Huic Batavo sine dubio praestantissimam editionem debemus, quae ita inscripta est: *P. Ovidii N. Opera. C. integris Iac. Micylli, Herc. Ciofani, Car. Neapolis, Dan. Heinsii notis et Nic. Heinsii curis secundis et aliorum partim integris partim excerptis adnotationibus cura et studio Petri Burmanni, qui et suas notas adiecit.* Amstel. 1727. 4 Tom. 4. Etiam hic novis aliquot codicibus instructus ad Ovidium emendandum accessit, et Heinsianam recensionem denuo recensuit ac pluribus locis mutavit, ita tamen, ut largam usquequaque materiam emendandi et restituendi Ovidii aliis reliquerit, et ab ipsius etiam lectionibus receptis mihi aliquoties recedendum et ad Heinsianas redeundum esse putarem.

**

Gottl. Erdm. Gierigium [10]) summa de hoc opere merita habere. Praeter hos nominandi sunt *Ge. Chr. Taubnerus* [11]), *Chr. Guil. Mitscherlichius* [12]), *Fr. Chr. Matthiae* [13]), et *Dett.*

---

[10]) Hic Nostras meritissimus, quum antea *Metamorphoses* duobus voluminibus cum laude edidisset, etiam Fastorum libros edidit: *P. Ovidii N. Fastorum l.* 6. *Recensuit notisque instruxit G. E. Gierig.* Lips. 1812. 8. Etsi nullo codicum novorum subsidio adiutus novam tamen textus recensionem feliciter instituit, annotationes priorum interpretum examinavit, et multa ipse optime annotavit, quae ad libros istos melius et rectius intelligendos maxime pertinerent. Codicum autem diversitatem negligenter excerpsit, nec ideo criticis satisfacere potuit. Est tamen ea editio, quae omnibus possit merito commendari. Huic alius quidam vir doctus sine nomine suo indicem adiecit: *Index rerum et verborum in Ovidii Fastis occurrentium ad editionem Gierigii accommodatus.* Lips. 1814. 8. Multa hic nova, etiam adversus Gierigium allata sunt, quae lectoribus maximo usui esse possunt, quod ipse serius animadverti.

[11]) Conrector is fuit Lycei Laubanensis, cuius editio ita inscripta prodiit: *P. Ovidii N. Fastorum l.* 6. *Ex rec. P. Burmanni. Revidit et notas maxime criticas tum aliorum tum suas, itemque librorum singulor. descriptionem adiecit G. C. Taubnerus.* Laub. et Lips. 1747. 8. Etiam huic editioni accessit: *Index in Fastos Ovidii historicophilologicus. Auctore G. C. Taubnero.* Lips. et Laub. 1749. 2 P. 8. Hic primus fuit, qui Burmannianam recensionem nondum satis emendatam esse iudicaret, ac plures locos feliciter mutaret. In indice autem multa levia et inutilia compilavit et congessit.

[12]) Hic Philologus Göttingensis laude dignissimus *Ovidii Opera ad optimor. libror. fidem emendata* edidit. Gotting. 1796. 1798. 2 Tom. 8. Textum multis locis felicissime emendavit, neque tamen usquam emendationum suarum ac mutationum causas addidit.

[13]) Director quondam et Professor Gymnasii Francofurtensis. Hic *Ovidii Fastos* edidit *ex rec. P. Burmanni in usum scholarum et variantes lectiones codicis Francofurtensis* adiecit. Francof. M. 1813. 8. In textu nihil fere usquam mutavit, nisi uno loco III, 829, quam emendationem ipse amplexus sum.

C. G. Baumgarten-Crusius [14]). Quo tempore ego interpretationem meam feci, Heinsio-Burmanniana editio prae aliis omnibus emendatissima habebatur, a cuius recensionis fide omnes praeter Taubnerum editores recedere religiosum duxerant. Sed quum a me Fastorum Ovidii studium non raptim, sed magna cum cura instituerétur, iam tum ego Heinsium et Burmannum nimiae emendandi lubidini indulsisse sentiebam, et vulgatam a plerisque codicibus confirmatam lectionem non temere mutandam, sed saepius restituendam ac servándam esse statuebam. Multa huiusmodi, quae ad rem criticam pertinerent, eodem fere tempore, quo Mitscherlichius Gottingensis in editione sua, ego in brevi annotatione interpretationi subiecta dixi, multo plura in commentariis, quos horis subcesivis in usum quondam publicum scribebam, dixeram. Ne quem igitur offendat illud, quod Gierigio me lectionis alicuius mutationem debere raro dixerim, quum, quando me quatuordecim annis ante idem sensisse invenerim, fere semper reticui. Mitscherlichii autem edi-

---

14) Hic curavit editionem *Ovidii Operum ex officina Teubneriana cum brevi annotatione critica*. Lips. 1824, 3 Tom. 8. cuius tomo tertio, qui Fastos, Tristia et Epistolas ex Ponto continet, infortunium accidit corruptissimum esse operarum mendis. In Fastis editor fere ubique, paucis locis exceptis, Gierigianam sequitur recensionem. Quae mutavit, ea in brevi illa adiecta annotatione indicavit. — Praeter hunc ultimum editorem memoratu dignus est *Car. Gotth. Lenzius*, qui librum edidit: *auserlesene Stücke der Elegiendichter und Lyriker*, mit erklär. Anmerkungen. Braunschw. 1794. 2 Th. 8. in quo plures ex Ovidii Fastis locos recepit.

tione aegrius carui, cuius tamen interdum lectiones ex Gierigiana cognovi. Nihil me temere et forte fortuna mutasse ex addita lectionis diversitate omnes cognoscent, quin etiam mecum sentient, multo plura mutanda fuisse, quae, quum a plerisque editione Heinsio-Burmanniana nihil emendatius habeatur, mutare religiosum duxi, ne nimis petulans et arrogans in summos illos viros viderer. — Interpunctionem ad scriptoris sententiam quam maxime accommodavi, etsi certe dubius saepe haerebam, num signa sive distinctionis notae ponendae essent, necne, quum certum sit nimiam notarum molem toti verborum copulationi molestam esse. In orthographia eam rationem plurimum secutus sum, quam a scriptoribus aevi Augustei plerisque observatam esse viri doctissimi censuerunt. Scripsi *Iuppiter, littera, maerere, sumpsi, sumptus, sollemnis, relliqui, rettuli,* utrumque in vocali producenda, *femina, fetus, quis* non *quis* cum circumflexo, *quattuor, causa, ceterus, sulfur, Camenae, Lycaeus, Phrixus,* multa alia, quae editores aliter scribere consueverant. Adde, quod in verbis cum praepositione copulatis molliorem semper formam praetuli, ut *affero, attuli, allatum.*

Huic textui plurimis locis mutato omnem subieci lectionis diversitatem, quam Burmanni editio ex plus sexaginta codicibus enotatam suppeditat. Plurimos ex his contulit Nic. Heinsius, paucos Burmannus; sed uterque singulorum aetatem et locum, unde habuerint, ne verbo quidem attigit. Quinquaginta octo sunt codices, quos in Criticorum Ovidii commentariis nomina-

tim[15]) prolatos inveni. Multi eorum eiusdem esse familiae ac solis incuriae atque oscitantiae librariorum mendis inter se differre videntur. De his eius iudicium esto, qui eos aliquando diligentius contulerit, quod mihi eo magis necessarium videtur, quum manifesto Heinsius suos plurimos codices raptim ac sine diligenti cura videatur contulisse. In tanta autem codicum collatorum copia novos, qui conferantur, exquirere, non necessarium duco, quum apparatum criticum satis magnum habeamus ex quo vera lectio ubique fere restitui possit. Iam suo quisque iudicio legat et utatur, quamque velit, sibi deligat. Ego enim fere numquam quidquam adieci, quod, ut alteri altera lectio praeferatur, multum conferre possit, praeterquam quod aliquoties unum et alterum similem locum ad confirmandam aliquam lectionem addidi. In his

---

15) Hi codices sunt, 1. *Ambrosianus*. 2. *Arondelianus*. 3. *Bernensis*. 4. *Bononiensis*. 5. *Bullialdi*. 6. *Ciofani seu fratris M. Antonii*. 7. *Coloniensis Modii*. 8. *Dousae excerpta*. 9. *Erfurtianus*. 10—12. *Farnesiani tres*. 13. *Francofurtensis*. 14. *Gottorpianus*. 15. *Hamburgensis*. 16—18. *Heinsiani tres*. 19. *Helmstadiensis*. 20. *Hugenianus*. 21. *Iunianus*. 22. *Kloeckhofii excerpta*. 23. *Maffeianus*. 24. 25. *Mazariniani duo*. 26. 27. *Medicei duo*. 28. 29. *Moreti duo*. 30. *Naugerianus*. 31. *Neapolis unus*. 32. *Palatinus*. 33. 34. *Patavini duo*. 35. *Pembrocii*. 36. *Politiani*. 37. *Pomponii Laeti*. 38. 39. *Puteanei duo*. 40. 41. *Regii duo*. 42. *Rumphii glossae*. 43. *Sarravianus*. 44. *Achillis Statii*. 45. *Strozzianus*. 46. *Thuani*. 47. *Ursini*. 48—55. *Vaticani octo*. 56. *Vossianus*. 57. *Vossii excerpta*. 58. *Zulichemianus*. Horum omnium antiquissimus est *Fulvii Ursini*, Langobardicis seu Saxonicis litteris scriptus; aetate ei pares sunt duo, *Achillis Statii* et *Zulichemianus*; inter praestantiores numerantur 3, 6, 9, 13, 19, 21, 30, 31, 36, 37, 43, 56.

igitur lectionibus magister discipulos diligenter exerceat, ut ingenii acumen prodant, augeant, corroborent, ut iudicandi facultatem, quid verum, quid falsum sit, acuant. Hac κρίσεως exercitatione nihil est melius, nihil utilius, nisi ea abutamur et in levibus longius moremur. Haec est enim Charybdis, quae vitanda, haec Scylla, quae fugienda est,

Parcissimus fui in annotandis similibus nostri poetae aut aliorum locis, ne opus nimis fieret longum ac copiosum; minus parcus in adducendis veterum locis, testibus rerum antiquarum, quamquam multa, quae res obscuras illustrare possent, consulto neglexi [16]). De Fastorum enim Ovidii his libris recte iudicat Herc. Ciofanus: »*Ex omnibus*, inquit, *veterum poetarum monumentis nullum hodierno die exstat opus, quod aut eruditione aut rebus, quae ad Romanam antiquitatem cognoscendam pertineant, hos Ovidii Fastorum libros ante-*

16) Etsi in his cuipiam longior videar, recentiores tamen libros, in quibus res illustratae sint, afferre omnino fere abstinui, ac si quos adscripsi, magistrorum tantum causa feci. Quid enim iuvat discipulos eorum notatio, quibus eos pervolutare non liceat! magistri autem ipsi scient, in quo quid libro illustratum sit. Eadem de causa omnes veterum locos fere semper ipsis verbis attuli, ut et magistri et discipuli ipsa verba ante oculos habeant, neve libros evolvere ipsis necesse sit, praesertim quorum copia saepe ipsis magistris denegata est. Quid enim aliud fuisset, nisi vana librorum pompa gloriari, si lectores ad Gronovii Graeviique thesauros, si ad Eustathium Scholiastesque ceteros plurium scriptorum, si ad Athenaeum, Aratum, Eratosthenem, ceteros astronomos, geographos, grammaticos, si ad Lactantium, Augustinum, Arnobium aliosque multos reiicere voluissem.

cellat. « Hic multae exsistunt difficultates, quas ignoratio nobis affert Italicae priscae religionis, rituum sacrorum, originum templorum festorumque dierum, eorum ad dies certos ordinationis, ortus occasusque siderum, cuius scientiae noster poeta ipse non satis gnarus videtur fuisse. In his rebus illustrandis etsi multum sudarunt interpretes, et astronomica I. Fr. Pfaffius [17]) illustrare studuit, tamen non dubium est, quin multa adhuc restent, quae obscura nec satis illustrata sint.

Temporum notationem rerum Romanarum, quae magistris et lectoribus negotia facere poterit, ubique apposui et ad utilissimum et in hac re optimum *Zumptii* librum, *Annales veterum regnorum et populorum* feci, nec cuiquam diversae in historia Romana chronologiae gnaro mirum erit, quod ab aliis saepe numero dissenserim.

Denique Kalendarium [18]) Ovidianum denuo ac non sine diligenti cura revisum adieci.

Haec sunt, quae mihi de huius editionis consilio ac

---

17) Hic Professor mathematicorum quondam Halensis scripsit *Commentationem de ortibus et occasibus siderum apud auctores classicos commemoratis.* Götting. 1786. 4. in qua de Ovidii quoque locis astronomicis accurate egit.

18) In omnibus fere editionibus Kalendarium additur ad Ovidii Fastos ordinatum. Neapolis novum promisit, numquam edidit: Heinsius et Burmannus vetus retinuerunt, quamvis, ut ait Heinsius, mendosum foedeque depravatum multis partibus et ab homine huius argumenti non satis perito confectum; Taubnerus in eo ordinando plurimum laboravit, cuius Kalendarium Matthiae paucis mutatis recepit; ceteri omnes Heinsii illud Kalendarium bona fide repetierunt.

ratione dicenda fuerint. A qua quidem scriptorem in discipulorum usum edendi ratione quum omnes, quantum sciam, talium editionum editores abhorreant, eo magis Vos, benevoli scholarum collegae seniores, Vestram multorum annorum experientiam, Vestrum acre certumque iudicium appello, Vosque rogatos volo, ut ea de re sine odio et invidia, nec minus sine amore et cupiditate iudicetis, et ut, si quid novistis rectius ac certius istis, candidi impertiatis: si non, his mecum utamini. Tempus enim est viam hucusque tritam deserere, quo modo Minelliano, Sinceriano et Gottschlingiano ad pigrorum discipulorum animum et optatum nos liberaliter accommodemus. Πόνος ἀρετὴν μέγ' ὀφέλλει, ut ait Phocylides, cui simile illud Sophocleum: Ὅρα, πόνου τοι χωρὶς οὐδὲν εὐτυχεῖ!

Weilburgi Nonis Aprilibus cIↃIↃCCCXXVI.

FASTI
KALENDARES ROMANI
EX OVIDIO.

(In his quid mutaverim, nusquam annotavi. Qui scire volet, is adeat aliam editionem.)

IANUARIUS. (LIB. I.)

1.	A.	KAL.	F.	Novi consulatus initia, 75. Iani festum, 89. Aesculapii et Iovis templa in insula Tiberina consecrata, 290.
2.	B.	IIII. NON.	F.	
3.	C.	III. NON.	C.	Cancer occidit, 311.
4.	D.	PR. NON.	C.	
5.	E.	NON.	F.	Lyra oritur, 315.
6.	F.	VIII. ID.	F.	
7.	G.	VII. ID.	C.	
8.	H.	VI. ID.	C.	
9.	A.	V. ID.		Agonalia celebrata, 317. Delphini ortus, 457.
10.	B.	IIII. ID.	EN.	Hiems media, 459.
11.	C.	III. ID.	NP.	Carmentalia, 461. Iuturnae aedes in campo Martio ad aquam Virginem dicata, 463.
12.	D.	PR. ID.	C.	
13.	E.	ID.	NP.	Iovi Statori ovis semimas immolabatur, 587. Populo provinciae redditae, 589. Octaviano Augusti nomen datum, 590.

14. F. XIX. KAL. FEBR. EN.
15. G. XIIX. KAL. Carmentalia relata, 617. Porrimae et Postvertae festus dies, 631.
16. H. XVII. KAL. C. Concordiae templum prope aedem Iunonis Monetae dedicatum, 637.
17. A. XVI. KAL. C. Sol Aquarium ingreditur relicto Capricorno, 651.
18. B. XV. KAL. C.
19. C. XIIII. KAL. C.
20. D. XIII. KAL. C.
21. E. XII. KAL. C.
22. F. XI. KAL. C.
23. G. X. KAL. C. Lyra occidit, 653.
24. H. VIIII. KAL. C. Stella in medio Leonis pectore occidit, 655. Sementivae feriae circa hoc tempus indictae, 657. Paganalia, 669.
25. A. VIII. KAL. C.
26. B. VII. KAL. C.
27. C. VI. KAL. C. Castori et Polluci templum ad Iuturnae stagnum dedicatum, 705.
28. D. V. KAL. C.
29. E. IIII. KAL. F.
30. F. III. KAL. NP. Pacis ara dicata, 709.
31. G. PR. KAL. C.

Februarius. (Lib. II.)

1. H. KAL. N. Templum Iunoni Sospitae positum, 55. Lucus Asyli celebratus, 67. Iovi in Capitolio bidens mactata, 69.
2. A. IIII. NON. N. Lyra occidit, 73. et Leo medius, 77.
3. B. III. NON. N. Delphinus occidit, 79.
4. C. PR. NON. N.

5. D. NON. (N.) Augustus Pater Patriae dictus, 119. Aquarius medius oritur, 145.
6. E. VIII. ID. N.
7. F. VII. ID. N.
8. G. VI. ID. N.
9. H. V. ID. N. Veris initium, 149.
10. A. IIII. ID. N.
11. B. III. ID. N. Arctophylax oritur; 153.
12. C. PR. ID. N.
13. D. ID. NP. Fauni sacra, 193. Fabianae cladis memoria, 195.
14. E. XVI. KAL. MART. N(C.) Corvus, Anguis, Crater oriuntur, 243.
15. F. XV. KAL. NP. Lupercalia Fauno sacra, 267. Ventorum inconstantia per sex dies, 453. Aquario relicto Sol Pisces ingreditur, 457.
16. G. XIIII. KAL. EN.
17. H. XIII. KAL. NP. Quirini sacra, 475. Stultorum festus dies, 513. Fornacalia, 527.
18. A. XII. KAL. C.
19. B. XI. KAL. C. Feralia, i. e. ultimus placandis Manibus dies, 567. Deae Mutae sacra facit anus, 571.
20. C. X. KAL. C.
21. D. VIII. KAL. F.
22. E. VIII. KAL. C. Charistia, cognatorum sacra, 617.
23. F. VII. KAL. NP. Terminalia, 639.
24. G. VI. KAL. N. Regifugium, 685. Hirundo advenit, veris praenuntia, 853.
25. H. V. KAL. C.
26. A. IIII. KAL. EN.
27. B. III. KAL. NP. Equiria, 857.
28. C. PR. KAL. C.

MARTIUS. (LIB. III.)

1.	D.	KAL.	NP.	In flaminum domibus, regia, curia, Vestae aede novae ponuntur laureae, ignis Vestae reficitur, 137. Matronalia, 170. et Saliorum dies festi, 259.
2.	E.	VI. NON.	F.	
3.	F.	V. NON.	C.	Alter e Piscibus occidit, 399.
4.	G.	IIII. NON.	C.	
5.	H.	III. NON.	C.	Arctophylax occidit, 403. Vindemitor nondum occidit, 407.
6.	A.	PR. NON.	NP.	Vestae sacrum, Caesar Augustus Pontifex Maximus factus, 415.
7.	B.	NON.	F.	Veiovis templum consecratum, 429. Pegasi collum oritur, 449.
8.	C.	VIII. ID.	F.	Corona Gnossis oritur, 459.
9.	D.	VII. ID.	C.	
10.	E.	VI. ID.	C.	
11.	F.	V. ID.	C.	
12.	G.	IIII. ID.	C.	
13.	H.	III. ID.	EN.	
14.	A.	PR. ID.	NP.	Equiria altera in campo Martio, 517. vel monte Coelio, 521.
15.	B.	ID.	NP.	Annae Perennae sacra, 523. Iulii Caesaris caedes, 697.
16.	C.	XVII. KAL. APR.	F.	Scorpius ex parte occidit, 711. Itum ad Argeos hac et sequenti die, 791.
17.	D.	XVI. KAL.	NP.	Liberalia, Bacchi sacrum, 713. Toga libera data, 771. Milvi ortus, 793.
18.	E.	XV. KAL.	C.	
19.	F.	XIIII. KAL.	N.	Quinquatria Minervae sacra, 809. Minervae natalis, 811. Minervalia magistris solutum, 829. Delubra Minervae Captae dedicata, 835.

20. G. XIII. KAL. C. Alter Quinquatruum dies gladiatoriis certaminibus cum tribus sequentibus celebratus, 813.
21. H. XII. KAL. C.
22. A. XI. KAL. N. Sol ingreditur Arietem, 851.
23. B. X. KAL. NP. Quintus idemque ultimus Quinquatruum dies, et Tubilustrium Minervae sacrum, 849.
24. C. VIIII. KAL. Q. R. C. F.
25. D. VIII. KAL. C.
26. E. VII. KAL. C. Aequinoctium vernum, 877.
27. F. VI. KAL. NP.
28. G. V. KAL. C.
29. H. IIII. KAL. C.
30. A. III. KAL. C. Iani, Concordiae, Salutis, Pacis festus dies, 879
31. B. PR. KAL. C. Lunae sacra in monte Aventino, 883.

APRILIS. (LIB. IV.)

1. C. KAL. N. Veneris sacra, 133. Mulieres lavantur, 139. Fortuna Virilis, 145. et Venus Verticordia placari solitae, 151. Scorpius occidit, 163.
2. D. IIII. NON. C. Pliades occidere incipiunt, 165.
3. E. III. NON. C.
4. F. PR. NON. C. Festa Idaeae Parentis s. Megalesia Matri Deum, 179. (Ludi per plures dies celebrati, 387.)
5. G. NON. Fortuna Publica sacrata in colle Quirini, 373.
6. H. VIII. ID. NP. Iuba a Caesare victus, 377. Libra (per totam noctem in coelo) imbres secum fert, 385.
7. A. VII. ID. N.

8. B. VI. ID. N.
9. C. V. ID. N. Orion occidit, 387.
10. D. IIII. ID. N. Ludi in circo, 389.
11. E. III. ID. N.
12. F. PR. ID. N. Ludi Cereales, 393.
13. G. ID. NP. Iovi Victori aedes dicata, 621. Atrium Libertatis instructum, 623.
14. H. XIIX. KAL. MAI. N. Ventus ab occasu cum grandine, 625. Augusti Caesaris victoria Mutinensis, 627.
15. A. XVII. KAL. NP. Fordicidia Telluri sacra in Capitolio et in curia, 629.
16. B. XVI. KAL. N. Augustus Imperator salutatus, 675. Hyades occidunt, 677.
17. C. XV. KAL. N.
18. D. XIIII. KAL. N.
19. E. XIII. KAL. N. Equestria certamina in circo in Cereris honorem, 679. Vulpes combustae ultimo Cerealium die, 681.
20. F. XII. KAL. N. Sol in Taurum abit, 713.
21. G. XI. KAL. NP. Palilia, 721. Romae natalis, 806.
22. H. X. KAL. N.
23. A. VIIII. KAL. NP. Vinalia, 863. Veneris sacra, 865. et Iovis, 878.
24. B. VIII. KAL. C.
25. C. VII. KAL. NP. Ver medium, 901. Aries occidit, 903. Canis exoritur, 904. Robigalia, 905.
26. D. VI. KAL. F.
27. E. V. KAL. C.
28. F. IIII. KAL. NP. Floralium initium, 943 Vesta in Palatium recepta, 949. dies ex parte Phoebi, 951. et Caesaris, 952.
29. G. III. KAL. C.
30. H. PR. KAL. C.

MAIUS. (LIB. V.)

1.	A.	KAL.	N.	Capella oritur, 111. Laribus Praestitibus ara posita, 130. Bonae Deae sacrum, 148.
2.	B.	VI. NON.	F.	Argeste flante, 161, Hyades oriuntur, 163.
3.	C.	V. NON.	C.	Floralium ultimus dies, 183. Chiron (Centaurus) oritur, 379.
4.	D.	IIII. NON.	C.	
5.	E.	III. NON.	C.	Lyra oritur, 415.
6.	F.	PR. NON.	C.	Scorpius occidit (oritur) medius, 417.
7.	G.	NON.	N.	
8.	H.	VIII. ID.	F.	
9.	A.	VII. ID.	N.	Lemuria Manibus sacra, 419.
10.	B.	VI. ID.	C.	
11.	C.	V. ID.	N.	Lemuria altera, 491. Orion occidit, 493.
12.	D.	IIII. ID.	NP.	Marti ultori templum sacratum, 545. Ludi Marti in circo, 597.
13.	E.	III. ID.	N.	Lemuria ultima, 591. Pliades oriuntur, 599. Aestatis initium, 691.
14.	F.	PR. ID.	C.	Taurus oritur, 603. Scirpea simulacra in Tiberim missa, 621.
15.	G.	ID.	NP.	Mercurio templum positum eiusque festa dies, 663.
16.	H.	XVII. KAL. IUN.	F.	
17.	A.	XVI. KAL.	C.	
18.	B.	XV. KAL.	C.	
19.	C.	XIIII. KAL.	C.	
20.	D.	XIII. KAL.	C.	Sol in Geminos transit, 693.
21.	E.	XII. KAL.	NP.	Agonia altera, 721.
22.	F.	XI. KAL.	N.	Canis oritur, 723.
23.	G.	X. KAL.	NP.	Tubilustria Vulcano sacra, 725.

24. H. VIIII. KAL. Q. R. C. F., 727.
25. A. VIII. KAL. C. Templum Fortunae Publicae positum, 729. Aquilae rostrum apparet, 731.
26. B. VII. KAL. C. Bootes occidit, 733.
27. C. VI. KAL. C. Hyas oritur, 734.
28. D. V. KAL. C.
29. E. IIII. KAL. C.
30. F. III. KAL. C.
31. G. PR. KAL. C.

IUNIUS. (LIB. VI.)

1. H. KAL. N. Carnae deae sacrum, 101. Kalendae fabariae, 180. Iunonis Monetae templum sacratum, 183. Martis extra portam Capenam sacra, 191. Tempestatis aedes dedicata, 193. Aquila tota apparet, 196.
2. A. IIII. NON. F. Hyadum ortus et Tauri cornuum, pluit, 197.
3. B. III. NON. C. Bellonae aedes consecrata, 199.
4. C. PR. NON. C. Herculi Custodi aedes in circo Flaminio posita, 209.
5. D. NON. (N.) Sanco Fidio Semoni Patri aedes posita, 213.
6. E. VIII. ID. N,
7. F. VII. ID. N. Arctophylax (Lycaon) totus occidit, 235. Ludi Tibridi sacri a piscatoribus celebrati, 237.
8. G. VI. ID. N. Menti delubra data, 241.
9. H. V. ID. N. Vestae sacra, 249. Iovis Pistoris ara in Capitolio, 349. Brutus Gallaecos vicit, 461. Crassus a Parthis victus et occisus, 465.

10. A. IIII. ID. N. Delphinus oritur, 469.
11. B. III. ID. N. Matralia Matri Matutae sacra, 473. Matutae templum a Servio rege positum, 479. Rutilius et Didius occisi, 563. Fortunae templum a Servio rege dedicatum, 569. Concordiae aedes per Liviam consecrata, 637.
12. C. PR. ID. N.
13. D. ID. N. Iovi invicto templa data. 650. Quinquatrus minores Minervae sacrae, 651. [Nubere ante Idus non bonum, 219. nec fas Flaminis Dialis coniugi crines depectere, 220. nec ungues praesecare, 230. nec viro concumbere, 231. exspectanda dies Q. St. D. F., 233.]
14. E. XIIX. KAL. IUL. N.
15. F. XVII. KAL. Q. St. D. F. Thyene, stella in Tauri fronte, oritur, 711. Stercus ex aede Vestae defertur, 713.
16. G. XVI. KAL. C. Zephyro secundo flante, 715. Orion oritur, 717.
17. H. XV. KAL. C. Delphinus totus apparet, 720. Postumius Tubertus Aequos Volscosque fudit, 721.
18. A. XIIII. KAL. C.
19. B. XIII. KAL. C. Sol e Geminis in Cancrum abit, 725. Pallas in Aventino coli coepta, 728.
20. C. XII. KAL. C. Summani templum positum, 729. Ophiuchus (Aesculapius) oritur, 733.
21. D. XI. KAL. C.
22. E. X. KAL. C.

***

23. F. VIIII. KAL. C. Flaminius ad lacum Trasimenum victus, 765.

24. G. VIII. KAL. C. Syphax victus, 769 Hasdrubal occisus, 770. Fortunae Equestri honorem, 771.

25. H. VII. KAL. C.

26. A. VI. KAL. C. Orionis zona apparet, 785. Solstitium, 789.

27. B. V. KAL. C. Larium delubra posita, 791. et Iovis Statoris aedes, 793.

28. C. IIII. KAL. C. Quirino templum positum, 795.

29. D. III. KAL. F.

30. E. PR. KAL. C. Musis et Herculi Musagetae aedes consecrata, 797.

NOTAE

sive compendia verborum, quibus in annotatione infra posita usus sum.

Bentl.	— Bentleius.	*ing.*	— ingenium.
Bersm.	— Bersmannus.	*l. c.*	— loco citato.
Burm.	— Burmannus.	*lect.*	— lectio.
Ciof.	— Ciofanus.	*leg.*	— legit.
Gier.	— Gierfigius.	*libr.*	— libri.
Hs.	— Heinsius.	*mav.*	— mavult.
Lenz.	— Lenzius.	*mel.*	— meliores.
Nauger.	— Naugerius.	*nonn.*	— nonnulli.
Neap.	— Neapolis.	*nostr.*	— nostrum, nostra lectio.
Taubn.	— Taubnerus.	*omn.*	— omnes.
	* * *	*opt.*	— optimus.
a. U.	— anno urbis.	*plac.*	— placet.
a. C.	— ante Christum.	*pleriq.*	— plerique.
al.	— alius aut alii.	*plur.*	— plures.
ap.	— apud.	*praef.*	— praefert.
c.	— cum.	*quat.*	— quatuor.
cet.	— ceteri.	*quid.*	— quidam.
cf.	— confer.	*quinq.*	— quinque.
cod.	— codex.	*rec.*	— recepit.
codd.	— codices.	*scr.*	— scripsit.
coni.	— coniecit.	*seq.*	— sequens.
duod.	— duodecim.	*un.*	— unus.
edd.	— editiones.	*undec.*	— undecim.
f.	— fortasse.	*v.*	— vide.
fec.	— fecit.	*vett.*	— veteres.
fort.	— fortasse.	*vetust.*	— vetusti.
hab.	— habet aut habent.	*vs.*	— versus.
		vulg.	— vulgaris aut vulgatus.

P. OVIDII NASONIS

F A S T O R U M

LIBRI SEX PRIORES

GERMANICO CAESARI INSCRIPTI.

Sex ego Fastorum scripsi, totidemque libellos,
Cumque suo finem mense volumen habet.
Idque tuo nuper scriptum sub nomine, Caesar,
Et tibi sacratum sors mea rupit opus.

Ovid. Trist. II, 549.

LIBER PRIMUS.

Tempora cum causis Latium digesta per annum,
  Lapsaque sub terras ortaque signa canam.
Excipe pacato, Caesar Germanice, vultu
  Hoc opus, et timidae dirige navis iter;
Officioque, levem non aversatus honorem,
  Huic tibi devoto numine dexter ades.
Sacra recognosces annalibus eruta priscis,
  Et quo sit merito quaeque notata die.
Invenies illic et festa domestica vobis.
  Saepe tibi pater est, saepe legendus avus;
Quaeque ferunt illi pictos signantia fastos,
  Tu quoque cum Druso praemia fratre feres.
Caesaris arma canant alii, nos Caesaris aras,
  Et quoscumque sacris addidit ille dies.
Annue conanti per laudes ire tuorum,
  Deque meo pavidos excute corde metus.

DIVERSITAS LECTIONIS.

1. Tres codd. *per orbem*. 2. Unus *Mersaque*. — Al. *cano*, quod Hs placet. Cf. IV, 11. 5. Codd. melior. *Officiique lev.*, quod Hs et Burm. rec., ceteri hab. nostr., quod c. Lenz. et Mitsch. recepi. — Multi *adversatus*, un. *adspernatus*, quinq. *dedignatus*. — 6. Quat. *En — munere*, unde Hs et Burm. rec. *In — munere*; ego ceter. lect. rec. 7. Un. *edita*. — Al. *primis*. Cf. IV, 11, Liv. IV, 7. *in annal. priscis*. 8. Tres *notanda*, duo *sacrata*, un. *vocata*. 11. Pro *pictos* alii *festos*. Mitsch. sine cod. *dictos*. Martial. XI. 4 et XII, 26 *purpureos fastos* commemorat. — Tres *fastus*, quod Hs et Burm. plac. 13. Duo *canunt* — Scaliger mav. *aram*. 14. Un. *deos*. 15. *Per laudes*. Cf. II, 16. — Tres *dcorum*. 16. Un. *mea — mente*.

Da mihi te placidum, dederis in carmina vires.
Ingenium vultu statque caditque tuo.
Pagina iudicium docti subitura movetur
Principis, ut Clario missa legenda deo.
Quae sit enim culti facundia sensimus oris,
Civica pro trepidis quum tulit arma reis.
Scimus et, ad nostras quum se tulit impetus artes,
Ingenii currant flumina quanta tui.
Si licet et fas est, vates rege vatis habenas,
Auspice te felix totus ut annus eat.

Tempora digereret quum conditor urbis, in anno
Constituit menses quinque bis esse suo.
Scilicet arma magis, quam sidera, Romule, noras,
Curaque finitimos vincere maior erat.
Est tamen et ratio, Caesar, quae moverit illum,
Erroremque suum quo tueatur, habet.
Quod satis est, utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno statuit temporis esse satis.
Per totidem menses a funere coniugis uxor
Sustinet in vidua tristia signa domo.
Hoc igitur vidit trabeati cura Quirini,
Quum rudibus populis annua iura daret.

---

17. Alii *dederisque*. — Quat. *carmine*. 18. Hs mav. *nutu*, ut 70. Strabo: Πρὸ αὐτῆς (urbis Colophonis) ἄλσος τοῦ Κλαρίου Ἀπόλλωνος, ἐν ᾧ καὶ μαντεῖον ἦν ποτε παλαιόν. 21. Un. *docti*. 22. Ab Horat. Od. II, 1, 13 Asinius Pollio vocatur *Insigne maestis praesidium reis*. Noster de fratre suo Trist. IV, 10, 18. *fortia verbosi natus ad arma fori*. 23. Cf. VI, 6. Pro *Scimus et* Hs coni. *Sensimus*. 25. Plurimi *Scilicet* — Al. *ut fas*. 26. Alii *Auspicio f.*, quod praefert Bentl. Hor. Od. I, 7, 27; alii *Aspicito* aut *Aspice te*. 27. Un. ex opt. et duo alii *in annum*. 28. Un. *suum*, alius ex opt. *suos*. 32. Un. *habe*, quod Hs placet. Vir quidam vult *habes*. 35. Senec. Cons. ad Helv. 16. *Maiores decem mensium spatium lugentibus viros dederunt*. 37. Al. *Haec* aut *Hec*. Multi *Hoc*, quod Hs. rec. — Ap. Virg. A. VII, 188 Picus, rex Italiae *Quirinali lituo parvaque sedebat succinctus trabea*.

Martis erat primus mensis, Venerisque secundus,
  Haec generis princeps, ipsius ille pater.
Tertius a senibus, iuvenum de nomine quartus,
  Quae sequitur, numero turba notata fuit.
At Numa nec Ianum, nec avitas praeterit umbras,
  Mensibus antiquis apposuitque duos.

Ne tamen ignores variorum iura dierum:
  Non habet officii Lucifer omnis idem.
Ille Nefastus erit, per quem tria verba silentur:
  Fastus erit, per quem lege licebit agi;
Neu toto perstare die sua iura putaris:
  Qui iam Fastus erit, mane Nefastus erat.
Nam simul exta deo data sunt, licet omnia fari,
  Verbaque honoratus libera praetor habet.
Est quoque, quo populum ius est includere septis:
  Est quoque, qui nono semper ab orbe redit.
Vindicat Ausonias Iunonis cura Kalendas:
  Idibus alba Iovi grandior agna cadit:
Nonarum tutela deo caret. Omnibus istis
  — Ne fallare, cave — proximus Ater erit.
Omen ab eventu est, illis nam Roma diebus
  Damna sub adverso tristia Marte tulit.
Haec mihi dicta semel, totis haerentia fastis,
  Ne seriem rerum scindere cogar, erunt.

---

39. Cf. III, 1. IV, 13. V, 73. VI, 28. 44. Quinque *apposuitque*, quod c. Hs recepi; alii *praeposuitque*, un. *postposuitque*; tres *addidit ille*, quod Neap., Lenz. et Mitsch. rec. 46. Octo *officii*, quod Hs rec., alii *officium*. 49. Pleriq. *Neu*, quod Hs rec. ceteri *Nec*. — Multi *praestare*. — Duo *putares*; alii duo *putetis*. 51. Un. *domo*. Burm. coni. *foco*. 54. Quat. *venit*. 55. Hs. mav. *Iunonia*. 56. *alba* un. *illa*, Hs. mav. *iota*. — Quinq. melior. *cadet*. Bene. 58. Pro *cave* multi *dies*. 59. Duo *Nomen*. 60. Octo *averso*, un. *immenso*. — Un. *grandia M*. Edd. quaed. fortasse etiam codd. *Marte sub adverso tristia damna tulit*. 61. E plerisq. Hs. rec. *mihi*, ceteri *tibi*. 62. Un. opt. *condere*, duo *findere*, un. *fundere*. — Un. *eunt*.

Ecce tibi faustum, Germanice, nuntiat annum,
Inque meo primus carmine Ianus adest.
Iane biceps, anni tacite labentis origo,
Solus de superis qui tua terga vides,
Dexter ades ducibus, quorum secura labore
Otia terra ferax, otia pontus agit.
Dexter ades patribusque tuis, populoque Quirini,
Et resera nutu candida templa tuo.
Prospera lux oritur: linguisque animisque favete!
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.
Lite vacent aures, insanaque protinus absint
Iurgia; differ opus, livida lingua, tuum.
Cernis, odoratis ut luceat ignibus aether,
Et sonet accensis spica Cilissa focis?
Flamma nitore suo templorum verberat aurum,
Et tremulum summa spargit in aede iubar.
Vestibus intactis Tarpeias itur in arces,
Et populus festo concolor ipse suo est.
Iamque novi praeeunt fasces, nova purpura fulget,
Et nova conspicuum pondera sentit ebur.
Colla rudes operum praebent ferienda iuvenci,
Quos aluit campis herba Falisca suis.

---

64. Alii *primum;* nostr. c melior. Hs rec. — Pro *adest* sex *erit,* 65. Quid. *bifrons* — Duo *imago.* 68. Septem *agit,* quod Hs rec. ceteri *habet.* Cf. II, 724. IV, 926. 69. Quat. *ducibusque.* — Burm. vult *tui.* — Buherius ad Cic. N. D. II, 24 vult *Quirine;* un. cod. *Quirino.* 70. Hs coni. *condita,* quod rec. B. Crus. 71. Tres *Proxima,* duo *postera.* — Tres meliores *linguis animisque.* 72. *bono.* Codd. pleriq. *bona.* Ap. Graec. εὐφημία ἔσΓω, εὐφήμει, εὐφημεῖτε. 73. Un. *vesanaque.* — Un. *longius absint.* 74. Meliores *lingua,* quod Hs rec. ceteri *turba.* 76. Nonn. *Falisca,* un. *Calisca.* — Un. *rogis.* Plin. H. N. XXI, 27. *Prima nobilitas Cilicio croco, et ibi in Coryco monte.* 77. Duo *verberet.* 78. Un. *sparget,* alius *sparsit,* quinq. *surgit,* un. *tendit.* 79. Pleriq. *ad arces.* 81. Un. *fasces praec.* 82. Quinq. *perspicuum.* 83. Un. *tauri praeb. fer. securi.* — Pro *iuv.* multi *securi.* 84. Nonn. *terra.*

Iuppiter, arce sua totum quum spectet in orbem,
Nil nisi Romanum, quod tueatur, habet.
Salve, laeta dies, meliorque revertere semper,
A populo rerum digna potente coli!
Quem tamen esse deum te dicam, Iane biformis?
Nam tibi par nullum Graecia numen habet.
Ede simul causam, cur de coelestibus unus,
Sitque quod a tergo, sitque quod ante, vides.
Haec ego quum sumptis agitarem mente tabellis,
Lucidior visa est, quam fuit ante, domus.
Tum sacer ancipiti mirandus imagine Ianus
Bina repens oculis obtulit ora meis.
Obstupui, sensique metu riguisse capillos,
Et gelidum subito frigore pectus erat.
Ille tenens dextra baculum, clavemque sinistra,
Edidit hos nobis ore priore sonos:
Disce, metu posito, vates operose dierum,
Quod petis, et voces percipe mente meas.
Me Chaos antiqui — nam res sum prisca — vocabant.
Adspice, quam longi temporis acta canam.
Lucidus hic aër, et, quae tria corpora restant,
Ignis, aquae, tellus, unus acervus erant.
Ut semel haec rerum secessit lite suarum,
Inque novas abiit massa soluta domos;

---

85. Duo *spectat*. Tibull. IV, 1, 130. *Iuppiter ipse levi vectus per inania curru Adfuit, et coelo vicinum liquit Olympum, Intentaque tuis precibus se praebuit aure.* 87. E libr. vetustior. Hs rec. *laeta*, ceteri *festa*, quod Ciof. praefert. 92. Alii *Idque q. a t. est, idque.* — Hs mav. *Fitque — fitque.* 94. Tres *dies*. 96. Multi *repente*. 97. Alii *Extimui*, un. *Excrucior;* nostr. rec. Hs. e codd. mel. — Tres *meos*. 99. Un. *baculum dextra*. 102. Un. *vires*, non male, ut ait Hs. — Al. *concipe:* nostr. rec. Hs. 103. Un. *antiquum* — Un. *nam sum res prisca*, et ita edd. ante Hs. Hic rec. *res sum*, an ex codd. nescio. 104. Octo *Accipe*. 106. Alii pleriq. *aqua et t.*, alii *aqua, t.;* quat. tantum *aquae*, quod Hs rec. — Al. ex opt. *erat*, quod Lenz. praef.

Flamma petit altum, propior locus aëra cepit,
Sederunt medio terra fretumque solo.
Tunc ego, qui fueram globus et sine imagine moles,
In faciem redii dignaque membra deo.
Nunc quoque, confusae quondam nota parva figurae,
Ante quod est in me, postque videtur idem.
Accipe, quaesitae quae causa sit altera formae,
Hanc simul ut noris officiumque meum.
Quidquid ubique vides, coelum, mare, nubila, terras,
Omnia sunt nostra clausa patentque manu.
Me penes est unum vasti custodia mundi,
Et ius vertendi cardinis omne meum est.
Quum libuit Pacem placidis emittere tectis,
Libera perpetuas ambulat illa vias.
Sanguine letifero totus miscebitur orbis,
Ni teneant rigidae condita bella serae.
Praesideo foribus coeli cum mitibus Horis:
It, redit officio Iuppiter ipse meo.
Inde vocor Ianus. Cui quum Cereale sacerdos
Imponit libum farraque mixta sale,

---

109. *altum*, alii *coelum*, alii *Altum flamma petit* aut *Coelum flamma petit*. Nostr. e duodec. mel. rec. Hs. 110. Pleriq. mel. *solo*, quod Hs rec. alii *loco*. 112. Un. *membraque digna*. 113. Tres tantum *quondam*, quod Hs. rec. ceteri omnes *quoniam*. — Un. *nota prima*, Burm. vult *priva*. — Pauci *figura est*. 115. Un. ex opt. *quae sit causa alt.* 117. Un. *mare, sidera, t.* 119. Plures *concordia;* nostr. ex aliis Hs. rec. 121. Quinq. *emittere terris*, un. *immittere rebus*, alius *immitt. terris*. Livius I, 19. *Numa Ianum ad infimum Argiletum indicem pacis bellique fecit: apertus ut in armis esse civitatem, clausus pacatos circa omnes populos significaret.* 122. Pleriq. *per tutas*, tres *per totas*, pauci *perpetuas*, quod Hs. rec. Vir quid. coni. *per patulas*. 126. Pleriq. *Et redit*, octo nostr. quod Hs rec. — Alii *itque meo*. De Horis Homer. Il. V, 749. Αὐτόμαται δὲ πύλαι μύκον οὐρανοῦ, ἂς ἔχον Ὧραι, Τῇς ἐπιτέτραπται μέγας οὐρανὸς Οὔλυμπός τε, Ἠμὲν ἀνακλῖναι πυκινὸν νέφος, ἠδ' ἐπιθεῖναι. 127. Un. *Mihi quum*. 128. Un. *Imposuit*. Hs mav. *Sepo-*

Nomina ridebis; modo namque Patulcius idem,
Et modo sacrifico Clusius ore vocor.
Scilicet alterno voluit rudis illa vetustas
Nomine diversas significare vices.
Vis mea narrata est: causam nunc disce figurae;
Iam tamen hanc aliqua tu quoque parte vides.
Omnis habet geminas hinc atque hinc ianua frontes,
E quibus haec populum spectat, at illa Larem.
Utque sedens vester primi prope limina tecti
Ianitor egressus introitusque videt;
Sic ego prospitio, coelestis ianitor aulae,
Eoas partes Hesperiasque simul.
Ora vides Hecates in tres vergentia partes,
Servet ut in ternas compita secta vias.
Et mihi, ne flexu cervicis tempora perdam,
Cernere non moto corpore bina licet.
Dixerat, et vultu, si plura requirere vellem,
Se mihi difficilem non fore, fassus erat:
Sumpsi animum, gratesque deo non territus egi,
Verbaque sum spectans pauca locutus humum:

---

nit vel *Apposuit* vel *Iam posuit.* — *farraque* — Ita omnes codd. legere videntur, quidam tantum *sali;* alio tamen ordine leguntur in edd. Hs et Burm. *mixtaque farra sali.* Ego nostr. rec. Festus: *Ianual* libi genus, quod Iano tantummodo libatur.

130. Alii *Clausius,* duo *Clusivius,* un. *Claudius.* Hs mav. *Clusvius.* 131. Plurimi *aeterno.* Hs mav. *alternas* et post *diverso.* — Pleriq. *valuit,* duo *vovit.* 134. Un. *aliqua parte videre potes.* 136. Tres *populos* — Alii *et illa.* 137. Un. *primi vester,* quidam *vester vestri prope.* Burm. vult *privi.* — Pro *tecti* quat. *templi,* duo *Iani.* 139. Meliores *perspicio,* quod Hs rec. Burm. nostr. servavit. 141. Alii *vertentia,* un. *urgentia,* alius *versantia,* meliores nostr. quod Hs rec. Schol. Arist. Plut. 594. Τὴν Ἑκάτην ἐν ταῖς τριόδοις ἐτίμων τοπαλαιόν. Chariclides ap. Athen. Δέσποιν' Ἑκάτη, τριοδῖτι, τρίμορφε, τρισπρόσωπε:, ap. Latinos *Trivia, Tergemina, Triformis, Triplex.* 146. Alii *pactus,* e meliorib. Hs. rec. *fassus.* 148. Duodec. *suspectans,* un. *despectans.*

Dic, age, frigoribus quare novus incipit annus,
Qui melius per ver incipiendus erat?
Omnia tunc florent, tunc est nova temporis aetas,
Et nova de gravido palmite gemma tumet,
Et modo formatis operitur frondibus arbos,
Prodit et in summum seminis herba solum,
Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent,
Ludit et in pratis luxuriatque pecus.
Tum blandi soles, ignotaque prodit hirundo,
Et luteum celsa sub trabe fingit opus.
Tum patitur cultus ager, et renovatur aratro.
Haec anni novitas iure vocanda fuit.
Quaesieram multis: non multis ille moratus,
Contulit in versus sic sua verba duos:
Bruma novi prima est, veterisque novissima solis:
Principium capiunt Phoebus et annus idem.
Post ea mirabar, cur non sine litibus esset
Prima dies. Causam percipe, Ianus ait.
Tempora commisi nascentia rebus agendis,
Totus ab auspicio ne foret annus iners.
Quisque suas artes ob idem delibat agendo,
Nec plus quam solitum testificatur opus.

---

153. Codd. plcr. *oper. frond.* quod ego servavi. Novem *amicitur vitibus*, quod Hs et Burm. rec. quatuor *amicitur frondibus*. — Alii *arbor*, nostr. ex melior. Hs rec. 154. Un. *graminis*. 155. Duo *complent*, un. *miscent*. 158. Multi *fingit*, quod Hs rec. alii *figit* aut *nectit*. Quid verum sit, difficile est dictu. 159. Duo *arando*. Hs mav. *Tunc cultum patietur ager renovatus aratro*. 165. Hs mav. *scitabar*. 169. Multi *ibidem*, alii *ob id, obide, inibi*, un. *obiter*. Hs mav. *obit et* aut *obiter*, quod Burm. praefert, mavult tamen *partes obiter*. Un. enim habet *partes*. — Un. *praelibat*. — Colum. R. R. XI, 2, 98. Ipsis Cal. Ian. auspicandi causa omne genus operis instaurant. Seneca Epist. 83 de se, Cal. Ian. quemadmodum legere, scribere, dicere aliquid, sic auspicabar in Virginem (aquam) desilire. Cf. Lipsius ad Tacit. A. IV, 36, 2.

Mox ego: Cur, quamvis aliorum numina placem,
Iane, tibi primo tura merumque fero?
Ut per me possis aditum, qui limina servo,
Ad quoscumque voles, inquit, habere deos.
At cur laeta tuis dicuntur verba Kalendis,
Et damus alternas accipimusque preces?
Tum deus incumbens baculo, quem dextra gerebat,
Omina principiis, inquit, inesse solent.
Ad primam vocem timidas advertitis aures,
Et primum visam consulit augur avem.
Templa patent auresque deûm, nec lingua caducas
Concipit ulla preces, dictaque pondus habent.
Desierat Ianus: nec longa silentia feci,
Sed tetigi verbis ultima verba meis:
Quid vult palma sibi rugosaque carica, dixi,
Et data sub niveo candida mella cado?
Omen, ait, causa est, ut res sapor ille sequatur,
Et peragat coeptum dulcis ut annus iter.

---

172. Alii multi *primum;* nostr. e melior. rec. Hs. Pro *merumq.* un. *precemq.* 173. Alii *Ut possis aditum per me,* ut ante Hs. 174. Codd. fere omnes id, quod ego recepi. Un. optim. *velim prorsus,* quod Hs rec., un. *velis.* Qui *prorsus* receperunt, aut cum *velim,* aut cum *habere* coniungunt commate hic illicve posito. 175. Un. *Aut cur.* 177. Pro *quem* Hs mav. *quod.* — Potiores *gerebat,* quod Hs rec. alii multi *tenebat,* duo *regebat.* 178. Alii *Omnia.* 179. Un. opt. *primas voces.* — Alii *advertimus,* alii *convertitis.* Hs mav. *adverteris* vel *advertimur.* 180. Codd. omnes id quod recepi; un. tantum *visam primum,* quod Hs rec. 182. Un. *Accipit.* — Edd. quaed. *illa.* 183. *Ianus.* Ita leg. omnes codd. praeter unum, qui *paucis* leg., quod Hs et Burm. recep. — Pro *feci* quat. *cepi.* 185. Martial. XIII, 27. Aurea porrigitur Iani caryota Calendis. 186. Alii *condita,* un. *liquida.* Cf. III, 762. — Pro *cado,* quod ego recepi, duo opt. et alii nonnulli *favo,* quod Hs rec., etsi, ubi *favus* dicatur *niveus,* nescio, quum alibi potius *flavus, candidus* aut *tener* nominetur. 188. Un. *pergat.*

Dulcia cur dentur, video: stipis adiice causam,
Pars mihi de festo ne labet ulla tuo.
Risit, et, O quam te fallunt tua saecula, dixit,
Qui stipe mel sumpta dulcius esse putes!
Vix ego Saturno quemquam regnante videbam,
Cuius non animo dulcia lucra forent.
Tempore crevit amor, qui nunc est summus, habendi;
Vix ultra, quo iam progrediatur, habet.
Pluris opes nunc sunt, quam prisci temporis annis,
Dum populus pauper, dum nova Roma fuit,
Dum casa Martigenam capiebat parva Quirinum,
Et dabat exiguum fluminis ulva torum.
Iuppiter angusta vix totus stabat in aede,
Inque Iovis dextra fictile fulmen erat.
Frondibus ornabant, quae nunc Capitolia gemmis,
Pascebatque suas ipse senator oves;
Nec pudor in stipula placidam cepisse quietem,
Et fenum capiti supposuisse fuit.

---

189. Sueton. Calig. 42. Edixit et strenas ineunte anno se recepturum: stetitque in vestibulo aedium Cal. Ianuariis ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis turba fundebat. 192. Al. *putas;* sex nostr. leg. quod Hs rec. 196. Un. *Vix summum.* — Codd. fere omnes *qua,* quatuor *quo;* quod Ciof. et Hs pracf. 199. Cf. III, 183. 200. Octo *alga,* tres *herba.* Cf. V, 519. 201. Quinq. *exigua.* — Un. *captus,* alius *tectus,* quod Hs placet. 202. Pro *Iovis* Hs mav. *dei,* cuius alterum illud *Iovis* glossema sit. Iuvenal. Sat. II, 115. Hanc rebus Latiis curam praestare solebat Fictilis et nullo violatus Iuppiter auro. Senec. Cons. Helv. 10. Num maiores nostri, infelices erant, qui sibi manu sua parabant cibum, quibus terra cubile erat, quorum tecta nondum auro fulgebant, quorum templa nondum gemmis nitebant? Itaque tunc per fictiles deos religiose iurabatur. 205. Tres *captare,* un. *accepisse,* alius *sumpsisse.* 206. Alii *Nec. f.* Quot codd. hoc illud habeant, non dicitur. *Fenum* an *foenum* scribendum sit, docti dissentiunt. — Pro *fuit* quinq. *suo.*

Iura dabat populis posito modo consul aratro,
Et levis argenti lamina crimen erat.
At postquam Fortuna loci caput extulit huius,
Et tetigit summos vertice Roma deos;
Creverunt et opes, et opum furiosa cupido,
Et, quum possideant plurima, plura volunt.
Quaerere, ut absumant, absumpta requirere certant:
Atque ipsae vitiis sunt alimenta vices.
Sic, quibus intumuit suffusa venter ab unda,
Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae.
In pretio pretium nunc est; dat census honores,
Census amicitias; pauper ubique iacet.
Tu tamen, auspicium cur sit stipis utile, quaeris,
Curque iuvent nostras aera vetusta manus.
Aera dabant olim; melius nunc omen in auro est,
Victaque concedit prisca moneta novae.
Nos quoque templa iuvant, quamvis antiqua probemus,
Aurea; maiestas convenit ista deo.

---

207. Multi *populo*. Octo *misso modo*, un. ex opt. *missus*. — Alii *praetor ar.*, septem etiam opt. *consul ar.*, quod Hs rec. 209. Alii *loco c. ext. alto*. 210. Alii *summo*; nostr. ex melior. rec. Hs. 211. Sex *libido*. Iuvenal. XIV, 139. Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Sall. Cat. 11. Avaritia semper infinita, insatiabilis, neque copia neque inopia minuitur. 212. E sex opt. codd. Hs *volunt*; alii *petunt*, un. *rogant*. Casp. Barth. leg. *Et, quo poss. pluria, plura petunt*. 213. Un. *tentant*. Claudian. de b. Gild. 162. quodcumque profunda Traxit avaritia, luxu peiore refundit. 217. Un. *dant*. 218. Horat. Epist. I, 6, 36. Scilicet uxorem cum dote, fidemque, et amicos, Et genus, et formam regina pecunia donat. 219. Plurimi codd. et edd. *cur*, quod ego recepi. Hs c. aliis *si sit*, ipse tamen vult: *si cur stipis*. Cf. II, 57, 284. III, 765. IV, 878. V, 1. 220. Heinz. Opusc. p. 223 leg. *Curne*. — Tres *vestras*. 221. Un. *melius tamen*. — *Est* in nonn. decst. 222. Alii *concessit*, duo *recessit*, un. *successit*, nostr. e sex rec. Hs. 223. Duo *probamus*. 224. Alii *ipsa*, Hs e plerisq. *ista* rec.

Laudamus veteres, sed nostris utimur annis;
Mos tamen est aeque dignus uterque coli.
Finierat monitus; placidis ita rursus, ut ante,
Clavigerum verbis alloquor ipse deum:
Multa quidem didici: sed cur navalis in aere
Altera signata est, altera forma biceps?
Noscere me duplici posses in imagine, dixit,
Ni vetus ipsa dies extenuaret opus.
Causa ratis superest: Tuscum rate venit in amnem
Ante pererrato falcifer orbe deus.
Hac ego Saturnum memini tellure receptum;
Coelitibus regnis ab Iove pulsus erat.
Inde diu genti mansit Saturnia nomen:
Dicta quoque est Latium terra, latente deo.
At bona posteritas puppim servavit in aere,
Hospitis adventum testificata dei.
Ipse solum colui, cuius placidissima laevum
Radit arenosi Tibridis unda latus.
Hic, ubi nunc Roma est, incaedua silva virebat,
Tantaque res paucis pascua bubus erat.
Arx mea collis erat, quem cultrix nomine nostro
Nuncupat haec aetas, Ianiculumque vocat.

---

227. Quinq. *monitis*. 228. Duo *dictis*. 230. Duo *formata est*. Hs mav. *signato*. 231. Multi *ut imag*. Hoc praefert Heinz. l. c. et post leg. *Si vetus*. 232. Alii *extenuasset*: nostr. ex melior. rec. Hs. un. *attenuasset*. 236. Alii *a Iove*, e melior. *ab* rec. Hs. 238. Quinq. *Dicta fuit L*. 239. Multi *formavit*; ex septem optim. nostr. Hs rec. 241. Multi *coluit*. 242. Quat. *rasit*. 243. Multi *tunc ardua s.*; octo melior. nostr. habent, quod Hs. rec. 244. Alii *bobus erant*; e melior. nostr. rec. Hs. Tibull. II, 5, 25. Tunc pascebant herbosa Palatia vaccae, Et stabant humiles in Iovis arce casae. Cf. V, 639. 245. Ita ex aliquot melior. leg. Neap. et Hs.; alii *Arx mea est collis*, alii *in ea*, alii *est colli*, alii *quam*. Hs mav. *Arx mea collis is est, quem* — Pro *cultrix* codd. fere omnes *vulgus*, pro quo Hs e tribus rec. *cultrix*.

Tunc ego regnabam, patiens quum terra deorum
Esset, et humanis numina mixta locis.
Nondum Iustitiam facinus mortale fugarat:
— Ultima de superis illa reliquit humum —
Proque metu populum sine vi pudor ipse regebat;
Nullus erat iustis reddere iura labor.
Nil mihi cum bello, pacem postesque tuebar.
Et clavem ostendens, Haec, ait, arma gero.
Presserat ora deus: tunc sic ego nostra resolvo,
Voce mea voces eliciente dei:
Quum tot sint Iani, cur stas sacratus in uno,
Hic ubi iuncta foris templa duobus habes?
Ille manu mulcens propexam ad pectora barbam,
Protinus Oebalii rettulit arma Tati,
Utque levis custos armillis capta Sabinis
Ad summae Tatium duxerit arcis iter.
Inde, velut nunc est, per quem descenditis, inquit,
Arduus in valles et fora clivus erat.

---

250. Hesiod. Ἔργ. 195 καὶ τότε δὴ πρὸς Ὄλυμπον ἀπὸ χθονὸς εὐρυοδείης Ἀθανάτων μετὰ φῦλον ἴτην προλιπόντ' ἀνθρώπους Αἰδὼς καὶ Νέμεσις. Ovid. M. I, 149 et Virgo caede madentes Ultima coelestum terras Astraea reliquit. 252. Un. *Tuscis.* 253. Edd. quaed. *portasque.* 255. Quatuor ex optim. *tunc sic nostra ora resolvo,* quod Hs et Burm. recep.; ceteri omnes nostr. habent, quod servavi; septem ex praestantior. *resolvo,* ceteri *resolvi.* Hs mav. *sic ora ego nostra resolvo.* 257. Alii *cur sic sacr. in uno es.* — Duo *in imo.* Hs mav. *cur, dic, sacr. in uno es.* 258. Alii *templa foris iuncta d. h.* — Hs unde nostram verbor. collocationem habuerit, non dixit. 259. Duo *perpexam,* un. *promissam,* alius *prolixam.* — Un. optim. *in pectore,* alius ex optim. *in pectora,* quod Hs praefert. 260. Un. *Titi,* quod Hs edidit, ne idem nomen bis nominetur.; un. *senis.* 261. Codd. multi *Sabinos.* Cf. de fabula Liv. I, 11. Ovid. Met. XIV, 771 sqq. 262. Codd. fere omnes *Tatios* aut *tacitos;* Hs ex edd. et uno cod. *Tatium* rec., mavult tamen *maniplos Ad summae Tatios.* 264. Quinque *et fora,* quod Hs rec., ceteri *per fora,* duo *ad fora.*

Et iam contigerat portam, Saturnia cuius
Dempserat oppositas insidiosa seras.
Cum tanto veritus committere numine pugnam,
Ipse meae movi callidus artis opus,
Oraque, qua pollens ope sum, fontana reclusi,
Sumque repentinas eiaculatus aquas.
Ante tamen calidis subieci sulfura venis,
Clauderet ut Tatio fervidus humor iter.
Cuius ut utilitas pulsis percepta Sabinis,
Quaeque fuit, tuto reddita forma loco est;
Ara mihi posita est parvo coniuncta sacello:
Haec adolet flammis cum strue farra suis.
At cur pace lates, motisque recluderis armis?
Nec mora, quaesiti reddita causa mihi.
Ut populo reditus pateant ad bella profecto,
Tota patet dempta ianua nostra sera.
Pace fores obdo, ne qua discedere possit:
Caesareoque diu nomine clausus ero.
Dixit, et, attollens oculos diversa tuentes,
Adspexit toto quidquid in orbe fuit.

---

265. Alii *contigerant*, e duodec. nostr. Hs rec. — Pro *cuius* alii *custos*, alii *civis*, un. *Iuno*, alius *coniux*. Hs mav. *posti*. 266. Codd. fere omnes id, quod recepi, habent; duo *appositas*, quod Hs et Burm. recep., etsi *obserare* et *opponere seram* alibi saepe dicitur. — Alii *invidiosa*, un. *ingeniosa*, pleriq. *insid.* quod c. Ciof. Hs. rec. 268. Tres *calliditatis opus*. — Pleriq. *opus*, quod servavit Hs, quat. *opem*. 271. Decem *calidis*, quod ego rec.; pleriq. *madidis*. Hs sine codd. edid. *gelidis*. In *calidis* est Prolepsis. Burm. vult *mediis*. De scriptura *sulfur* an *sulphur* dissentiunt. 273. Hs c. Ciof. e codd. *percepta*, alii *comperta*, duo *praecepta*. 274. Ex uno ex optim. Hs rec. *Quaeque f.* ceteri omnes *Quae fuerat*. — Un. non habet *est*. 275. Hs mav. *Ponitur ara mihi*. 276. Un. *Hanc adolent*. Hs mav. *Hac adolent*. — Duo *cum sale*. Hs mav. *in strue*. Un. *tura suis*. Burm. leg. *cum strue fercta s*. 281. Un. *seras*. 282. Codd. pleriq. *numine*, tres optim. *nomine*, quod Hs rec. Ianus clausus a U. C. 725. a. c. 29. 283. Omnes fere *videntes*, Hs servav. ceter. lect. 284. Un. *Prospexit*.

Pax erat, et vestri, Germanice, causa triumphi
Tradiderat famulas iam tibi Rhenus aquas.
Iane, face aeternos pacem pacisque ministros,
Neve suum, praesta, deserat auctor opus.
Quod tamen ex ipsis licuit mihi discere fastis:
Sacravere patres hac duo templa die.
Accepit Phoebo Nymphaque Coronide natum
Insula, dividua quam premit amnis aqua.
Iuppiter in parte est; cepit locus unus utrumque,
Iunctaque sunt magno templa nepotis avo.

Quid vetat et stellas, ut quaeque oriturque caditque,
Dicere? promissi pars fuit ista mei.
Felices animos, quibus haec cognoscere primis,
Inque domos superas scandere cura fuit!
Credibile est illos pariter vitiisque locisque
Altius humanis exseruisse caput.
Non Venus et vinum sublimia pectora fregit,
Officiumve fori, militiaeve labor.
Nec levis ambitio, perfusaque gloria fuco,
Magnarumve fames sollicitavit opum.
Admovere oculis distantia sidera nostris,
Aetheraque ingenio supposuere suo.

---

285. Res facta a. U. C. 770. p. C. 17. 286. Multi *domitas*, ceteri *fam.* quod Hs rec. 287. Nonnulli legere videntur *fac.* — Un. *magistros.* Hs mav. *sequestrem* vel *sequestrum.* 288. Un. *actor.* 289. Pleriq. *istis.* — Duo *tibi.* 291. Aesculapii templum dedicatur a. U. 463. a. C. 291. Iovis templum a. U. 558. a. C. 196. Cf. Livius XXXIV. 53. 295. Alii *Quis;* Hs e melior. *Quid.* 296. Codd. plurimi *promissi*, alii *propositi.* — Codd. fere omnes *fuit ista*, quod recepi; tres *sit et*, quod Hs et Burm. recep. — Alii *ipsa* aut *illa*, quod ante Hs legebatur. — Mitsch. edid. *mihi.* 297. Alii *animae*, ut ante Hs, qui mav. *animas.* — Duo *promptum.* — Hs e plerisq. melior. *primis*, novem *primum.* 299. Quat. *illas.* — Alii *iocisque*, ut ante Hs. 302. Un. *officiumque.* 304. Un. *que.* — Octo *furor.* 305. Hs ex uno cod. mav. *Adduxere.* — Un. *terris* pro *nostris*, quod Hs non invenustum videbatur et Gierig. recep.

Sic petitur coelum, non ut ferat Ossan Olympus,
Summaque Peliacus sidera tangat apex.
Nos quoque sub ducibus coelum metabimur illis,
Ponemusque suos ad stata signa dies.

Ergo ubi nox aderit venturis tertia Nonis,
Sparsaque coelesti rore madebit humus;
Octipedis frustra quaeruntur brachia Cancri:
Praeceps occiduas ille subivit aquas.

Institerint Nonae, missi tibi nubibus atris
Signa dabunt imbres, exoriente Lyra.

Quattuor adde dies ductos ex ordine Nonis,
Ianus *Agonali* luce piandus erit.
Nominis esse potest succinctus causa minister,
Hostia coelitibus quo feriente cadit;
Qui calido strictos tincturus sanguine cultros,
Semper, *Agatne*, rogat; nec nisi iussus agit.
Pars, quia non veniant pecudes, sed agantur, ab actu
Nomen *Agonalem* credit habere diem.

---

308. Un. *Imaque*. 309. Octo *meditabimur*, un. *numerabimus*. 310. E. melior. Hs c. Neap. *stata* rec. pleriq. *vaga*. 311. Pfaff de ortib. sider. leg. *aberit*. 312. Tres *madescit*, hinc Hs. coni. *madescet*. 313. Pauci *quaerentur*, quod ante Hs legebatur. 314. Omnes *subibit*; nostr. Hs sine cod. scripsit. 315. Multi *Obstiterint imbres*, quod multis placet; un. *Instit. imbres* et in seq. vs. *Nonae signa dab*. Taubner vult *mitti*, alii *nisi si tibi*, vel *nisi de* vel *missi de*, un. *nisi sit tibi nubilus aer*, unde Hs mav. *si sit subnubilus*. 317. Novem *dictis*, al. *ductis*, quod Hs et alii servar. nostr. hab. quatuordecim; un. *dictos*, alius *ductas — noctes*. 319. Codd. fere omnes *potest*, quod reduxi, un. tantum *potes*, quod Hs rec. 322. Quat. praestantior. *Agone*, quod Hs rec. ceteri *Agatne*, quod ego recep. — Undecim *rogas*, quod idem recipit, alii *rogat*, un. *roges*. — Alii *ne nisi iuss. agas*, quod Burm. placet. — Alii *agat* vel *aget*, pleriq. *agit*. Reduxi vulgat. plurimor. codd. et edd. lectionem. Hs nullo cod. scr. et rec. *agis*.

Pars putat hoc festum priscis *Agnalia* dictum,
Una sit ut proprio littera dempta loco.
An, quia praevisos in aqua timet hostia cultros,
A pecoris lux est ista notata metu?
Pars etiam, fieri solitis aetate priorum
Nomina de ludis Graia tulisse diem.
Et pecus antiquus dicebat *Agonia* sermo:
Veraque iudicio est ultima causa meo.
Utque ea nunc certa est, ita Rex placare sacrorum
Numina lanigerae coniuge debet ovis.
Victima, quae dextra cecidit victrice, vocatur;
Hostibus a motis *hostia* nomen habet.
Ante, deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, et puri lucida mica salis.
Nondum pertulerat lacrimatas cortice myrrhas
Acta per aequoreas hospita navis aquas;
Tura nec Euphrates, nec miserat India costum,
Nec fuerant rubri cognita fila croci.
Ara dabat fumos, herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus adusta sono.

---

326. Un. *Unaque sit pr.* — Un. *primo.* 327. Alii *Aut.* 328. Alii *ipsa*, melior, *ista*, quod Hs rec. — Un. *vocata.* Ap. Graecos ἀγωνία *metus*, ap. eosdem ἀγῶνες *ludi.* 329. Alii *Fas etiam*, plures mel. *Pars*, quod Hs rec. — Idem mav. *aetate priori.* 330. Codd. pleriq. *Graeca*, duo *grata*, ex quo Hs nostr. fecit. 331. Octo melior, *pecus*, quod c. Ciof. Hs rec. alii *prius.* — Alii *Agimina.* 333. Pleriq. vetust. *non certa*, quod Ciof. et Neap. placet; undecim *nunc*, quod Hs rec. 335. Un. *cecidit dextra.* 336. Omnes fere *a domitis*, duo meliores *amotis*, quod Hs rec. sed coniunctim, ego disiunxi; *motis* enim hoc est *depulsis, remotis hostibus* tantum *hostiam*, victis *victimam* immolabant. 338. Un. *liquidi*, quod Hs placet. 339. Un. *contulerat.* — Quat. *lacrimatam* — *myrrham.* 343. Duo *contecta*, sex *contemta. Herba Sab.* ap. nos *Savinarium* (der Sevenbaum), ap. Graecos βράθυ, de quo Hesych. πόα τοῖς θεοῖς θυομένη. Propert. IV, 3, 58. Et crepat ad veteres herba Sabina focos. — De *lauri* credita vi malum averruncandi cf. Casaub. Theophr. 16. p. 175 ed Fisch. Tibull. II, 6, 81. Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis.

Si quis erat, factis prati de flore coronis
Qui posset violas addere, dives erat.
Hic, qui nunc aperit percussi viscera tauri,
In sacris nullum culter habebat opus.
Prima Ceres avidae gavisa est sanguine porcae,
Ulta suas merita caede nocentis opes.
Nam sata, vere novo, teneris lactentia succis,
Eruta setigerae comperit ore suis.
Sus dederat poenas. Exemplo territus huius
Palmite debueras abstinuisse, caper.
Quem spectans aliquis dentes in vite prementem,
Talia non tacito dicta dolore dedit:
Rode, caper, vitem: tamen huic, quum stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit, erit.
Verba fides sequitur: noxae tibi deditus hostis
Spargitur affuso cornua, Bacche, mero.
Culpa sui nocuit: nocuit quoque culpa capellae.
Quid bos, quid placidae commeruistis oves?

---

345. Alii *fractis* aut *flexis*, un. *plexis*. Modius Novant. lectt. ep. 63. leg. *flexis* aut *plexis*; Burm. coni. *pactis*. 350. Un. *suis* — Duo *merito*. 351. Pro *teneris* un. *primis*. — Codd. pleriq. *sulcis*, quod Hs rec., al. *succis*, quod Burm. rec. Pontedera leg. *fibris*, alius quid. *culmis*. Cf. Schneider Scr. R. R. T. II, p. 520. 352. Quat. *concipit*. 356. Pleriq. *dicta*, alii *verba*, septem *digna*. — Pro *dedit* quat. *refert*. 357. Quinq. *hic*, ceteri *hinc*, un. *huic*, quod c. Hs praetuli. Cf. Eueni epigr. in Anthol. gr. T. I. p. 165. Κ῎ην με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω, Ὅσσον ἐπισπεῖσαί σοι, τράγε, θνομένῳ. 359. Un. optim. et multae edd. *noxae tibi deditus*, quod Hs rec.; quinq. *mox et*, ceteri *noxa*. Pleriq. *debitus*. 360. Alii *Spargit et* — Alii *effuso*, un. *a fuso*, alius *infuso*. — Etiam Virg. G. II, 380. Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris Caeditur. Varro R. R. I, 2, 18. Caprae omnia novella sata carpendo corrumpunt, non minimum vites atque oleas. Sic factum, ut Libero patri, repertori vitis, hirci immolarentur, proinde, ut capite darent poenas.

Flebat Aristaeus, quod apes cum stirpe necatas
Viderat inceptos destituisse favos.
Caerula quem genitrix aegre solata dolentem,
Addidit haec dictis ultima verba suis:
Siste, puer, lacrimas! Proteus tua damna levabit,
Quoque modo repares, quae periere, dabit.
Decipiat ne te versis tamen ille figuris,
Impediant geminas vincula firma manus.
Pervenit ad vatem iuvenis, resolutaque somno
Alligat aequorei brachia capta senis.
Ille sua faciem transformis adulterat arte:
Mox domitus vinclis in sua membra redit,
Oraque caerulea tollens rorantia barba,
Qua, dixit, repares arte, requiris, apes.
Obrue mactati corpus tellure iuvenci:
Quod petis a nobis, obrutus ille dabit.
Iussa facit pastor. Fervent examina putri
De bove: mille animas una necata dedit.
Poscit ovem fatum. Verbenas improba carpsit,
Quas pia dis ruris ferre solebat anus.

---

363. Un. *cum prole*, quod Burm. elegantius et verius esse censet. Copiose fabulam narrat Virg. G. IV, 281 seq. 364. Septem *deseruisse*. 368. Un. *modum*, quod non inelegans dicit esse Burm. 369. Edd. quaed. *variis*. 370. Un. *geminos — pedes*. — Un. *dura*. 371. Duo *reductaque*. 372. Un. *dei*. 373. Codd. omnes praeter unum *suam*. — Pleriq. *transformat et alterat*, sex ex optim. *transformis adult.*, quod Hs. rec. De huius transformatione Homer. Od. IV, 456 et ipse Ovid. M. VIII, 734. Nam modo te iuvenem, modo te videre leonem; Nunc violentus aper, nunc quem tetigisse timerent, Anguis eras; modo te faciebant cornua taurum; Saepe lapis poteras, arbor quoque saepe videri; Interdum faciem liquidarum imitatus aquarum, Flumen eras, interdum undis contrarius ignis. 381. Alii *Parit ovis pratum*, alii *Pascit ovis pratum* vel *prato*, alii *Pascit ores pratum*, sex ex optim. nostr. habent, quod Hs rec.

Quid tuti superest, animam quum ponat in aris
Lanigerumque pecus, ruricolaeque boves?
Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda deo.
Quod semel est triplici pro virgine caesa Dianae,
Nunc quoque pro nulla virgine cerva datur.
Exta canum vidi Triviae libare Sapaeos,
Et quicumque tuas accolit, Haeme, nives.
Caeditur et rigido custodi ruris asellus.
Causa pudenda quidem est, huic tamen apta deo.
Festa corymbiferi celebrabat Graecia Bacchi,
Tertia quae solito tempore bruma refert.
Dî quoque cultores gelidi venere Lycaei,
Et quicumque ioci non alienus erat:
Panes, et in Venerem Satyrorum prona iuventus,
Quaeque colunt amnes solaque rura, deae.

---

383. Quinq. *ruri*, duo *turi*. — Un. *in aram*. 385. Burm. mav. *Perses*, ne duo vocabula in *is* exeuntia offendant aures. — Quat. *comptum*. Xenoph. Cyrop. VIII, 3, 12. Μετὰ δὲ τοὺς βοῦς ἵπποι ἤγοντο, θῦμα τῷ Ἡλίῳ. 387. Hs e melior. *Quod*, ceteri *Quae* — Pro *triplici* duo *geminae*, un. *gemina*. Hs mav. *Aegaeae* vel *Euboeae*. *Triplex* Diana eadem, quae Hecate, de qua supra 141. 388. Plurimi *datur*, quod ego recepi, alii *cadit*, quod Hs rec. 389. Quinq. *canis*. — Codd. pleriq. *Sabaeos* aut *Saphaeos*; quat. aut quinq. *Sapaeos*, quod e. Neap. Hs. rec. — Un. *video*. — Un. *mactare*. 391. Un. *alumnus*. 392. E melior. *huic* rec. Hs, ceteri *sed*. 393. Codd. vetustior. *racemiferi* — Duo *celebrabas*, quod Hs et Burm. recep.; un. *celebrabant*; ego ceteror. lect. recepi. Sunt Trieterides sive sacra trieterica. 395. Ita quat. ex melior. quod Hs rec.; alii ex optim. *in idem ven. Lyaei*, quod Gier. rec.; alii *in idem — Lycei*. Ceterum Hs hic et alibi scripsit *Lycei* pro *Lycaei*. Graeci dicunt Λύκαιον. 396. Nonnulli *ioci*, quod Hs rec.; alii *mero*, quod Modius Novant. lectt. ep. 63. praefert; alii *locis* aut *loci*. 397. Hoc distichon ut antecedenti praeponatur, suadet Hs.

Venerat et senior pando Silenus asello,
  Quique rubro pavidas inguine terret aves.
Dulcia qui dignum nemus in convivia nacti
  Gramine vestitis accubuere toris.
Vina dabat Liber: tulerat sibi quisque coronam.
  Miscendas parce rivus agebat aquas.
Naïdes effusis aliae sine pectinis usu,
  Pars aderant positis arte manuque comis.
Illa super suras tunicam collecta ministrat,
  Altera dissuto pectus aperta sinu.
Exserit haec humerum, vestem trahit illa per herbas,
  Impediunt teneros vincula nulla pedes.
Hinc aliae Satyris incendia mitia praebent:
  Pars tibi, qui pinu tempora nexa geris.
Te quoque, inexstinctae Silene libidinis, urunt.
  Nequitia est, quae te non sinit esse senem.
At ruber hortorum deus et tutela Priapus
  Omnibus ex illis Lotide captus erat.
Hanc cupit, hanc optat: sola suspirat in illa:
  Signaque dat nutu, sollicitatque notis.
Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam.
  Irrisum vultu despicit illa suo.

---

400. Ex plerisque nostr. rec. Hs; alii *Qui rubroque avidas* aut *Quique rubro lividas*, aut *Quique ruber pavidas*, tres *Quique rubens avidas*. 402. Duo *incub.*, duo *concub.*, duo *occubuere*. 404. Quinque *parce*, quod Hs rec. et iam ante Modius Novant. lectt. ep. 63. praetulit; ceteri *large*. 405. Un. *Naiades*. 406. Alii *aderat*. — Pro *positis*, quod c. Ciof. Hs rec. ceteri *comptis*. 407. Duo *succincta*. 408. Alii *diffuso*, *desucto*, *de sicco*, *disiecto*, *distento*. 409. Octo *humeros*, quod Burm. mav. ne duo vocabula in *m* excuntia aures offendant. — Alii *vestes*, meliores *vestem*, quod Hs rec. 411. Quinque *mutua*. 413. Septem *urguent*. 415. Sex boni *decus*, quod Hs rec.; ego ceteror. lect. recepi. 417. Plurimi *solam* — *illam*. 418. Duo *nictu* — Pro *notis* sex *manu*. 419. Hs mav. *pulchrae*. 420. Quidam *decipit*. Pro *suo* un. *deum*, alius *senem*.

Nox erat, et, vino somnum faciente, iacebant
Corpora diversis victa sopore locis.
Lotis in herbosa sub acernis ultima ramis,
Sicut erat lusu fessa, quievit humo.
Surgit amans, animamque tenens vestigia furtim
Suspenso digitis fert taciturna gradu.
Ut tetigit niveae secreta cubilia Nymphae,
Ipsa sui flatus ne sonet aura, cavet.
Et iam finitima corpus librabat in herba:
Illa tamen multi plena soporis erat.
Gaudet, et, a pedibus tracto velamine, vota
Ad sua felici coeperat ire via.
Ecce rudens rauco Sileni vector asellus
Intempestivos edidit ore sonos.
Territa consurgit Nymphe, manibusque Priapum
Reiicit, et fugiens concitat omne nemus.
At deus, obscena nimium quoque parte paratus,
Omnibus ad lunae lumina risus erat.
Morte dedit poenas auctor clamoris: et hinc est
Hellespontiaco victima grata deo.
Intactae fueratis aves, solatia ruris,
Assuetum silvis innocuumque genus,
Quae facitis nidos, quae plumis ova fovetis,
Et facili dulces editis ore modos.
Sed nihil ista iuvant, quia linguae crimen habetis,
Dîque putant mentes vos aperire suas.

---

421. Un. *somnum vino.* 422. Sex *vincta,* un. *iacta.* 424. Alius *lassa.* 428. Alii *Ipse, sui.* Melior. *Ipsa,* quod Hs rec. 432. Tres *fallaci.* 434. Un. *modos.* 435. Omnes fere *consurgit;* duo tantum *consurgens,* quod Hs et Burm. recep., ego repudiavi. 436. Sex *concutit,* tres *suscitat,* duo *territat.* 440. Duo *sacra.* Pro *deo* un. *mari.* 442. Un. *assiduum.* 443. Alii *et plumis,* ex tribus Hs rec. *quae pl.* 444. Un. *Quae fac.* — Multi *sonos.* 445. Un. *nil.*

Nec tamen id falsum: nam, dis ut proxima quaeque,
Nunc penna veras, nunc datis ore notas.
Tuta diu volucrum proles tum denique caesa est,
Iuveruntque deos indicis exta sui.
Ergo saepe suo coniux abducta marito
Uritur in calidis alba columba focis.
Nec defensa iuvant Capitolia, quo minus anser
Det iecur in lances, Inachi lauta, tuas.
Nocte deae Nocti cristatus caeditur ales,
Quod tepidum vigili provocat ore diem.
Interea Delphin clarum super aequora sidus
Tollitur, et patriis exserit ora vadis.

Postera lux hiemem medio discrimine signat,
Aequaque praeteritae, quae superabit, erit.

Proxima prospiciet Tithono Aurora relicto
Arcadiae sacrum pontificale deae.
Te quoque lux eadem, Turni soror, aede recepit,
Hic ubi Virginea campus obitur aqua.
Unde petam causas horum moremque sacrorum?
Dirigat in medio quis mea vela freto?

---

447. Alii *hoc f.* — Duo *falso.* — Alii *quaeque est,* melior. *est* omittunt. 448. Alii *vetitas.* In auguriis aves sunt aut *praepetes* aut *oscines.* 449. Tres *volucris* — Tres *nunc denique.* 451. Un. *adiuncta,* sex *adducta.* 452. Un. *ignitis,* quod Hs placet, vel quod coniec. *Idaliis* sive *in Cnidiis.* — Sex *blanda col.* De anseribus Capitolii servatoribus a. U. 363. a. C. 391. cf. Liv. V, 47. De Iside, Inachi filia, v. Ovid. M. I, 747. 454. Alii *Inache laute,* alii *In. vacca* aut *bacca* aut *diva.* 455. Codd. omnes *Noctis;* un. optim. *Nocti,* quod Hs rec. 456. Alii *provocet.* 457. Alii *aethera.* 461. Alii *respiciet, perspiciet, conspiciet.* — Pro *Aurora* septem *nupta,* quod Hs rec. ego ceter. lect. servavi. 464. Aquae ductus, Virgo aqua appellatus, ab Agrippa ductus erat a colle hortorum usque ad Campum Martium, in cuius vicinia aedes Iuturnae erat. 465. Plurimi *moresque.* 466. Multi *diriget,* alii *dirigit.*

Ipsa mone, quae nomen habes a carmine ductum,
Propositoque fave, ne tuus erret honos.
Orta prior Luna, — de se si creditur ipsi —
A magno tellus Arcade nomen habet.
Hic fuit Euander, qui, quamquam clarus utroque,
Nobilior sacrae sanguine matris erat,
Quae, simul aetherios animo conceperat ignes,
Ore dabat vero carmina plena dei.
Dixerat haec, nato motus instare sibique,
Multaque praeterea, tempore nacta fidem.
Nam iuvenis vera nimium cum matre fugatus
Deserit Arcadiam Parrhasiumque larem.
Cui genitrix flenti, Fortuna viriliter, inquit,
— Siste, puer, lacrimas! — ista ferenda tibi est.
Sic erat in fatis, nec te tua culpa fugavit,
Sed deus; offenso pulsus es urbe deo.
Non meriti poenam pateris, sed numinis iram.
Est aliquid magnis crimen abesse malis.
Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectora pro facto spemque metumque suo.

---

467. Pro *Ipsa* Hs mav. *Nympha* vel *Diva*, ut III, 261. — Nonn. *dictum*. 468. Alii *honor*. 469. Un. *prius* — Un. *cr. ulli*, duo *illi*; septem *credimus ipsis*. Cf. II, 289. V, 90. Arcades προσέληναι. Apollon. Rhod. IV, 224. Οὔπω τείρεα πάντα, τάτ' οὐρανῷ εἰλίσσονται — οἷοι δ' ἔσαν Ἀρκάδες Ἀπιδανῆες, Ἀρκάδες, οὓς καὶ πρόσθε σεληναίης ὑδέονται Ζώειν φηγὸν ἔδοντες ἐν οὔρεσιν. Cf. Bredow Untersuchungen a. d. Gesch. St. 1. p. 78. 471. Alii *Hinc*. 473. Alii *aethereos*. 474. Sex nostr. legunt, quod Hs rec., alii *pleno carm. vera*. Cf. VI, 538. Lucan. IX, 564. Ille deo plenus — effudit — voces. — Est vates ἔνθεος, θεόληπτος. 476. Un. *Multa pr.*, alius *praeterito*, ex quibus lectt. Hs coni. *Multam praeterito*. 477. Un. *nimium vera*. 478. Un. *Arcadium*, quod Hs edidit, ego repudiavi. Pro *larem* un. *nemus*. 480. Plurimi *Siste precor*, quinq. *puer*, quod Hs rec. 482. Tres *Nec tamen off.*, alii tres: *Sed tamen off.*, alii *infenso*. 483. Al. *Nec mer*. 484. Un. *magni*. Cf. IV, 311. 486. Burm. mav. *spemve metumve*.

Nec tamen ut primus maere mala talia passus:
Obruit ingentes ista procella viros.
Passus idem, Tyriis qui quondam pulsus ab oris
Cadmus in Aonia constitit exsul humo.
Passus idem Tydeus, et idem Pagasaeus Iason,
Et quos praeterea longa referre mora est.
Omne solum forti patria est, ut piscibus aequor,
Ut volucri, vacuo quidquid in orbe patet.
Nec fera tempestas toto tamen horret in anno,
Et tibi — crede mihi — tempora veris erunt.
Vocibus Euander firmata mente parentis
Nave secat fluctus, Hesperiamque tenet.
Iamque ratem doctae monitu Carmentis in amnem
Egerat, et Tuscis obvius ibat aquis.
Fluminis illa latus, cui sunt vada iuncta Terenti,
Adspicit, et sparsas per loca sola casas.
Utque erat, immissis puppim stetit ante capillis,
Continuitque manum torva regentis iter;
Et procul in dextram tendens sua brachia ripam,
Pinea non sano ter pede texta ferit;

---

487. Plures *moeres* (maeres). 488. Un. *lacta*, hinc Hs coni. *lata*. 489. Alii *idem est*. 491. Alii *P. idem est*. — Alii *Pegasacus*, quod Ciof. praefert. Ceterum Hs et Burm. terminationem *seus* praeferunt, etsi Graeci scribunt Παγασαῖος. 493. Ex Euripid. Fragm. p. 270 ed. Valck. Ἅπας μὲν ἀὴρ ἀετῷ περάσιμος· Ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς. 495. Pleriq. *erat in*; nostr. ex septem rec. Hs. Unus: *Et fera t. toto non errat in a.* — Horat. Od. II, 10, 15. informes hiemes reducit Iuppiter, idem Summovet. Non, si male nunc, et olim Sic erit. 496. Un. *En tibi*. 497. Alii *et firmus mente* aut *et firma m.*, meliores nostr. idq. Hs rec. 498. Alii *Italiamque*, un. *Ausoniamque*. 500. Alii *vexerat*, fortasse pro *rexerat*. 501. Codd. fere omnes *Tarenti*, meliores pauci *Terenti*. 502. Pleriq. *sparsas*, alii *solas*. 503. Alii *incultis* aut *intonsis*. 504. Sex *manu*, duo *manus*. 505. Duo *lumina*.

Neve daret saltum properans insistere terrae,
Vix est Euandri vixque retenta manu;
Dique petitorum, dixit, salvete locorum,
Tuque novos coelo terra datura deos,
Fluminaque, et Fontes, quibus utitur hospita tellus,
Et nemorum Nymphae, Naïadumque chori!
Este bonis avibus visi natoque mihique,
Ripaque felici tacta sit ista pede!
Fallor? an hi fient ingentia moenia colles,
Iuraque ab hac terra cetera terra petet?
Montibus his olim totus promittitur orbis.
Quis tantum fati credat habere locum?
Et iam Dardaniae tangent haec litora pinus.
Hic quoque causa novi femina Martis erit.
Care nepos, Palla, funesta quid induis arma?
Indue: non humili vindice caesus eris.
Victa tamen vinces, eversaque Troja resurges;
Obruet hostiles ista ruina domos.
Urite victrices Neptunia Pergama flammae:
Num minus hic toto est altior orbe cinis?

---

507. Alii *ripae*. 508. Hs mav. *Euandra* aut *Vix, Euandre, tua — manu est*. — Un. *dira retenta*. 512. Pleriq. melior. *nemorum silvae*, un. *nemora et silvae*, quod Burm. rec., tres *nemorum divae*, quod Hs rec.; ego rec. vulgat. prior. editt. lectionem. 513. De Paride Helenam secum rapiente Horat. Od. I, 15, 5. mala ducis avi domum. 514. Un. *Istaque felici ripa sit icta pede*. 516. Un. optim. *cetera turba*. — Un. *petent*, alius *feret*. 518. Hs coni. *tantum hunc fati cr. h. locum* aut *huic — inesse loco*. 519. Alii *Dardanidae*. Hs mav. *Dardanides*. Quatuor nostr. habent. 520. Hs mav. *His*. — Haec Aeneae de Lavinia cum Turno gesta bella describit Virg. in Aeneidos libris sex posterioribus. 521. Pallanta, Euandri filium, a Turno interemptum ulciscitur Aeneas. Cf. Virg. A. X, 510. 524. Virg. A. I, 283. Veniet lustris labentibus aetas, Quum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas Servitio premet, ac victis dominabitur Argis. 525. Octo *moenia*. 526. Alii *Nunc minor* aut *Non minor*, aut *Num minor*, unus *Nec minus*, tres *Non minus*, tres alii *Num mi-*

Iam pius Aeneas sacra, et sacra altera patrem,
Afferet: Iliacos excipe, Vesta, deos.
Tempus erit, quum vos orbemque tuebitur idem,
Et fient ipso sacra colente deo:
Et penes Augustos patriae tutela manebit.
Hanc fas imperii frena tenere domum.
Inde nepos natusque dei — licet ipse recuset —
Pondera coelesti mente paterna feret.
Utque ego perpetuis olim sacrabor in aris,
Sic Augusta novum Iulia numen erit.
Talibus ut dictis nostros descendit ad annos,
Substitit in medios praescia lingua sonos.
Puppibus egressus Latia stetit exsul in herba.
Felix, exsilium cui locus ille fuit!
Nec mora longa fuit; stabant nova tecta, nec alter
Montibus Ausoniis Arcade maior erat.
Ecce boves illuc Erytheïdas applicat heros,
Emensus longi claviger orbis iter.

---

nus, quod Hs rec. Duo comparativi, ut Florus IV, 2, 47 minus admirabilior. Cic. Flacc. 14 magis gravioribus.

527. Un. *sacra altera et altera patrem.* 528. Un. *Auferet,* quod Hs plac. Burm. vult *Efferet,* etsi vulgatum defendi posse iudicat, ex IV, 78 et V, 90. — Multi *accipe.* 529. Edd. quaed. *quo vos.* Est *Iulius Caesar,* Pontifex maximus et gentium victor. Alter est *Caesar Octavianus Augustus,* vivus a. U. 718 ad deos evectus. Tertius est *Tiberius,* Iulii Caesaris nepos, Augusti filius. 530. Duo *colenda.* 531. Duo *Quum penes.* — Un. *manebis,* quod Hs placet. 532. Un. *iura.* 533. Un. *Inde satusque neposque* — Un. *usque recuset.* 536. Alii *Livia.* 537. Alii *Talibus auspiciis nostr.,* alii multi et Hs: *Talibus ausp. nostr. desc. ad agros:* Edd. novae sine codd. auct. *nostros dictis desc.* — Pleriq. *in annos,* duo tantum *ad annos,* quod c. Burm. recepi, cui lectioni altera *ad agros* favet. 538. Un. *in medio — sono.* Sligtenhorst ap. Burm. leg. *in mediis — sonis.* 540. Pro *fuit* Hs mav. *suum.* 541. Hs mav. *longa subit* propter antecedens *fuit.* 543. Hs coni. *appulit,* ut VI, 80. — Un. *oras,* Hs mav. *orae.* — De hac fabula cf. Virg. A. VIII, 190 sq. et Liv. I, 7. — Insula Oceani *Erythea* domicilium tergemini Geryonis.

Dumque huic hospitium domus est Tegeaea, vagantur
Incustoditae laeta per arva boves.
Mane erat: excussus somno Tirynthius hospes
De numero tauros sentit abesse duos.
Nulla videt taciti quaerens vestigia furti:
Traxerat aversos Cacus in antra ferox;
Cacus, Aventinae timor atque infamia silvae,
Non leve finitimis hospitibusque malum.
Dira viro facies, vires pro corpore, corpus
Grande, pater monstri Mulciber huius erat;
Proque domo longis spelunca recessibus ingens,
Abdita, vix ipsis invenienda feris.
Ora super postes affixaque brachia pendent,
Squalidaque humanis ossibus albet humus.
Servata male parte boum Iove natus abibat:
Mugitum rauco furta dedere sono.
Accipio revocamen, ait, vocemque secutus
Impia per silvas ultor ad antra venit.
Ille aditum fracti praestruxerat obiice montis:
Vix iuga movissent quinque bis illud onus.

---

545. Alii *Tegaea* aut *Tegeea*, ut cum Dan. Hs. Burm. scribendum esse censet. Quid verum sit, ambigitur. Ex sermone graeco nihil discimus, quum Graeci Τεγεάτης et Τεγεατικός dicant. 546. Alii *lata*, quod Burm. rec. Ego rec. quod in septem codd. optim. est et confirmatur a Liv. I, 7. *laetum pabulum*. 547. Un. vetust. *hospes*, quod Hs rec., codd. fere omnes *heros*, alius *auctor*, ex quo Hs mav. *actor*. 548. Alii *sensit*. 549. Un. *quaerens taciti*. 550. Codd. pleriq. *ferox*, ceteri *boves*, un. *feros*, quod Hs rec. Ego praefero *ferox* aut *boves*, quor. illud recepi. 551. Un. *tremor*, quod Burm. placet. Ita Martial. V, 65. Silvarumque tremor, tacita qui fraude solebat Ducere nec rectas Cacus in antra boves. 553. Alii *Dura*. 554. Multi *Mulcifer*. 556. Un. optim. *Obdita* — Duo *vix ullis*. 559. Un. *abibas* quod Hs et Burm. rec. ego alterum retinui. 561. Alii multi *revocamur*. — Un. *vocesque*. 562. Alii *victor*. 563. Un. *strati pr. obiice saxi*. 564. Tres tantum *opus*, quod Burm. rec. ego ceter. lect. servavi. Ap. Virg.

Nititur hic humeris, — coelum quoque sederat illis —
Et vastum motu collabefactat onus.
Quod simul evulsum est, fragor aethera terruit ipsum,
Ictaque subsedit pondere molis humus.
Prima movet Cacus collata proelia dextra,
Remque ferox saxis stipitibusque gerit.
Quis ubi nil agitur, patrias male fortis ad artes
Confugit, et flammas ore sonante vomit.
Quas quoties profiat, spirare Typhoëa credas,
Et rapidum Aetnaeo fulgur ab igne iaci.
Occupat Alcides, adductaque clava trinodis
Ter quater adversi sedit in ore viri.
Ille cadit, mixtosque vomit cum sanguine fumos,
Et lato moriens pectore plangit humum.
Immolat ex illis taurum tibi, Iuppiter, unum
Victor, et Euandrum ruricolasque vocat,
Constituitque sibi, quae Maxima dicitur, aram,
Hic ubi pars urbis de bove nomen habet.
Nec tacet Euandri mater, prope tempus adesse,
Hercule quo tellus sit satis usa suo.

A. X, 899. Aeneas saxum torquet: Vix illud lecti bis sex cervice subirent, Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

565. Un. *humero — illi.* Ovid. Her. IX, 17. Quod te laturum est coelum, prior ipse tulisti: Hercule supposito sidera fulsit Atlas. 567. Quinque *evulsum*, alii *eversum*, Neap. vult *avulsum*. Quum *est* a nonn. codd. absit, Hs scribit: *Quo simul evulso.* — Un. *verberat*, tres *concutit*. 568. Alii *Iactaque, laesaque, laxaque*, (*m*) *oraque, actaque.* — Alii *mollis*, meliores *molis*, quod Hs rec. 570. Un *ferus*, alius *feram*. 572. Un. *Effugit.* — Un. *tonante*. 573. Multi *perflat*, un. *conflat*, alius *efflat*. Ovid M. V, 352. (Typhoëi) Degravat Aetna caput, sub qua resupinus arenas Eiectat, flammamque fero vomit ore Typhoeus. 574. Septem *aethereo*. 575. Alii *abductaque*. 576. Nonn. *adverso*, un. *adversus*. 577. Novem *mixtoque*, alii *mixtasque — flammas*, quatuor nostr. habent. Virg. I. c. *Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu, Evomit*. 578. Quat. *tangit*, tres *pulsat*. 579. Un. *tauris*. 581. Alii *Instituitque.* — Taubner leg. *tibi*.

At felix vates, ut dîs gratissima vixit,
Possidet hunc lani sic dea mense diem.

Idibus in magni castus Iovis aede sacerdos
Semimaris flammis viscera libat ovis:
Redditaque est omnis populo provincia nostro,
Et tuus Augusto nomine dictus avus.
Perlege dispositas generosa per atria ceras;
Contigerunt nulli nomina tanta viro.
Africa victorem de se vocat: alter Isauras,
Aut Cretum domitas testificatur opes;
Hunc Numidae faciunt, illum Messana superbum;
Ille Numantina traxit ab urbe notam.
Et mortem et nomen Druso Germania fecit.
Me miserum, virtus quam brevis illa fuit!
Si petat a victis, tot sumat nomina Caesar,
Quot numero gentes maximus orbis habet.
Ex uno quidam celebres, aut torquis ademptae,
Aut corvi titulos auxiliaris habent.
Magne, tuum nomen rerum mensura tuarum est:
Sed qui te vicit, nomine maior erat.
Nec gradus est ultra Fabios cognominis ullus;
Illa domus meritis Maxima dicta suis.
Sed tamen humanis celebrantur honoribus omnes:
Hic socium summo cum Iove nomen habet.

---

586. Sex *hanc.* — Un. *dea facta.* 588. Duo *flammas.* Burm. mav. *flamma.* 589. Utrumque factum eodem anno U. 727, non tamen eod. die. 591. Sex *cinerosa,* alii *numerosa,* al. *annosa.* 592. Alii *Contigerint;* pleriq. *Contigerant;* un. nostr. habet, quod c. Scaligero Hs rec. 593. Quinq. *Isaurum,* un. *Isauram,* duo *Isauros.* 599. Alii *sumet.* 601. Alii *adeptae,* aut *adepti,* aut *adempti,* nostr. septem meliores habent. 603. Un. *rerum est.* 604. Codd. boni *te quoque maior.* Hinc Hs. coni. *se* aut *re quoque,* etsi vulg. non esse movendam iudicat. 605. Alii *est Fabios supra cogn.* Un. *supra Fab.* 608. Quatuor *magno cum I.* — Quadraginta, ut ait Burm., leg. *numen.*

Sancta vocant *augusta* patres: *augusta* vocantur
Templa sacerdotum rite dicata manu.
Huius et augurium dependet origine verbi,
Et quodcumque sua Iuppiter auget ope.
Augeat imperium nostri ducis, augeat annos:
Protegat et vestras querna corona fores.
Auspicibusque deis tanti cognominis heres
Omine suscipiat, quo pater, orbis onus.

Respiciet Titan actas ubi tertius Idus,
Fient Parrhasiae sacra relata deae.
Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant:
— Haec quoque ab Euandri dicta parente reor —
Mox honor eripitur, matronaque destinat omnis
Ingratos nulla prole novare viros;
Neve daret partus, ictu temeraria caeco
Visceribus crescens excutiebat onus.
Corripuisse patres ausas immitia nuptas,
Ius tamen exemptum restituisse, ferunt.
Binaque nunc pariter Tegeaeae sacra parenti
Pro pueris fieri virginibusque iubent.
Scortea non illi fas est inferre sacello,
Ne violent puros exanimata focos.
Si quis amas ritus veteres, assiste precanti:
Nomina percipies non tibi nota prius.

---

609. Un. *Sancta p. augusta voc.* 610. Un. *sacerdotis.* 611. Multi *originis urbi.* 614. Alii *nostras*, un. *meritas.* Hs mav. *notas.* 615. Un. *Auspiciisque dei.* 616. Alii *urbis*, nostr. in plerisq. vetustior. 618. Nonn. *relicta*, un. *prolata.* 622. Multi *iuvare.* — Un. *mares.* 623. Un. *certo*, alius *tecto.* 626. Alii *ereptum*, undecim *amissum*, tres *exceptum*, un. *exertum*, un. *ablatum.* 629. Tres *intrare.* 630. Un. *Ne tennent*, ex quo Hs coni. *Ne temerent.* — Alii *exta cremata*, un. *contaminata*, alius *extenuata.* 631. Un. *veteres ritus.*

Porrima placantur Postvertaque, sive sorores,
Sive fugae comites, Maenali Nympha, tuae.
Altera, quod porro fuerat, cecinisse putatur:
Altera, versurum postmodo quidquid erat.

Candida te niveo posuit lux proxima templo,
Qua fert sublimes alta Moneta gradus:
Nunc bene prospicies Latiam, Concordia, turbam:
Nunc te sacratae restituere manus.
Furius antiquum populi superator Etrusci
Voverat, et voti solverat ante fidem.
Causa, quod a patribus sumptis secesserat armis
Vulgus, et ipsa suas Roma timebat opes.
Causa recens melior. Passos Germania crines
Porrigit auspiciis, dux venerande, tuis.
Inde triumphatae libasti munera gentis,
Templaque fecisti, quam colis ipse, deae.
Haec tua constituit Genitrix et rebus et ara,
Sola toro magni digna reperta Iovis.

---

633. Pleriq. *placatur* — Nonn. *Postventaque*. Hs mav. *Postvortaque*. 634. Plerique *diva*. 636. Codd. plerique *venturum*, duo tantum nostr. habent. 637. Dedicatio templi *Concordiae Augustae* facta a. U. 762, prioris a Camillo voti a. U. 386. 639. Un. *Hinc bene*. — Alii *prospiciens*, alii *prospicias*. 640. Alii *Hic te*. Inde Hs mav. *Ut bene prospicias Latiae, Conc. turbae, Hic te* — Pleriq. *constituere*, sed meliores *restit*. 641. Pleriq. *antiquam*, alii *antiquas*, aut *antiqui*, aut *antiquo*, tres tantum *antiquum*, quod Hs rec. Omisi uncos, quibus includitur. 642. Octo *ante f.* ceteri *ille f.* 643. Quat. mel. *decesserat*; an *desciverat*, addit Hs. 645. Novem *passos*, alii *sparsos* aut *pensos*. 646. Alii *Corrigit* aut *Colligit*. Cf. V, 533. et Trist. II, 227. *Nunc porrigit arcus Parthus eques timida captaque signa manu*. Amor. I, 14, 45. *Nunc tibi captivos mittet Germania crines*. 648. Multi *quae*. — Un. *colit*. — Alii *ipsa*. Hs. mav. *quam colat ipsa*. 649. Alii *Hanc*.

Haec ubi transierint, Capricorno, Phoebe, relicto,
Per iuvenis curres signa gerentis aquam.

Septimus hinc Oriens quum se demiserit undis,
Fulgebit toto iam Lyra nulla polo.

Sidere ab hoc ignis venienti nocte, Leonis
Qui micat in medio pectore, mersus erit.

Ter quater evolvi signantes tempora fastos,
Nec Sementiva est ulla reperta dies:
Quum mihi — sensit enim — Lux haec indicitur, inquit
Musa: quid a fastis non stata sacra petis?
Utque dies incerta sacro, sic tempora certa,
Seminibus iactis est ubi fetus ager.
State coronati plenum ad praesepe iuvenci,
Cum tepido vestrum vere redibit opus.
Rusticus emeritum palo suspendat aratrum:
Omne reformidat frigida vulnus humus.
Villice, da requiem terrae, semente peracta:
Da requiem, terram qui coluere, viris.
Pagus agat festum; pagum lustrate, coloni,
Et date paganis annua liba focis.

---

651. Alii *transierit* aut *transieris*. Hs mav. *Nox* aut *Lux ubi transierit*. 652. Codd. omnes *regentis*. Hs sine cod. edd. *gerentis*. — Alii *aquas*. 653. Alii *dimiserit*. 654. Pro *toto* Hs mav. *furvo* vel *fulvo* vel *pullo*. 657. Un. *fastus*. 658. Alii *Sementinae* aut *Sementita* aut *Sementina*, ut ante Hs, qui ex septem nostr. rec. 661. Pleriq. *sacris*, alii *sacra est*, aut *sacri est*, tres *sacro*, quod Hs rec. — Alii *tempore certo*. 662. Multi vetust. *laetis est*, quod Burm. placet. 664. Francius ap. Burm. vult *Dum* h. e. *donec*. 665. Duo *Villicus* — Un. *suspendit*. 666. Alii *frigore*. 668. Quat. *terrae*. 670. Pro *liba* duo *festa*.

Placentur matres frugum, Tellusque, Ceresque,
Farre suo gravidae visceribusque suis.
Officium commune Ceres et Terra tuentur;
Haec praebet causam frugibus, illa locum.
Consortes operum, per quas correcta vetustas,
Quernaque glans victa est utiliore cibo;
Frugibus immensis avidos satiate colonos,
Ut capiant cultus praemia digna sui.
Vos date perpetuos teneris sementibus auctus,
Nec nova per gelidas herba sit usta nives.
Quum serimus, coelum ventis aperite serenis;
Quum latet, aetheria spargite semen aqua;
Neve graves cultis Cerealia dona, cavete,
Agmine laesuro depopulentur aves.
Vos quoque subiectis, formicae, parcite granis:
Post messem praedae copia maior erit.
Interea crescat scabrae robiginis expers,
Nec vitio coeli palleat aegra seges,
Et neque deficiat macie, neque pinguior aequo
Divitiis pereat luxuriosa suis;
Et careant loliis oculos vitiantibus agri;
Nec sterilis culto surgat avena solo.
Triticeos fetus, passuraque farra bis ignem,
Hordeaque ingenti fenore reddat ager.

---

671. Un. *frugum matres.* 672. Hs mav. *Farre pio,* ut concursus durus *suo, suis* vitetur. — *Gravidae suis* sunt Genitivi. Cf. I, 588. IV, 671. 675. Duo *operis,* pleriq. *superis* vel *superum,* un. *superi,* quod Carrio Emend. II, 10 praefert. 677. Alii pleriq. *fructibus.* — Un. *augete,* quod Hs placet. 681. Un. *serenum,* alius *secundis.* 683. Alii *rura,* al. *culta.* 685. Un. *suppositis.* 687. Codd. pleriq. *rubiginis,* pauci *robiginis,* de scriptura disputatur. 688. Duo *usta,* alii *ulla.* — Duo *Ceres.* Cf. Virg. A. III, 142. *Arebant herbae et victum seges aegra negabat.* 691. Cf. Virg. E. V, 37. *Infelix lolium* et *steriles dominantur avenae.* 694. De scriptura *fenoris* an *foenoris* docti dissentiunt.

Hoc ego pro vobis, hoc vos optate coloni,
  Efficiatque ratas utraque diva preces.
Bella diu tenuere viros: erat aptior ensis
  Vomere: cedebat taurus arator equo.
Sarcula cessabant, versique in pila ligones,
  Factaque de rastri pondere cassis erat.
Gratia dis domuique tuae! religata catenis
  Iampridem nostro sub pede bella iacent.
Sub iuga bos veniat, sub terras semen aratas,
  Pax Cererem nutrit: pacis alumna Ceres.

At quae venturas praecedet sexta Kalendas,
  Hac sunt Ledaeis templa dicata deis.
Fratribus illa deis fratres de gente deorum
  Circa Iuturnae composuere lacus.

Ipsum nos carmen deducit Pacis ad aram.
  Hace erit a mensis fine secunda dies.
Frondibus Actiacis comptos redimita capillos
  Pax ades, et toto mitis in orbe mane.
Dum desunt hostes, desit quoque causa triumphi.
  Tu ducibus bello gloria maior eris.

---

695. Multi *Haec — haec*. 696. Un. ex melior. *Efficiantque*, quod Hs et Burm. rec. ceteri omn. id, quod servavi. 697. Un. *deluere*, ex quo Hs coni. *decuere*. 700. Hs mav. *erant*. 702. Multi *vestro*. 704. Cf. IV, 407. Quatuor *mittit*. 705. Alii *praecedit*. 706. Un. *Ledacis*, ex quo Hs coni. *Ledaicis*. — Douza mav. *diis*, ne rhythmus esset; Francius *die*. Templi dedicatio circa a. U. 759. Cf. Dio Cass. LV, 27. 707. Pleriq. *dies*, quod Neap. pulchrius videtur, Hs asperuatur. 709. Un. *vos*. — Quat. melior. *aram*, ceteri *aras*. Huius arae Pacis dedicatio facta a. U. 744. 711. Bochart. leg. *Actaeis* (h. e. olea) — Alii *canos*, quod Burm. placet. — Un. *redimite*. 713. Codd. optim. *desunt*, alii *desint*. 714. Alii *ades*.

Sola gerat miles, quibus arma coërceat, arma,
Canteturque fera, nil nisi pompa, tuba.
Horreat Aeneadas et primus et ultimus orbis:
Si qua parum Romam terra timebit, amet.
Tura, sacerdotes, pacalibus addite flammis,
Albaque percussa victima fronte cadat:
Utque domus, quae praestat eam, cum pace perennet,
Ad pia propensos vota rogate deos.
Sed iam prima mei pars est exacta laboris,
Cumque suo finem mense libellus habet.

---

715. Alii *coerceat hostes.* 718. Un. *turba.* — Nonn. *timebat.* 719. Septem *placatis*, un. *placatibus*, tres *pacatis*, duo *placalibus.* — Duo *ponite*, un. *urite.* 720. Alii *perfusa*, un. *profusa.* Ovid. Trist. IV, 2, 5. *Candidaque adducta frontem percussa securi Victima purpureo sanguine tingit humum.* Cf. supra 347. 721. Codd. multi *praestet.* Un. *pacem quae praestat, pace perennet.* 723. Un. *mihi.* — Decem *exhausta*, un. *transacta,*

LIBER SECUNDUS.

Ianus habet finem: cum carmine crescit et annus.
  Alter ut hinc mensis, sic liber alter eat.
Nunc primum velis, elegi, maioribus itis:
  Exiguum, memini, nuper eratis opus.
Ipse ego vos habui faciles in amore ministros,
  Quum lusit numeris prima iuventa suis.
Idem sacra cano, signataque tempora fastis.
  Ecquis ad haec illuc crederet esse viam?
Haec mea militia est: ferimus, quae possumus, arma,
  Dextraque non omni munere nostra vacat.
Si mihi non valido torquentur pila lacerto,
  Nec bellatoris terga premuntur equi,
Nec galea tegimur, nec acuto cingimur ense:
  — His habilis telis quilibet esse potest —
At tua prosequimur studioso pectore, Caesar,
  Nomina, per titulos ingredimurque tuos.
Ergo ades, et placido paulum mea munera vultu
  Respice, pacando si quid ab hoste vacas.

---

1. Alii *crescat*. 2. Al. plerique *ut it*, ceteri *ut hic*, ex quo Hs fecit *ut hinc*. 3. Un. optim. *Iam primum*. — Septem *ite*. 5. Codd. fere omnes: *Ipse ego*, quod reduxi, duo tantum *Certe ego*, quod Hs recepit. — Un. *magistros*. 6. Un. ex mel. *Dum lusit*. 8. Alii *Et quis*, al. *Sed quis*, un. *Sed quid ad hanc*. 9. Plerique *gerimus*, quinq. *ferimus*. 10. Septem *caret*. 11. Un. *solido*, quod Burm. placet. 15. Douza volebat *persequimur*. 16. Un. *numina*. 17. Tres *carmina*. 18. Un. *Aspice*, tres *Accipe*. — Plerique *ab orbe vacat*. Cf. III, 87.

Februa Romani dixere piamina patres:
Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem.
Pontifices ab Rege petunt et Flamine lanas,
Quis veteri lingua *Februa* nomen erat;
Quaeque capit lictor domibus purgamina certis,
Torrida cum mica farra, vocantur idem.
Nomen idem ramo, qui caesus ab arbore pura
Casta sacerdotum tempora fronde tegit.
Ipse ego Flaminicam poscentem februa vidi:
Februa poscenti pinea virga data est.
Denique quodcumque est, quo pectora nostra pientur,
Hoc apud intonsos nomen habebat avos.
Mensis ab his dictus, secta quia pelle Luperci
Omne solum lustrant, idque piamen habent;
Aut quia placatis sunt tempora pura sepulcris,
Tunc quum ferales praeteriere dies.
Omne nefas omnemque mali purgamina causam
Credebant nostri tollere posse senes.
Graecia principium moris fuit. Illa nocentes
Impia lustratos ponere facta putat.
Actoriden Peleus, ipsum quoque Pelea Phoci
Caede per Haemonias solvit Acastus aquas.
Vectam frenatis per inane draconibus Aegeus
Credulus immerita Phasida iuvit ope.

---

19. Quinq. *piacula.* 20. Decem *Huic quoque.* 21. Alii *a.* 22. Alii *veterum,* al. *veterum in,* al. *veteri in.* 23. Un. *cernis,* tres *ternis,* un. *acernis.* Hinc Hs leg. *tersis.* 24. Novem *Turbida,* un. *Turgida.* 27. Alii *Flaminiam* aut *Flamineam.* 28. Hs mav. *spinea,* un. *laurea.* 29. Un. *quidquid id est.* — Multi *corpora.* — Septem *pientur,* un. *pietur,* tres *piantur,* duo *piamur,* quod Hs rec. Ego rec. *pientur.* 31. Pleriq. *sancta.* — Alii *quod,* un. *quo,* alius *qua,* duo *quoque.* 33. Un. *pacatis.* 35. Pleriq. *purgamine.* 37. Alii *dedit,* pleriq. *fuit.* 38. Tres *putant.* 39. Un. *Actoridem.* — Pro *Phoci* un. *fratris.* 40. Un. *Haemonidas.* — Un. *lavit.* 42. Pleriq. *fovit,* duo *solvit,* un. *vovit.*

Amphiaraïdes Naupactoo Acheloo,
Solve nefas, dixit. Solvit et ille nefas.
Ah nimium faciles, qui tristia crimina caedis
Fluminea tolli posse putetis aqua!
Sed tamen — antiqui ne nescius ordinis errcs —
Primus, ut est, Iani mensis et ante fuit.
Qui sequitur Ianum, veteris fuit ultimus anni;
Tu quoque sacrorum, Termine, finis eras.
Primus enim Iani mensis, quia ianua prima est;
Qui sacer est imis Manibus, imus erat.
Postmodo creduntur spatio distantia longo
Tempora bis quini continuasse Viri.

Principio mensis Phrygiae contermina Matri
Sospita delubris dicitur aucta novis.
Nunc ubi sint illis, quaeris, sacrata Kalendis
Templa deae: longo procubuere die.
Cetera ne simili caderent labefacta ruina,
Cavit sacrati provida cura ducis,
Sub quo delubris sentitur nulla senectus.
Nec satis est homines, obligat ille deos.
Templorum positor, templorum sancte repostor,
Sit superis, opto, mutua cura tui.
Dent tibi coelestes, quos tu coelestibus, annos,
Proque tua maneant in statione domo.

---

43. Alii *Naupacteo*, un. *nam pactolo*. 46. Codd. alii omnes *putatis*, duo tantum *putetis*. 48. Nonn. *ita ante*. 51. Alii *erat Iani*. 55. Un. et codd. Prisciani (praeter unum) *Matris*. 56. Tres *suis*. 57. Codd. pleriq. *sint, quaeris, illis;* septem *sunt illis, quae sunt*, duodecim *sunt* aut *sint illis, quaeris*, quod Hs rec., idem tamen mav. *Nunc ubi sunt illis, quaeso*. 58. Nonn. *longa*. 59. Un. *ruerent*. 62. Multi *illa*, un. ipse. 63. Ante Hs leg. *repertor*, pro quo Casaubon. et Neap. legunt *refector*. Hs e duodec. codd. *repostor*. 65. Un. *quot*, al. *aequos coel.*, ceteri omnes *quos*, quod recepi. In Hs et Burm. edd. *quot*, etsi ille vulg. lect. *quos* non esse mutandam censet. — Un. *quos das*.

Tum quoque vicini lucus celebratur Asyli,
Qua petit aequoreas advena Tibris aquas.
Ad penetrale Numae, Capitolinumque Tonantem,
Inque Iovis summa caeditur arce bidens.
Saepe graves pluvias adopertus nubibus Auster
Concitat, aut posita sub nive terra latet.

Proximus Hesperias Titan abiturus in undas
Gemmea purpureis quum iuga demet equis,
Illa nocte aliquis tollens ad sidera vultum
Dicet: Ubi est hodie, quae Lyra fulsit heri?
Dumque Lyram quaeret, medii quoque terga Leonis
In liquidas subito mersa notabit aquas.

Quem modo caelatum stellis Delphina videbas,
Is fugiet visus nocte sequente tuos;
Seu fuit occultis felix in amoribus index,
Lesbida cum domino seu tulit ille lyram.
Quod mare non novit, quae nescit Ariona tellus?
Carmine currentes ille tenebat aquas.
Saepe sequens agnam lupus est hac voce retentus:
Saepe avidum fugiens restitit agna lupum:
Saepe canes leporesque umbra cubuere sub una,
Et stetit in saxo proxima cerva leae;

---

67. Un. *Nunc quoque.* — Tres *Averni*, duo *Alerni*, un. c. mult. edd. *Hilernae* aut *Hylernae*, quindecim *Asyli*, quod Hs rec. et Burm. servavit, etsi Hs *Helerni* legendum esse censet. Cf. VI, 105. 70. Alii *summi*. Cf. VI, 183. 71. Septem *Auster*, quod Hs rec. ceteri *aether*. 74. Un. *Igneo p.* — Pleriq. *demet*, quod ego rec., alii *demit*, quod Hs rec. 75. Plurimi *vultus*. 76. Un. *here*. 77. Alii *quaerit*, e melior. nostr. Hs rec. 80. Tres *Effugiet*. 82. Sex *Lesbiacam dom.* 84. Duo *torrentes*. 85. Un. *hac*, quod Hs rec., ceteri omnes *a*. 86. Quinque *respicit*. 87. Septem *cubuere*, ceteri *iouere*, un. *latuere*. 88. Un. *infestae prox.*, quod Hs praefert, non tamen rec.

Et sine lite loquax cum Palladis alite cornix
Sedit, et accipitri iuncta columba fuit.
Cynthia saepe tuis fertur, vocalis Arion,
Tamquam fraternis obstupuisse modis.
Nomen Arionium Siculas impleverat urbes,
Captaque erat lyricis Ausonis ora sonis.
Inde domum repetens puppim conscendit Arion,
Atque ita quaesitas arte ferebat opes.
Forsitan, infelix, ventos undamque timebas;
At tibi nave tua tutius aequor erat.
Namque gubernator destricto constitit ense,
Ceteraque armata conscia turba manu.
Quid tibi cum gladio? dubiam rege, navita, pinum.
Non sunt haec digitis arma tenenda tuis.
Ille metu pavidus, Mortem non deprecor, inquit:
Sed liceat sumpta pauca referre lyra.
Dant veniam, ridentque moram. Capit ille coronam,
Quae possit crines, Phoebe, decere tuos.
Induerat Tyrio bis tinctam murice pallam:
Reddidit icta suos pollice chorda sonos:

---

89. Decem *corvus*. 93. Nonn. *compleverat*. — Pleriq. *oras*, pro quo Hs mav. *aures*. 94. Tres *modis*. 96. Un. *Et sibi quaes*. 97. Pleriq. *undasque*, melior. nostr. 98. Tres *Hac tibi*. — Un. *mitius*. 99. Un. *Iamque*, quod Burm. verum putat. — Pleriq. *districto*. 100. Pleriq. *armata est*, ex quo Hs mav. *armatae — manus*. 101. Duo tantum *pinum*, quod Hs rec. ceteri omnes *puppim* aut *puppem*. 102. Un. *Non haec sunt*. — Quinq. *ferenda*, ex quo Hs coni. *terenda*. 103. Omnes codd. *pavidus*, unus tantum pro varia lect. *vacuus*, quod Hs rec. Ego illud servavi, quum Arion Herodoto I, 23. et Gellio XVI, 19 auctoribus vere perterritus fuerit. 104. Tres *Si liceat*, quod Hs approbat, si antea *deprecer* legatur. Burm. assentitur. 105. Un. *rapit*. 106. Edd. quaed. et unus cod *posset*. 107. Multi *Induit et*. Hs mav. *Induitur*. — Un. *depictam mur. vestem*, edd. quaed. *distinctam*. — Quidam *mur. lanam*. 108. Tres *Reddit et*, un. *Reddit tacta*.

Flebilibus veluti numeris canentia dura
Traiectus penna tempora cantat olor.
Protinus in medias ornatus desilit undas;
Spargitur impulsa caerula puppis aqua.
Inde — fide maius — tergo delphina recurvo
Se memorant oneri supposuisse novo.
Ille sedens citharamque tenet, pretiumque vehendi
Cantat, et aequoreas carmine mulcet aquas.
Dî pia facta vident; astris delphina recepit
Iuppiter, et stellas iussit habere novem.

Nunc mihi mille sonos, quoque est memoratus Achilles,
Vellem, Maeonide, pectus inesse tuum.
Dum canimus sacras alterno carmine Nonas,
Maximus hinc fastis accumulatur honos.
Deficit ingenium, maioraque viribus urgent.
Haec mihi praecipuo est ore canenda dies.
Quid volui demens elegis imponere tantum
Ponderis? heroi res erat ista pedis.
Sancte Pater Patriae, tibi plebs, tibi Curia nomen
Hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen Eques.
Res tamen ante dedit; sero quoque vera tulisti
Nomina; iam pridem tu pater orbis eras.

---

109. Tres *candentia*. 110. Quatuor *Threïcius*. — Un. optim. *olos*. Versum haud dubie mendosum esse, neque tamen ei medicinam nunc ferre iudicat Hs. I. H. Withofius in Praemet. crucium crit. p. 72. leg. *venientia durae Praesagus Parcae tempora* — 115. Alii *sedet*. — Alii *tenens*. Hs mav. *ferit* vel *terit*. 116. Un. *pectine*. 119. Quinque *quibus est*. Cf. Virg. G. II, 42. *Non ego cuncta meis amplecti versibus opto, Non, mihi si linguae centum sint, oraque centum, Ferrea vox*. 121. Multi *carmine*, quod cum Gierig. recepi, ceteri *pectine*, quod Hs rec. 122. Pleriq. *his factis*, alii *hic*, tres *hinc*, quod Hs rec., idem *fastis* e codd. — Sex *accelebratur*. 126. Quat. *heroici*. — Un. *erit*. 127. Appellatus est Augustus *Pater Patriae* a. U. 752. 130. Multi *urbis*.

Hoc tu per terras, quod in aethere Iuppiter alto,
Nomen habes: hominum tu pater, ille deûm.
Romule, concedas; facit hic tua magna tuendo
Moenia: tu dederas transilienda Remo.
Te Tatius, parvique Cures, Caeninaque sensit;
Hoc duce Romanum est solis utrumque latus.
Tu breve nescio quid victae telluris habebas:
Quodcumque est alto sub Iove, Caesar habet.
Tu rapis, hìc castas duce se iubet esse maritas.
Tu recipis luco, submovet ille nefas.
Vis tibi grata fuit, florent sub Caesare leges;
Tu domini nomen, principis ille tenet.
Te Remus incusat, veniam dedit hostibus ille.
Coelestem fecit te pater, ille patrem.

Iam puer Idaeus media tenus eminet alvo,
Et liquidas mixto nectare fundit aquas.
En etiam, si quis Borean horrere solebat,
Gaudeat: a Zephyris mollior aura venit.

Quintus ab aequoreis nitidum iubar extulit undis
Lucifer, et primi tempora veris erunt.

---

133. Alii *concedes*. — Quatuor *dedit*. — Quinque *tibi*. 134. Pleriq. *quae deder*. 135. Tres *Tatii*. — Alii *Cecinnaque*, un. *Corvinaque*, alius *Serminaque*. Ceterum alii scribunt *Cenina*, alii *Cennina*, alii *Caenina*. 136. Un. non habet *est*. Hs mav. *Roma tuum solis*. Cf. Ov. Met. I, 338. *Littora voce replet sub utroque iacentia Phoebo*. 138. Duo *lato*, unde Hs coni. *Latio*. 139. Pro *duce* quat. *sub*, quod Burm. placet. 140. Pleriq. *reppulit*, nostr. ex melior. rec. Hs. 143. Un. *accusat*. 148. Alii *mitior;* nostr. ex melior. Hs rec. 149. Duo *caput*. — Undecim *exserit*. 150. Omnes fere *erunt*, quod restitui, e tribus Hs *eunt* rec. Idem scribendum opinatur *Quintus ubi aeq.* — *exserit undis Cynthius, en primi*. — Similis orationis structura II, 267.

Ne fallare tamen, restant tibi frigora, restant,
Magnaque discedens signa reliquit hiems.

Tertia nox veniat: Custodem protinus Ursae
Adspicies geminos exseruisse pedes.
Inter Hamadryadas iaculatricemque Dianam
Callisto sacri pars fuit una chori.
Illa deae tangens arcus, Quos tangimus, arcus,
Este meae testes virginitatis, ait.
Cynthia laudavit, promissaque foedera serva,
Et comitum princeps tu mihi, dixit, eris.
Foedera servasset, si non formosa fuisset.
Cavit mortales: ab Iove crimen habet.
Mille feras Phoebe silvis venata redibat,
Aut plus, aut medium sole tenente diem.
Ut tetigit lucum, — densa niger ilice lucus,
In medio gelidae fons erat altus aquae —
Hac, ait, in silva, virgo Tegeaea, lavemur.
Erubuit falso virginis illa sono.
Dixerat et Nymphis: Nymphae velamina ponunt.
Hanc pudet, et tardae dat mala signa morae.

---

151. Quinque *Ne f. cave.* 152. Duo *Multaque* — Meliores *reliquit*, quod restitui, nonn. *relinquit*, quod Hs rec. ceteri *relinquet.* 153. Multi *veniet*, ex melior. nostr. Hs rec., duo *aderit*, hinc Hs mav. *adsit.* 156. Alii scribunt *Calisto.* 159. Octo *munera.* 160. Pro *dixit* quatuor *semper.* 162. Omnes fere *de Iove*, tres tantum *a*, pro quo Hs leg. *ab*, etsi non recepit. 164. Quid. *iam med.* Cf. Met. XI, 478. *Aut minus, aut certe medium non amplius aequor Puppe secabatur.* — Pro *diem* un. *polum.* 166. Un. *aptus.* 167. Melior. *Hac*, ceteri *Hic.* Hs mav. *Hac — lympha.* 168. Un. *solo virg.*, quod Burm. placet. — Un. *nominis.* 169. Quid. etiam melior. *haec Nymphis.* Hs coni. *ut N.* 170. Hs omnino legend. vel invitis membr. censet *male.* Noster Heinz. Opusc. p. 225. leg. *dant.*

Exuerat tunicas: uteri manifesta tumore
Proditur indicio ponderis ipsa sui.
Cui Dea, Virgineos, periura Lycaoni, coetus
Desere, nec castas pollue, dixit, aquas.
Luna novum decies implerat cornibus orbem:
Quae fuerat virgo credita, mater erat.
Laesa furit Iuno, formam mutatque puellae.
Quid facis? invito pectore passa Iovem est.
Utque ferae vidit turpes in pellice vultus,
Huius in amplexus Iuppiter, inquit, eat.
Ursa per incultos errabat squalida montes,
Quae fuerat summo nuper amanda Iovi.
Iam tria lustra puer furto conceptus agebat,
Quum mater nato est obvia facta suo.
Illa quidem, tamquam cognosceret, adstitit amens,
Et gemuit: gemitus verba parentis erant.
Hanc puer ignarus iaculo fixisset acuto,
Ni foret in superas raptus uterque domos.
Signa propinqua micant. Prior est, quam dicimus *Arcton;*
Arctophylax formam terga sequentis habet.
Saevit adhuc canamque rogat Saturnia Tethyn,
Maenaliam tactis ne lavet Arcton aquis.

Idibus agrestis fumant altaria *Fauni,*
Hic ubi discretas insula rumpit aquas.

---

172. Duo *illa.* 174. Scribendum fortasse hic et similibus locis *neu.* — Octo *sacras.* 175. Un. *complerat.* 177. Un. *mutatur forma p.,* alii *mutat formamque p.* Burm. coni. *formam mutare p.* 178. Alii *invito est,* un. *inviso,* alius *invicto.* — Sex *corpore.* 179. Un. *feras.* Hs mav. *fera.* 182. Quat. *amanda,* quod Hs rec., ceteri *amata.* 183. Un. *habebat.* 187. Un. *ignotus.* 188. Alii *ad super.* 191. Libri melior. *rogat,* quod c. Hs recepi; alii *petit,* un. *adiit,* quod Burm. rec. Dedicatio templi Fauni facta a. U. 560. a. C. 194. Cf. Livius XXXIV, 53.

Haec fuit illa dies, in qua Veientibus arvis
Ter centum *Fabii* ter cecidere duo.
Una domus vires et onus susceperat urbis:
Sumunt gentiles arma professa manus.
Egreditur castris miles generosus ab isdem,
E quis dux fieri quilibet aptus erat.
Carmentis portae dextro via proxima Iano est.
Ire per hanc noli, quisquis es, omen habet.
Illa fama refert Fabios exisse trecentos.
Porta vacat culpa; sed tamen omen habet.
Ut celeri passu Cremeram tetigere rapacem,
— Turbidus hibernis ille fluebat aquis —
Castra loco ponunt: destrictis ensibus ipsi
Tyrrhenum valido Marte per agmen eunt:
Non aliter, quam quum Libyca de rupe leones
Invadunt sparsos lata per arva greges.
Diffugiunt hostes, inhonestaque vulnera tergo
Accipiunt: Tusco sanguine terra rubet.
Sic iterum, sic saepe cadunt. Ubi vincere aperte
Non datur, insidias armaque caeca parant.
Campus erat: campi claudebant ultima colles,
Silvaque montanas occulere apta feras.

---

195. Un. *Volscentibus.* — Pleriq. *armis,* sex *arvis.* Historiam a. U. 275. a. C. 479 factam v. ap. Liv. II, 49 sq. 197. Un. *curas,* quod Burm. placet. 198. Duo *Sumite.* 199. Un. optim. *generatus.* 201. Novem *Carmenti,* hinc Hs coni. *Carmenti porta.* — Pleriq. *dextra,* undecim *dextro,* quod Hs probat. 202. Un. optim. *quae fere nomen habet.* 203. Hoc distichon ab optimo et aliis abest, quare Hs uncis inclusit, quos ego sustuli. 205. Tres *tenuere.* 206. Nonn. *Turgidus.* — Un. *tumebat.* 207. Alii *districtis.* 209. Multi *de gente,* un. *tellure,* alius *regione.* 211. Un. *omnes.* 214. Ex uno Hs rec. *caeca,* alius *caecata,* ceteri omnes *tecta,* un. *saeva.* 215. Quinq. *cingebant.* — Duo *valles.* 216. Quinq. *occulere apta,* quod Hs rec., duo *occulit apta,* ceteri *occulit alta,* un. *occulere alta,* quod Modius Novant. lectt. Ep. 63. praefert.

In medio paucos armentaque rara relinquunt:
Cetera virgultis abdita turba latet.
Ecce, velut torrens undis pluvialibus auctus
Aut nive, quae Zephyro victa tepente fluit,
Per sata perque vias fertur, nec, ut ante solebat,
Riparum clausas margine finit aquas:
Sic Fabii latis vallem discursibus implent,
Quosque vident, spernunt, nec metus alter inest.
Quo ruitis, generosa domus? male creditur hosti.
Simplex nobilitas, perfida tela cave.
Fraude perit virtus. In apertos undique campos
Prosiliunt hostes, et latus omne tenent.
Quid faciant pauci contra tot millia fortes?
Quidve, quod in misero tempore restet, habent?
Sicut aper silvis longe Laurentibus actus
Fulmineo celeres dissipat ore canes;
Mox tamen ipse perit: sic non moriuntur inulti,
Vulneraque alterna dantque feruntque manu.
Una dies Fabios ad bellum miserat omnes:
Ad bellum missos perdidit una dies.
Ut tamen Herculeae superessent semina gentis,
Credibile est ipsos consuluisse deos.
Nam puer impubes et adhuc non utilis armis
Unus de Fabia gente relictus erat,

---

217. Quindec. *rauca*, un. *rapta*, duo *parva*. 218. Un. *condita*. — Tres *turma*. — Hs mav. *latent*. 220. Pro *victa* un. *mota*, alius *monte*, duo *vere*, un. *sole*. — Multi *tepente*, quod recepi; ceteri codd. et edd. *repente*, quod Hs et Burm. servavit. Cf. III, 236. Virg. G. II, 133. — Tres *cadit*. 222. Tres *claudit*, tres *fovit*, un. *findit*, alius *fundit*, alius *fluit*. 224. Multi *Quodque*. — Octo *spernunt*, quod Hs rec., ceteri *sternunt*, un. *caedunt*, un. *feriunt*. 225. Multi *creditis*. 230. Tredecim *habent*, ceteri *adest*. 231. Alii *latrantibus*, alii *latratibus*, ex quinq. nostr. Hs rec., quod approbat Bentl. Horat. Epod. 5, 28. 232. Un. *Fulmineus*. 236. Un. *pertulit*, alius *protulit*, quinq. *abstulit*. ceteri *perdidit*. Hs mav. *prodidit*. 239. Octo *impubis*. — Quinque *annis*.

Scilicet, ut posses olim tu, Maxime, nasci,
Cui res cunctando restituenda foret,

Continuata loco tria sidera, Corvus et Anguis,
Et medius Crater inter utrumque iacet.
Idibus illa latent: oriuntur nocte sequenti.
Quae sibi cur tria sint consociata, canam.
Forte Iovi festum Phoebus sollemne parabat:
— Non faciet longas fabula nostra moras —
I mea, dixit, avis, ne quid pia sacra moretur,
Et tenuem vivis fontibus affer aquam.
Corvus inauratum pedibus cratera recurvis
Tollit, et aërium pervolat altus iter.
Stabat adhuc duris ficus densissima pomis:
Tentat eam rostro: non erat apta legi.
Immemor imperii sedisse sub arbore fertur,
Dum fierent tarda dulcia poma mora.
Iamque satur nigris longum rapit unguibus hydrum,
Ad dominumque redit, fictaque verba refert:
Hic mihi causa morae, vivarum obsessor aquarum:
Hic tenuit fontes officiumque meum.
Addis, ait, culpae mendacia, Phoebus? et audes
Fatidicum verbis fallere velle deum?
At tibi, dum lactens haerebit in arbore ficus,
De nullo gelidae fonte bibantur aquae.

---

244. Hs mav. *At medius.* — Alii *latet*, un. *micat*, pleriq. *iacet.* 246. Pleriq. *tibi*, quatuor *sibi*, quod Hs rec. — Un. *ita sint* — Quat. *sunt* — Alii *tam sociata*, decem *consoc.*, sex *continuata.* 247. Un. *sacrum.* 248. Un. *faciat.* 249. Un. *I. pia.* — Tres *mea sacra*, un. *sine sacra.* — Pleriq. *morentur.* 250. Multi *e vivis.* — Un. *aufer.* 252. Tres *aetherium.* 256. Un. *mitia*, duo *mollia.* 257. Omnes codd. *Iamque*, quod servavi; unus tantum *Inde*, quod Hs et Burm. rec. — Pro *nigris* Hs coni. *pigris*, quod Burm. quoq. placet. — Un. *longam* — *hydram.* 258. Alii *Ad dominum rediit.* 262. Un. *versis*, alius *veris*, ex quo Hs *veri* coniecit. 264. Alii *bibentur*, septem nostr. habent.

Dixit, et antiqui monumenta perennia facti
  Anguis, Avis, Crater, sidera iuncta micant.

Tertia post Idus nudos Aurora Lupercos
  Adspicit, et Fauni sacra bicornis erunt.
Dicite, Pierides, sacrorum quae sit origo,
  Attigerint Latias unde petita domos.
Pana deum pecoris veteres coluisse feruntur
  Arcades. Arcadiis plurimus ille iugis.
Testis erit Pholoe, testes Stymphalides undae,
  Quique citis Ladon in mare currit aquis,
Cinctaque pinetis nemoris iuga Nonacrini,
  Altaque Cyllene, Parrhasiaeque nives.
Pan erat armenti custos, Pan numen equarum:
  Munus ob incolumes ille ferebat oves.
Transtulit Euander silvestria numina secum.
  Hic, ubi nunc urbs est, tum locus urbis erat.
Inde deum colimus, devectaque sacra Pelasgis.
  Flamen ad haec prisco more Dialis erat.
Cur igitur currant, et cur — sic currere mos est —
  Nuda ferant posita corpora veste, rogas.

---

265. Un. optim. *patentia*. 268. Plurimi *erunt* quod reduxi, pleriq. melior. *eunt*, quod Hs rec. Cf. II, 150. 270. Plurimi *Attigerit*. 271. Un. *fatentur*. 273. Un. *erat*, quindecim *eras*, duo *eris*. 275. Nonn. *spinetis*. 276. Pleriq. *Troezene*, tredecim *Cyllene*, quod Hs rec., duo *Tigene*. 277. Multi *Pan erat armenti*, *Pan illic numen aquarum*, quatuor nostrum leg., quod Hs rec. — Multi *aquarum*, undecim *equarum*. Illud defendit Burm, neque tamen alterum improbat. 280. Heinzius in Opusc. p. 226. leg. *Huc*, quod c. priorib. coniungit. 281. Un. optim. c. duob. aliis hoc distichon non legit. 282. Quinq. *ab hoc*, totidem *ad hoc*, tres *adhuc*, un. *ob hoc*. — Duodec. *erit*, duo *inest*. Hs coniec. *eat* aut *adit*. Burm. aliter interpungit et leg. *Pelasgis Fl. adhuc — agit*, quam coniecturam Gierig. recepit. Apud Arcades Lycaeorum sacra sacerdos Iovis Lycaei fecit. Cf. Pausan. VIII, 38. 283. Alii multi *si curr*. 284. Un. *Nudaque sint*.

Ipse deus velox discurrere gaudet in altis
Montibus, et subitas concitat ille feras.
Ipse deus nudus nudos iubet ire ministros:
Nec satis ad cursum commoda vestis erat.
Ante Iovem genitum terras habuisse feruntur
Arcades, et Luna gens prior illa fuit.
Vita feris similis, nullos agitata per usus:
Artis adhuc expers et rude vulgus erat.
Pro domibus frondes norant, pro frugibus herbas:
Nectar erat palmis hausta duabus aqua.
Nullus anhelabat sub adunco vomere taurus:
Nulla sub imperio terra colentis erat:
Nullus adhuc erat usus equi, se quisque ferebat.
Ibat ovis lana corpus amicta sua.
Sub Iove durabant, et corpora nuda gerebant,
Docta graves imbres et tolerare Notos.
Nunc quoque detecti referunt monumenta vetusti
Moris, et antiquas testificantur opes.
Sed, cur praecipue fugiat velamina Faunus,
Traditur antiqui fabula plena ioci.
Forte comes dominae iuvenis Tirynthius ibat:
Vidit ab excelso Faunus utrumque iugo.

---

286. Sex *concipit ille fugas,* pleriq. *concipit ille feras* aut *concitat ipse feras,* tres nostr. leg. quod Hs rec., qui praeterea coni. *inde feras.* 287. Un. *amat ire,* multi *iubet esse.* 288. Multi *cursus.* 289. Duo *habitasse.* 291. Codd. fere omnes *feris,* quod revocavi; un. *fere et,* alius *fere,* alius *ferae,* quod cum Modio Novant. lectt. Ep. 63. Hs. et Burm. rec. Cf. Cic. Tusc. I, 1. *Quae tam excellens in omni genere virtus in ullis fuit, ut sit cum maiorib. nostris comparanda.* — Heinz. Opusc. p. 226. ad *usus* trahit sequens *Artis.* 292. Omnes codd. *erat,* quod servavi, unus tantum pro diversa lect. *erant,* quod Hs et Burm. rec. — Pro *adhuc* Burm. mav. *ad hoc.* 296. Un. *regentis.* 299. Un. *Se quoque d.* — Quinq. *corpora dura.* 302. Un. *antiquae,* unde Hs coni. *id antiquae.* 304. Un. *prima;* hinc Hs et Burm. coni. *priva* vel *prisca.* 306. Duo *iugo.*

Vidit, et incaluit, Montanaque numina, dixit,
Nil mihi vobiscum est; haec meus ardor erit.
Ibat odoratis humeros perfusa capillis
Maeonis, aurato conspicienda sinu.
Aurea pellebant rapidos umbracula soles,
Quae tamen Herculeae sustinuere manus.
Iamque nemus Bacchi, Tmoli vineta, tenebat,
Hesperus et fusco roscidus ibat equo,
Antra subit tophis laqucataque pumice vivo;
Garrulus in primo limine rivus erat.
Dumque parant epulas potandaque vina ministri,
Cultibus Alciden instruit illa suis.
Dat tenues tunicas Gaetulo murice tinctas:
Dat teretem zonam, qua modo cincta fuit.
Ventre minor zona est: tunicarum vincla relaxat,
Ut possit vastas exseruisse manus.
Fregerat armillas non illa ad brachia factas,
Scindebant magni vincula parva pedes.
Ipsa capit clavamque gravem spoliumque leonis,
Conditaque in pharetra tela minora sua.
Sic epulis functi, sic dant sua corpora somno,
Et positis iuxta secubuere toris.

---

308. Un. *ignis*. — Duo ait. 311. Undecim *rapidos*, ceteri *tepidos*. 313. Pleriq. *Iam Bacchi nemus et Tmoli*; duo *Iamque nem. B., Tmoli*, quod Burm. rec., duo alii *et* non habent. Hs coni. *Iam Bacchea, nemus Tmoli, vineta tenebant* — Multi *tenebant*. 314. Un. *Hesperos*. Pro *et* Burm. mav. *ut*. 315. Decem *que*, quod Hs rec., ceteri *et*. 316. Duo *limite*. 318. Ex vet. plur. Hs rec. *instruit*, ceteri *induit*. 320. Undecim *tenuem*. 321. Un. optim. *vincula laxant*, tres *vincula laxat*, un. *claustra relaxat*, quod Burm. placet, quum *vincula* sequantur. 322. Tres *vastas*, quod Hs rec., quum *magni pedes* sequantur, cet. *magnas*. 324. Sex *Stringebant magnos*, quod Hs et Burm. rec., ceteror. lect. ego recepi. Un. *Cingebant*, alius *Rumpebant*. 325. Un. *rapit*. 326. Ulitius vult *minore*. 327. Un. *pectora*.

Causa: repertori vitis pia sacra parabant,
Quae facerent pure, quum foret orta dies.
Noctis erat medium: quid non amor improbus audet?
Roscida per tenebras Faunus ad antra venit.
Utque videt somno comites vinoque solutos,
Spem capit in dominis esse soporis idem,
Intrat, et huc illuc temerarius errat adulter,
Et praefert cautas subsequiturque manus,
Venerat ad strati captata cubilia lecti,
Et prima felix sorte futurus erat.
Ut tetigit fulvi setis hirsuta leonis
Vellera, pertimuit, sustinuitque manum,
Attonitusque metu riguit: ut saepe viator
Turbatum viso rettulit angue pedem.
Inde tori, qui iunctus erat, velamina tangit
Mollia, mendaci decipiturque nota.
Adscendit, spondaque sibi propiore recumbit:
Et rigido cornu durius inguen erat.
Interea tunicas ora subducit ab ima:
Horrebant densis aspera crura pilis.
Cetera tentantem cubito Tirynthius heros
Reppulit. E summo decidit ille toro.

---

329. Nonn. *pia sacra,* quod e. Modio Novant. lectt. Ep. 63. Hs rec., ceteri *quia sacra.* 333. Pro *com.* un. *socios,* alius *famulos.* — Plurimi *solutos,* quod Hs servavit, quid. *sepultos,* alii *gravatos,* al. *iacentes,* un. *sopitos.* 334. Duo *et dominis,* un. *hinc dom.,* alius *in dominos.* 337. Un. *tractata.* 340. Pleriq. *manus,* melior. *manum.* 341. Septem melior. *riguit,* quod recepi, quum remanserit, non redierit.; ceteri *rediit,* quod Hs et Burm. legunt. — Pro *ut* alii paucior. *ceu.* Pro *saepe* Hs. mav. *sepe* (*a sepes*) vel *vepre.* 345. Un. *Accedit* — Nonn. *resedit.* 346. Omnes fere *tumidum,* un. *cupidum,* alius *rigidum,* unus tantum *rigido,* quod Hs et Burm. rec. 347. Un. *deducit.* 348. Un. *spissis.* Hs. coni. *hirtis hispida.* 349. Un. *cunctantem.* — Plurimi *subito.*

Fit sonus: inclamat comites, et lumina poscit
Maeonis. Illatis ignibus acta patent.
Ille gemit lecto graviter deiectus ab alto,
Membraque de dura vix sua tollit humo.
Ridet et Alcides, et qui videre iacentem:
Ridet amatorem Lyda puella suum.
Veste deus lusus fallentes lumina vestes
Non amat, et nudos ad sua sacra vocat.
Adde peregrinis causas, mea Musa, Latinas,
Inque suo noster pulvere currat equus.
Cornipedi Fauno caesa de more capella,
Venit ad exiguas turba vocata dapes;
Dumque sacerdotes verubus transsuta salignis
Exta parant, medias sole tenente vias,
Romulus et frater, pastoralisque iuventus,
Solibus et campo corpora nuda dabant,
Caestibus, et iaculis, et missi pondere saxi
Brachia per lusus experienda dabant.
Pastor ab excelso, Per devia rura iuvencos,
Romule, praedones, eripe, dixit, agunt.
Longum erat armari. Diversis exit uterque
Partibus; accursu praeda recepta Remi.

---

351. Plerique *et comites inclamat, et,* alii multi *inclamant comites,* un. *inclamant omnes,* pauci nostr. habent, quod Hs cum edd. servavit. — Quatuor *poscunt.* 352. Tres *allatis.* — Un. *vident.* 354. Un. *de viva.* 357. Un. *numina.* 359. Omnes fere, quod ego recepi; e tribus Hs rec. *peregrinae,* ex duob. autem Burm. *causam* — *Latinam.* 360. Plurimi *tuo.* 361. Un. *Cervipedi.* 363. Alii *transita* aut *transfixa,* aut *traiecta.* 364. Quat. *fovente.* Duo *medium sole ten. diem.* 367. Sex *Vectibus,* quod Hs praefert, alii *Vestibus,* un. *Utribus.* — Multi *misso.* Ceterum tres codd. totum distichon non habent approbante Hs, qui *Caestus* Romani moris non fuisse censet. 368. Quinq. *ludus.* — Duo *expedienda,* un. *excutienda.* 370. Pro *eripe,* quod ex quatuor Hs rec., ceteri omnes *et Reme.* 372. Multi *occursu.* — Multi *retenta.*

Ut rediit, verubus stridentia detrahit exta:
Atque ait, Haec certe non nisi victor edet.
Dicta facit, Fabiique simul. Venit irritus illuc
Romulus, et mensas ossaque nuda videt.
Risit, et indoluit Fabios potuisse Remumque
Vincere: Quinctilios non potuisse suos.
Fama manet facti. Posito velamine currunt:
Et memorem famam, quod bene cessit, habet.
Forsitan et quaeras, cur sit locus ille *Lupercal*,
Quaeve diem tali nomine causa notet.
Ilia Vestalis coelestia semina partu
Ediderat, patruo regna tenente suo.
Is iubet auferri pueros et in amne necari.
Quid facis? ex istis Romulus alter erit.
Iussa recusantes peragunt lacrimosa ministri;
Flent tamen, et geminos in loca iussa ferunt.
Albula, quem Tibrin mersus Tiberinus in unda
Reddidit, hibernis forte tumebat aquis.
Hic, ubi nunc Fora sunt, lintres errare videres,
Quaque iacent valles, Maxime Circe, tuae.
Huc ubi venerunt, — neque enim procedere possunt
Longius — ex illis unus et alter, ait:

---

373. Alii *pendentia, spirantia, spumantia, fumantia.* — Quatuor *detulit.* Hs coni. *depulit.* 378. Alii *Quintilios.* 379. Un. *Fama volat.* 380. Multi etiam melior. *quod bene gessit,* alii *qui bene gessit,* un. *quam bene gessit,* duo *quod bene cessit,* idque Hs rec.; scribit tamen *quis bene cessit, habent,* vel, *si bene.* Fortasse legend. *quoi* h. e. *cui.* 382. Alii *locum.* — Decem *tanto.* Hs mav. *noto,* 383. Pleriq. *Silvia,* septem *Ilia,* quod Hs rec. — Duo *coelesti.* — Quat. *numina.* — Un. *partum.* Historiam v. ap. Liv. I, 4. 385. Tres *offerri.* — Plerique *parvos.* 386. Alii *ex illis.* 387. Burm. mav. *reluctantes* vel *repugnantes.* 388. Quid. ex melior. *loca sola.* Hs pro *et* mav. *ut.* 391. Un. *agitare.* — Duo *solebant.* 393. Un. *ubi nunc ventum est,* ex quo Hs coni. *Huc ubi perventum est.* — Omnes vere *neque enim,* quam vulg. lect. restituere non dubitavi; duo tantum *nec iam,* quod Hs et Burm. rec. 394. Duo *an alter,* quod Hs rec.; ego ceteror. lect. veter. servavi.

At quam sunt similes! at quam formosus uterque!
  Plus tamen ex illis iste vigoris habet.
Si genus arguitur vultu, ni fallit imago,
  Nescio quem vobis suspicor esse deum.
At si quis vestrae deus esset originis auctor,
  In tam praecipiti tempore ferret opem.
Ferret opem certe, si non ope mater egeret,
  Quae facta est uno mater et orba die.
Nata simul, moritura simul, simul ite sub undas
  Corpora. Desierat; deposuitque sinu,
Vagierunt clamore pari: sentire putares.
  Hi redeunt udis in sua tecta genis.
Sustinet impositos summa cavus alveus unda.
  Heu quantum fati parva tabella tulit!
Alveus in limo silvis appulsus opacis,
  Paullatim fluvio deficiente, sedet.
Arbor erat: remanent vestigia, quaeque vocatur
  Rumina nunc ficus, Romula ficus erat.
Venit ad expositos — mirum — lupa feta gemellos.
  Quis credat pueris non nocuisse feram?

---

395. Omnes fere *Ah — ah*, pro quo nostr. e paucis Hs rec. 396. Duo *ex istis ille*, alii *istis iste*, ceteri nostr., quod etiam Modius Novant. lectt. Ep. 63. praefert. 397. Quat. *ni*, quod Hs rec., ceteri *nisi*, un. *non*. Hs mav. *nec*. 398. Tres *quem in vobis*, quod Modius l. c. probat, quat. *quem vobis*, quod Hs rec., ceteri *quem a vobis*. Francius volcb. *quem patrem*. — Duo *suspicer*. 403. Duo *peritura*, quod Hs recepit; ego antiq. ceteror. lect. servavi. — Quinq. *undis*, un. *umbras*. 404. Un. *pignora*, quod Hs venustum iudicat. — Tres *simul*. 405. Tres *Vagierunt*, quod Hs rec. ceteri *Vagierant*. — Septem *clamore pari*, ceteri *ambo pariter*; illud Hs rec. 408. Quinq. *curva*; hinc Hs coni. *curta*. — Tres *vehit*, quod Hs rec., un. *dedit*, tres *fuit*, quod Hs elegans iudicat; ego ceteror. lect. vulg. reddidi. 409. Octo *impulsus*, quod Lenz. tamquam gravius praefert. 412. Ita quinq. meliores, quod Hs rec., ceteri *Romula nunc f.*, *Rumina f. erat*.

Non nocuisse parum est: prodest quoque: quos lupa nutrit,
Perdere cognatae sustinuere manus.
Constitit, et cauda teneris blanditur alumnis,
Et fingit lingua corpora bina sua.
Marte satos scires; timor abfuit: ubera ducunt,
Nec sibi promissi lactis aluntur ope.
Illa loco nomen fecit; locus ipse Lupercis.
Magna dati nutrix praemia lactis habet.
Quid vetat Arcadio dictos a monte Lupercos?
Faunus in Arcadia templa Lycaeus habet.
Nupta, quid exspectas? non tu pollentibus herbis,
Nec prece, nec magico carmine mater eris.
Excipe fecundae patienter verbera dextrae:
Iam socer optatum nomen habebit avi.
Nam fuit illa dies, dura quum sorte maritae
Reddebant uteri pignora rara sui.
Quid mihi, clamabat, prodest rapuisse Sabinas,
Romulus — hoc illo sceptra tenente fuit —
Si mea non vires, sed bellum iniuria fecit!
Utilius fuerat non habuisse nurus.
Monte sub Esquilio, multis incaeduus annis
Iunonis magnae nomine lucus erat.

---

415. Un. melior *quod lupa,* eleganter, ut ait Hs. 416. Duo *Prodere,* quod Hs rec. et nuper B. Crus.; ceteri omnes *Perdere,* quod c. Gierig. reddidi. 417. Quinq. *Substitit.* 418. Tres melior. *lingit,* quod Ciof. et Neap. placet; alii *lambit.* 419. Alii *sugunt.* 420. Quat. *Et.* — Multi *permissi*, alii *promissa.* Hs mav. e duob. *Et sibi permissi,* Burm. nostr. praetulit. 421. Meliores *ipse,* ceteri *ille.* — Pleriq. *Lupercal,* un. *Lupercus.* Hs. mav. *inde Lupercal.* 423. Multi *Quis.* — Hs mav. *ductos.* — Duo *de monte.* 424. Burm. *Lyceus.* Cf. I, 395. 425. Multi *pallentibus*, un. *furialibus.* 427. Tres *caudae,* duo *palmae.* 428. Unus *optati,* quod Hs ut concinnius rec., ceteri *optatum,* quam vulg. lect. restitui. 429. Un. *dira.* 434. Septem *rapuisse.* 435. Un. *Esquiliis,* alius *Esculeo.* — Alii *inciduus.* 436. Octo *numine.* Varro L. L. IV. p. 15. *In Esquiliis lucus Iunonis Lucinae.*

Huc ubi venerunt, pariter nuptaeque virique
Suppliciter posito procubuere genu.
Quum subito motae tremuere cacumina silvae,
Et dea per lucos mira locuta suos,
Italidas matres, inquit, sacer hircus inito!
Obstupuit dubio territa turba sono.
Augur erat: nomen longis intercidit annis:
Nuper ab Etrusca venerat exsul humo.
Ille caprum mactat. Iussae sua terga puellae
Pellibus exsectis percutienda dabant.
Luna resumebat decimo nova cornua motu,
Virque pater subito, nuptaque mater erat.
Gratia Lucinae: dedit haec tibi nomina lucus,
Aut quia principium tu, dea, lucis habes.
Parce, precor, gravidis, facilis Lucina, puellis,
Maturumque utero molliter effer onus.

Orta dies fuerit: tu desine credere ventis,
Perdidit illius temporis aura fidem.
Flamina non constant: et sex reserata diebus
Carceris Aeolii ianua laxa patet.

---

437. Alii comma in fine versus ponunt. 438. Nonn. *succubuere*. 439. Un. *motu*, alius *notae*.. — Un. *cacumine*. 441. Alii *Italides*, multi ex melior. *Italias*, un. *Etalides*. Hs coni. *Oebalides*. Cf. III, 230. — Quatuor *caper hirtus*, quod Hs rec., ceteri fere omnes *sacer hircus*, quam vulg. lect. servavi. Un. *caper hircus*. 442. Quat. *subito*. 445. Tres melior. *maritae*, quod Hs rec., ceteri *puellae*, quod reduxi. 446. Pleriq. *exemptis*. 447. Quinq. *sua cornua*. — Pleriq. *motu*, ceteri *cursu* aut *mense*. 448. Hs concinnius iudicat *erant*. 450. Tres *eras*. 452. Quat. *Maturoque*. — Un. tantum *effer*, quod Hs rec., ceteri omnes *aufer*. 453. Nonn. *fuerat*. — Unus *nunc desine*, alius *tua desine*. 454. Tres *Prodidit*, quod non minus elegans censet Hs. 456. Duo tantum *laxa*, quod Hs rec., ceteri *lata*, duo *tota*. Hic carcer Aeolius notus ex Virg. A. I, 52. *Hic vasto rex Aeolus antro Luctantes ventos — vinclis et carcere frenat*.

Iam levis obliqua subsedit Aquarius urna.
Proximus aetherios excipe, Piscis, equos.
Te memorant fratremque tuum — nam iuncta micatis
Signa — duos tergo sustinuisse deos.
Terribilem quondam fugiens Typhona Dione,
Tunc quum pro coelo Iuppiter arma tulit,
Venit ad Euphraten comitata Cupidine parvo,
Inque Palaestinae margine sedit aquae.
Populus et cannae riparum summa tenebant,
Spemque dabant salices, hos quoque posse tegi.
Dum latet, intonuit vento nemus. Illa timore
Pallet, et hostiles credit adesse manus;
Utque sinu natum tenuit, Succurrite Nymphae,
Et dis auxilium ferte duobus, ait.
Nec mora, prosiluit. Pisces subiere gemelli;
Pro quo nunc dignum sidera munus habent.
Inde nefas ducunt genus hoc imponere mensis,
Nec violant timidi piscibus ora Syri.

Proxima lux vacua est: at tertia dicta Quirino.
Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit;
Sive quod hasta *curis* priscis est dicta Sabinis:
— Bellicus a telo venit in astra deus —

---

457. Un. *antiqua*. — Duo *subsidit*, quod Hs rec.; ego antiq. ceteror. lect. servavi. 458. Quinq. *Protinus*. — Quatuor *aequoreos*, un. *aithcos*. 465. Quat. *tegebant*. 466. Quat. *se quoque*, duo *has q.*, un. *hoc*, ceteri *hos*. Hs coni. *his* vel *hic*, Burm. mav. *his* vel *sic* vel *os q.*, quum in uno sit *facies*, *hos* — 467. Nonn. *iacet*. — Septem *intonuit*, quod Hs rec., ceteri *insonuit*. 472. Ita septem, quod Hs rec.; alii *nunc cernis sidera*. — Alii *sidera nomen*, alii *sid. numen*. Hs coni. *nunc cerni sidera*. Gronov. Obs. IV, 18 leg. *nunc* (*cernis*) *sidera munus h.* Modius Novant. lectt. Ep. 63. leg. *nunc cernis sidera nomen habent*, aut, *quae cernis sidera nomen h.* 473. Plurimi *dicunt*. — Un. *inducere*. 474. Pleriq. *Ne violent*; e libr. melior. nostr. rec. Hs. 477. Pleriq. *quiris*, duo melior. *cures*, sex *curis*, quod Hs servavit. — Un. *primis*.

Sive suum regi nomen posuere Quirites:
Seu quia Romanis iunxerat ille Cures.
Nam pater armipotens, postquam nova moenia vidit,
Multaque Romulea bella peracta manu,
Iuppiter, inquit, habet Romana potentia vires:
Sanguinis officio non eget illa mei.
Redde patri natum: quamvis intercidit alter,
Pro se, proque Remo, qui mihi restat, erit.
Unus erit, quem tu tolles in caerula coeli;
Tu mihi dixisti: sint rata dicta Iovis.
Iuppiter annuerat; nutu tremefactus uterque
Est polus, et coeli pondera sensit Atlas.
Est locus: antiqui Capreae dixere paludem.
Forte tuis illic, Romule, iura dabas.
Sol fugit, et removent subeuntia nubila coelum,
Et gravis effusus decidit imber aquis
Hinc tonat, hinc missis abrumpitur ignibus aether.
Fit fuga: rex patriis astra petebat equis.
Luctus erat, falsaeque Patres in crimine caedis;
Haesissetque animis forsitan illa fides:
Sed Proculus Longa veniebat Iulius Alba,
Lunaque fulgebat, nec facis usus erat:

---

479. Pleriq. *suo*, meliores *suum*. 481. Sex *sua m*. 485. Quinque *pater*. — Tres *altum*, un. *ille*. 487. Alii *ad caer*. — Septem *caerula*, quod Hs rec., ceteri *sidera*. 490. Sex *sensit*, quod rec. Hs, pleriq. *movit*, alii *novit*. 491. Historiam v. ap. Liv. I, 16. Omnes fere *Capreae*, quod servavi, alii *Caprae*, unus tantum *Capream*, quod rec. Hs. Graeci αἰγὸς aut ζορκὸς ἕλος. — Un. *paludes*. 492. Tres *viris illic*. 493. Hs. mav. *en remov*. — Duo *coeli*, un. *solem*. 495. Sex *Intonat emissis*, un. *immissis*. Illud *emissis* placet Burm. — Un. *erumpitur*. 497. Duo *falsoque*. — Sex *crimina*. 498. Multi *ipsa*. 500. Multi *surgebat*. Burm. in verbo *fulgebat* vitium inesse censet, quum luna latuerit.

Quum subito motu nubes crepuere sinistrae.
Rettulit ille gradus, horrueruntque comae.
Pulcher, et humano maior, trabeaque decorus
Romulus in media visus adesse via,
Et dixisse simul, Prohibe lugere Quirites:
Nec violent lacrimis numina nostra suis.
Tura ferant, placentque novum pia turba Quirinum,
Et patrias artes militiamque colant.
Iussit, et in tenues oculis evanuit auras.
Convocat hic populos, iussaque verba refert.
Templa deo fiunt. Collis quoque dictus ab illo,
Et referunt certi sacra paterna dies.
Lux quoque cur eadem Stultorum festa vocetur,
Accipe: parva quidem causa, sed apta subest.
Non habuit tellus doctos antiqua colonos:
Lassabant agiles aspera bella viros.
Plus erat in gladio, quam curvo laudis aratro:
Neglectus domino pauca ferebat ager.
Farra tamen veteres iaciebant, farra metebant,
Primitias Cereri farra resecta dabant.
Usibus admoniti flammis torrenda dederunt,
Multaque peccato damna tulere suo.
Nam modo verrebant nigras pro farre favillas.
Nunc ipsas ignes corripuere casas.

---

501. Multi *sepes tremuere* aut *sonuere*, quid. *nubes crevere*, un. *crepuere*. Hs hinc rec. *nubes crepuere*. Unus *species sonuere*. 502. Multi *horruerant*. 505. Pro *simul* Hs mav. *viro*. 506. Pleriq. *Ne*. 509. Hs mav. *ten. evanuit ocius aur.* aut *tenuem ex ocul. evanuit auram*. 510. Multi *patres*, alii pleriq. *populos*, quod Hs rec. Liv. I, 16. *Proculus in concionem prodit*. 511. Un. *faciunt*, alius *ponunt*. 514. Pro *subest*, duo *fides*, quod Hs *fide* (h. e. *fidei*) scribendum putat. Tres *causa aperta tamen;* un. *apta tamen*. 520. Quid. melior. *secata*, un. *reperta*. 521. Un. *edocti*. — Ex undecim rec. Hs *dedere*, ego lect. ceteror. restitui. 524. Undecim *igni*, quod Hs rec., ego servavi ceteror. lect. Cf. Virg. E. VIII, 105. *corripuit tremulis altaria flammis Cinis ipse*. Taubner transponit *Ipsas nunc ignes*.

Facta dea est Fornax: laeti Fornace coloni
Orant, ut fruges temperet illa suas.
Curio legitimis nunc Fornacalia verbis
Maximus indicit, nec stata sacra facit;
Inque Foro, multa circum pendente tabella,
Signatur certa Curia quaeque nota;
Stultaque pars populi, quae sit sua Curia, nescit:
Sed facit extrema sacra relata die.

Est honor et tumulis. Animas placate paternas,
Parvaque in exstinctas munera ferte pyras,
Parva petunt Manes. Pietas pro divite grata est
Munere. Non avidos Styx habet ima deos.
Tegula porrectis satis est velata coronis,
Et sparsae fruges, parcaque mica salis,
Inque mero mollita Ceres, violaeque solutae.
Haec habeat media testa relicta via.
Nec maiora veto: sed et his placabilis umbra est.
Adde preces positis et sua verba focis.
Hunc morem Aeneas, pietatis idoneus auctor,
Attulit in terras, iuste Latine, tuas.
Ille patris Genio sollemnia dona ferebat;
Hinc populi ritus edidicere pios.

---

526. Quat. *vires*. 527. Plurimi *tunc*, Hs e melior. rec. *nunc*. 532. Pleriq. *relicta*, septem *relata*, quod Hs rec. 534. Omnes fere *exstructas*, duo tantum *exstinctas*, quod Hs rec. Idem ex uno rec. *ferte*, quum ceteri omnes *ferre* et in versu priore *placare* legant. 535. Hs mav. *gratis* pro *grata est*. 537. Omnes fere *porrectis*, quod servavi; duo *prorectis*, un. *proiectis*, quod Hs rec. *Porricere* sacrum est vocabulum. Cf. Virg. A. V, 238. — Duo *vallata*. 538. Pro *parcaque*, quod ex trib. rec. Hs, alii *sparsaque*, alii *parvaque*. Hs coni. *Et parcae fr. parcaque m.* 540. Alii *texta*. — Un. *reperta*. Hs mav. *relecta*. 542. Un. *in sua vota f.*, alius *et pia verba*. Burm. coni. *et sua* vel *pia vota f.* 545. Quid. *verba*, un. *busta*, unde Hs coni. *iusta*, ut 569. 546. Duo *addidicere*. — Pauci *novos*, un. *suos*.

At quondam, dum longa gerunt pugnacibus armis
Bella, Parentales deseruere dies.
Non impune fuit. Nam dicitur omine ab isto
Roma suburbanis incaluisse rogis.
Vix equidem credo: bustis exisse feruntur,
Et tacitae questi tempore noctis avi;
Perque vias urbis, Latiosque ululasse per agros
Deformes animas, vulgus inane, ferunt.
Post ea praeteriti tumulis redduntur honores,
Prodigiisque venit funeribusque modus.
Dum tamen haec fiunt, viduae cessate puellae:
Exspectet puros pinea taeda dies.
Nec tibi, quae cupidae matura videbere matri,
Comat virgineas hasta recurva comas.
Conde tuas, Hymenaee, faces, et ab ignibus atris
Aufer. Habent alias maesta sepulcra faces.
Dî quoque templorum foribus celentur opertis,
Ture vacent arae, stentque sine igne foci.
Nunc animae tenues et corpora functa sepulcris
Errant: nunc posito pascitur umbra cibo.
Nec tamen haec ultra, quam tot de mense supersint
Luciferi, quot habent carmina nostra pedes.
Hanc, quia iusta ferunt, dixere *Feralia* lucem.
Ultima placandis Manibus illa dies.

---

547. Tres melior. *legunt*, nonn. *ferunt*. — Plurimi *pugnantibus*. 548. Tres *deseruisse*. 549. Un. *fertur crimine*. 550. Un. *focis*. 551. Un. *fatentur*. 552. Un. *tacito*. 553. Quat. *Latiosque*, quod Hs rec. ceteri *latosque* aut *latos ul*. 557. Pleriq. *fient*. — Duo *avidae*. 558. Quinq. *Exspectat*, plurimi *Exspectet*, quod Hs rec., ceteri *Exoptat*. — Ambigunt interpretes, *pinea* an *spinea* scripserit poeta. 559. Pro *cupidae* quatuor *primum*. 563. Tres *celebrentur*. — Duo *apertis*. 564. Sex *sintque*. 566. Un. *imposito*, alius *parvo*. 567. Meliores *haec*, ceteri *hoc*. — E melior. Hs rec. *tot* — *supersint*, ceteri *quum tot* aut *quam quot* aut *quam quum* — *supersunt*. Cf. VI, 795. 569. Ios. Scaliger coni. *dicunt Fer*. 570. Duo *Optima*.

Ecce anus in mediis residens annosa puellis
Sacra facit Tacitae: vix tamen ipsa tacet;
Et digitis tria tura tribus sub limine ponit,
Qua brevis occultum mus sibi fecit iter.
Tum cantata ligat cum fusco licia plumbo;
Et septem nigras versat in ore fabas;
Quodque pice adstrinxit, quod acu traiecit ahena,
Obsutum maenae torret in igne caput:
Vina quoque instillat. Vini quodcumque relictum est,
Aut ipsa, aut comites, plus tamen ipsa, bibit.
Hostiles linguas inimicaque vinximus ora,
Dicit discedens, ebriaque exit anus.
Protinus a nobis, quae sit dea Muta, requires.
Disce, per antiquos quae mihi nota senes.
Iuppiter indomito Iuturnae captus amore
Multa tulit, tanto non patienda deo.
Illa modo in silvis inter coryleta iacebat:
Nunc in cognatas desiliebat aquas.

---

571. Un. *animosa*. Hs mav. *vinosa* aut *pannosa*. 572. Pro *Tacitae* un. *Mutae*. — Pleriq. *nec tamen*, quid. melior. *vix tamen*, quod Hs rec. 573. Pro *tribus* duo *simul*. — Un. *limina*. 575. Ex sedecim etiam melior. Hs rec. *ligat*, ceteri *tenet*. — Omnes fere *plumbo*, quod restitui c. I. H. Vossio ad Virg. E. VIII, 68. Unus tantum et alius pro diversa lect. *rhombo*, quod Hs rec. Alii *bombo* vel *bumbo* vel *limbo*. — Pro *cum f.* un. *consuto*, tres *confuso*, duo *cumfuso*. Francius ap. Burm. vult *cum Tusco*. 577. Quid. *adstringit*. — Alii *transfixit*, un. ex optim. *transfigit*. — Pro *ahena* quid. *acuta* 578 Duo *Obtusum mentae*, alii duo *Obsutum mentae*, duo *Obsutum menae* (*maenae*), quod Hs rec. ceteri *Obsutum menta* vel *mintha*. 579. Quinq. *instillant*. — Duo non leg. *est*, unde Hs mav. *relicti*. 581. Alii *vicimus*, al. *iunximus*. Virg. E. VIII, 78. *Necte, Amarylli, modo, et Veneris, dic, vincula necto*. 583. Duo *Forsitan — requiras*, quod Hs rec., ego ceteror. lect. servavi. 585. Ita libri melior. multi, quod Hs rec. et Modio l. c. placet; ceteri *immodico Iut. victus amore*; quid. tamen *vinctus*. 587. Un. *coruleta*. — Un. ex opt. tresq. al. *latebat*, quod Hs rec.; ceteri *iacebat*, quod reduxi.

Convocat hic Nymphas, Latium quaecumque tenebant,
Et iacit in medio talia verba choro:
Invidet ipsa sibi vitatque, quod expedit illi,
Vestra soror summo iungere membra deo.
Consulite ambobus: nam quae est mea magna voluptas,
Utilitas vestrae magna sororis erit.
Vos illi in prima fugienti obsistite ripa,
Ne sua flumineа corpora mergat aqua.
Dixerat: annuerunt nymphae Tiberinides omnes,
Quaeque colunt thalamos, Ilia diva, tuos.
Forte fuit Nais, Lara nomine: prima sed illi
Dicta bis antiquum syllaba nomen erat,
Ex vitio positum. Saepe illi dixerat Almo,
Nata, tene linguam: nec tamen illa tenet.
Quae, simul ac tetigit Iuturnae stagna sororis,
Effuge, ait, ripas: dicta refertque Iovis.
Illa etiam Iunonem adiit, miserataque nuptam,
Naïda Iuturnam vir tuus, inquit, amat.
Iuppiter intumuit: quaque est non usa modeste,
Eripuit linguam, Mercuriumque monet,

---

589. Ex uno rec. Hs *quotcunque tenebas;* alius *quotcumq. tenebant,* ceteri omnes *quaec. ten.* quod restitui. 590. Hs coni. *facit.* 592. Ita melior. multi, quod Hs rec., ceteri *concubuisse,* un. *procubuisse.* — Pro *deo* un. *Iovi.* 593. Meliores pleriq. *nam quae est,* quod recepi, nec Hs displicuit; ceteri *nam quae,* quod Hs rec., un. *nam quod,* alius *quoniam.* 594. Decem *prima sor.* Burm. mav. *priva.* 595. *in* deest in uno. 596. Duo *mandet,* unde Hs coni. *flumineae c. mandet aquae.* 597. Duo *annuerunt,* quod Hs rec., ceteri *annuerant.* — Plerique *omnes Tiberinides undae,* duo *nymphae Tiberinidos undae,* ceteri quod ego recepi. Hs ex illo fec. et rec. *omnes Tiberinides udae,* quod approbat Bentl. Horat. Od. I, 10, 1. 598. Hs mav. *dia.* 599. Pro *Nais* tres *Nymphe,* un. *Nympha.* — Pleriq. *Lar,* novem *Lara.* 601. Duo *Almon.* 603. Un. *tecta.* 605. Un. *Illa eadem.* — Un. *miserata maritas.* — Pleriq. *nuptas,* alii *nymphae* vel *nympham.* 607. Hs mav. *minus usa m.* 608. Octo melior. *Eripuit,* quod Hs rec., ceteri *Eripit huic.* Pleriq.

Duc hanc ad Manes: locus ille silentibus aptus.
Nympha, sed infernae Nympha paludis, erit.
Iussa Iovis fiunt. Accepit lucus euntes.
Dicitur illa duci tum placuisse deo.
Vim parat hic: vultu pro verbis illa precatur,
Et frustra muto nititur ore loqui.
Fitque gravis, geminosque parit, qui compita servant,
Et vigilant nostra semper in aede, Lares.

Proxima cognati dixere Caristia cari,
Et venit ad socias turba propinqua dapes.
Scilicet a tumulis, et, qui periere, propinquis
Protinus ad vivos ora referre iuvat,
Postque tot amissos, quidquid de sanguine restat,
Adspicere, et generis dinumerare gradus.
Innocui veniant: procul hinc, procul impius esto
Frater, et in partus mater acerba suos;
Cui pater est vivax, qui matris digerit annos,
Quae premit invisam socrus iniqua nurum.
Tantalidae fratres absint, et Iasonis uxor,
Et quae ruricolis semina tosta dedit:

---

vocat; iidem illi melior. *monet,* quod c. Hs recepi; idem coni. *monet, Ducat ut ad M.,* aut quum postea quid. leg. *Nympham haec infernae,* legit, *Duc hanc ad M.* (l. ille sil. a.) *Nympham, ait; infernae N.* — Horat. Od. I, 10, 17. Tu (Merc.) pias lactis animas reponis Sedibus, virgaque levem coerces Aurea turbam, superis deorum Gratus et imis.

609. Omnes *Duc hanc ad M.,* quod restitui. Burm. sine cod. rec. *Duc, ait, ad M.* 610. Quid. *Nympham;* nostr. legunt edd. iam ante Hs. 611. Quaed. edd. mendose *luctus.* 612. Un. *tunc,* un. *complacuisse.* — Alii multi *suo.* 613. Pleriq. *hunc vultu,* un. *huic,* alius *hinc,* alius ex opt. *hic,* quod Hs rec. 616. Pleriq. *in aede,* quod c. Gierig. reddidi, alii *in urbe,* quod Hs rec. 618. Pleriq. *socios — deos,* quinq. nostr., quod Hs rec., un. *patres,* alius *cibos.* 619. Un. *sed qui.* — Decem *propinqui,* un. *propinquos.* 624. Un. *tuos,* quod Hs placet. 625. Un. *cui mater degerit* — Un. *degerit,* alius *dirigit.* Ovid. M. I, 188. *Filius ante diem patrios inquirit in annos.*

Et soror, et Progne, Tereusque duabus iniquus,
Et quicumque suas per scelus auget opes.
Dis generis date tura bonis; Concordia fertur
Illa praecipue mitis adesse die;
Et libate dapes, ut grati pignus honoris
Nutriat incinctos missa patella Lares.
Iamque ubi suadebit placidos nox ultima somnos,
Larga precaturi sumite vina manu,
Et, Bene nos, Patriae, bene te, Pater, optime Caesar!
Dicite suffuso per sacra verba mero.

Nox ubi transierit, solito celebretur honore,
Separat indicio qui deus arva suo.
Termine, sive lapis, sive es defossus in agro
Stipes ab antiquis, sic quoque numen habes.
Te duo diversa domini pro parte coronant,
Binaque serta tibi, binaque liba ferunt.

---

631. Multi *bonis*, quod Hs rec., ceteri *boni*, quod Mitsch. rec. 632. Plurimi *Illa*, quod restitui, ceteri *Illo*, quod Hs et Burm. rec. — Pro *die* un. *iubet*. 633. Pleriq. melior. *honoris*, quod Hs rec., ceteri *amoris*. 634. Pleriq. *intinctos m. p. cibos*, un. *inventus cibos*, alius *intactos cibos*, undecim *immissos cibos*, quinq. *incinctos cibos*, tres *intinctos Lares*. Hinc Hs coni. et rec. *incinctos — Lares*. — Duo *uncta p.*, un. *iunota*, alius *iussa*. 635. Pleriq. *humida*, sex *ultima*, quod Hs rec. 636. Omnes fere *Larga*, quod ego reddidi; un. et alius pro divers. lect. *Parca*, quod Hs sine dubitatione legend. esse censet. — Duo *precatura — manu*, ceteri *precaturi — manu*, un. *manus*. Hinc Hs coni. et rec. *precaturae — manus*; ego veter. lect. servavi. 637. Burm. dubium esse ait, utrum praestet, *Bene nos* an *B. vos*, quum codd. varient. — Un. *bene tu*. 638. Quid. *post sacra*, tres *sints.*, plus septem *sint bona*, multi *in sacra*. Hs. leg. *sint rata* vel *ter rata* vel *ter bona*. Burm. qui vulg. plurimor. retinuit, si quid mutandum sit, mav. *per sua* vel *per bona*. 641. Un. *agris*. 642. Quat. *sic quoque*, quod Hs rec., ceteri *tu quoque*. — Multi *nomen*. Ceterum Burm. primus distinxit post *antiquis*, quum antea post *stipes* distinctum esset. 643. Multi melior. *pri parte*, quod Hs rec., ceteri *de p.* 644. Multi etiam melior. *liba*, quod Hs rec., ceteri *dona*.

Ara fit: huc ignem curto fert rustica testu
  Sumptum de tepidis ipsa colona focis.
Ligna senex minuit, concisaque construit alte,
  Et solida ramos figere pugnat humo.
Dum sicco primos irritat cortice flammas,
  Stat puer, et manibus lata canistra tenet.
Inde, ubi ter fruges medios immisit in ignes,
  Porrigit incisos filia parva favos.
Vina tenent alii: libantur singula flammis.
  Spectant et linguis candida turba favent.
Spargitur et caeso communis Terminus agno:
  Nec queritur, lactens quum sibi porca datur.
Conveniunt celebrantque dapes vicinia supplex,
  Et cantant laudes, Termine sancte, tuas.
Tu populos, urbesque, et regna ingentia finis:
  Omnis erit sine te litigiosus ager.
Nulla tibi ambitio est: nullo corrumperis auro:
  Legitima servas credita rura fide.
Si tu signasses olim Thyreatida terram,
  Corpora non leto missa trecenta forent,

---

645. Multi *fit hic: ign.*, alii *fit: hac*, un. *huic*, alii *fit: huc*, quod Hs servavit. — Quid. *curto — testa*, multi *curvo — testa*, duo *curto — teste*, un. *curto — texto*, alius *curto — testo*, quid. *curto — testu*, quod e. aliis Hs rec. 647. Un. ex opt. *destruit*. Pro *alte*, quod eod. un. optim. et ed. Basil. habet et Hs rec., ceteri *arte* aut *aroe*, duo *apte*, up. *aras*, unde Hs coni. *concisa superstruit aras*. 648. Undec. *tentat*. 649. *Dum* ex uno Hs rec., ceteri *Tum*. — Alii *invitat*. 652. *Ant. Rynaeus* et *Rigaltius* leg. *Porricit*. — Un. *incusses*, alius *infusos*. 653. Alii *parant*. 654. Octo *Spectat et in ling.* Hs coni. *Spectat et clinguis — favet*. — Duo *cetera*. 655. Omnes fere *caeso — agno*, quod servavi; unus tantum *caesa — agna*, quod Hs. rec. 657. Ita plurimi, quod restitui, alii multi *simplex*, quod Hs. rec. 659. Un. *signas*, alius *signat*. 662. Duo *iura*. 663. Res gesta a. C. 548. Cf. Herodot. I, 24. Tres *Thyreida*.

Nec foret Othryades congestis lectus in armis.
O quantum patriae sanguinis ille dedit!
Quid, nova quum fierent Capitolia? nempe deorum
Cuncta Iovi cessit turba, locumque dedit.
Terminus — ut veteres memorant — inventus in aede
Restitit, et magno cum Iove templa tenet.
Nunc quoque, se supra ne quid nisi sidera cernat,
Exiguum templi tecta foramen habent.
Termine, post illud levitas tibi libera non est,
Qua positus fueris in statione, mane.
Nec tu vicino quidquam concede roganti,
Ne videare hominem praeposuisse Iovi;
Et seu vomeribus, seu tu pulsabere rastris,
Clamato, Meus est hic ager, ille tuus.
Est via, quae populum Laurentes ducit in agros,
Quondam Dardanio regna petita duci.
Illac lanigeri pecoris tibi, Termine, fibris
Sacra videt fieri sextus ab urbe lapis.
Gentibus est aliis tellus data limite certo;
Romanae spatium est urbis et orbis idem.

Nunc mihi dicenda est Regis fuga. Traxit ab illa
Sextus ab extremo nomina mense dies.

---

665. Plurimi *coniectis*, duo *contextis*. — Omnes *tectus*; attamen c. Barthio (ad Stat. Theb. IV, 47. *Lacedaemonium Thyre lectura cruorem*) et Hs recepi *lectus*. 667. Historiam v. ap. Liv. I, 55. 669. Ex quinque Hs rec. *conventus*: ego vet. ceteror. lect. recepi. Burm. mav. *tunc lentus*. 670. Un. *tenent*. 674. Plurimi *fueras* et *manes*. 678. Plurimi *tuus est hic ager, ille suus*, alii *tuus est hic ager, ille tuus*, alii *suus est hic ager, ille tuus*, duo ita ut c. Hs recepi. Hs mav. tamen: *Meus est, est ager ille meus*. 679. Quinq. *populos*. 680. Tres *terra*. — Un. *petenda*, alius *potita*. 681. Plurimi *Illa*, alii *Illic*, un. *Illac*, quod Hs rec. 682. Quinq. *vides*, un. *iubet*. 683. Un. *tellus in limite*. 685. Omnes fere *mihi dicenda est*, quod ego servavi; duo tantum *dicenda mihi R.*, quod Hs rec. Cf. III, 674. — Duo *regum*. Regifugium factum a. U. 244. a. C. 510. 686. Un. *Quintus*, quod Neap. unice verum putat, alius *Septimus extr.* Hs pro *ab*, quod inconcinne bis occurrat, coni. *in*.

Ultima Tarquinius Romanae gentis habebat
Regna, vir iniustus, fortis ad arma tamen.
Ceperat hic alias, alias everterat urbes,
Et Gabios turpi fecerat arte suos.
Namque trium minimus, proles manifesta Superbi,
In medios hostes nocte silente venit.
Nudarant gladios: Occidite, dixit, inermem!
Hoc cupiant fratres, Tarquiniusque pater,
Qui mea crudeli laceravit verbere terga!
— Dicere ut hoc posset, verbera passus erat —
Luna fuit. Spectant iuvenem, gladiosque recondunt,
Tergaque, deducta veste, notata vident.
Flent quoque, et, ut secum tueatur bella, precantur.
Callidus ignaris annuit ille viris.
Iamque potens misso genitorem appellat amico,
Prodendi Gabios quod sibi monstret iter,
Hortus odoratis suberat cultissimus herbis,
Sectus humum rivo lene sonantis aquae.
Illic Tarquinius mandata latentia nati
Accipit, et virga lilia summa metit.
Nuntius ut rediit, decussaque lilia dixit,
Filius, Agnosco iussa parentis, ait.
Nec mora: principibus caesis ex urbe Gabina,
Traduntur ducibus moenia nuda suis.

688. Liv. I, 53. *Nec, ut iniustus in pace rex, ita dux belli pravus fuit.* 689. Un. *aliasque evert.*, tres *averterat.* — Un. *arces.* 691. Duo *Iamque.* Historiam v. ap. Liv. I, 53. 693. Decem *Nudarunt.* 694. Quinque *cupiant*, quod Ils rec., ceteri *cupiunt.* Cf. IV, 890. Virg. A. II, 104. *Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridae!* 696. Alii *haec.* 698. Tres *diducta.* 700. Duo *illa*, venuste, ut ait Ils. 702. Multi *Perdendi*, nostr. e codd. rec. Hs. — Multi *quo*, nonn. *qui*, duo *ut.* 703. Quat. *fuerat.* 704. Plurimi *Septus.* 706. Tres *petit*, duo *legit.* Liv. l. c. *Summa papaverum capita dicitur baculo decussisse.* 707. Sex *decisaque*, quat. *discussaque.* 708. Un. *verba.* 709. Novem *Gabinis.* 710. Un. *Produntur.*

Ecce — nefas visu — mediis altaribus anguis
Exit, et exstinctis ignibus exta rapit.
Consulitur Phoebus. Sors est ita reddita: Matri
Qui dederit princeps oscula, victor erit.
Oscula quisque suae matri properata tulerant,
Non intellecto credula turba deo.
Brutus erat stulti sapiens imitator, ut esset
Tutus ab insidiis, dire Superbe, tuis.
Ille iacens pronus matri dedit oscula Terrae,
Creditus offenso procubuisse pede.
Cingitur interea Romanis Ardea signis,
Et patitur lentas obsidione moras.
Dum vacat, et metuunt hostes committere pugnam,
Luditur in castris: otia miles agit.
Tarquinius iuvenis socios dapibusque meroque
Accipit, atque illis rege creatus ait:
Dum nos difficilis pigro tenet Ardea bello,
Nec sinit ad patrios arma referre deos;
Ecquid in officio torus est socialis? et ecquid
Coniugibus nostris mutua cura sumus?
Quisque suam laudant. Studiis certamina crescunt,
Et fervent multo linguaque corque mero.

---

711. Octo *visum est.* Cf. Liv. I, 56. 714. Praestantior. pleriq. *princeps,* quod Hs rec. ceteri *primus.* Liv. l. c. *Imperium summum Romae habebit, qui vestrum primus, o iuvenes, osculum matri tulerit.* 715. Alii multi *dederunt.* 716. Un. *sono.* 719. Omnes *iacens,* quod servavi, Hs mav. *cadens,* Burm. sine cod. ex edit. Gryph. edid. *tacens.* 721. Cf. Liv. I, 57. Unus *Interea cingi R.,* venuste, ut ait Hs. 722. Novem *lentas,* quod Hs. rec., ceteri *longas.* 723. Tres *contendere pugna,* duo *contemnere p.* 724. Duo *Conditus in* — Un. *habet.* 725. Hs sine cod. leg. *iuvenes,* Burm. omnium lect. *iuvenis* rec. 726. Sex *atque illis,* quod Burm. rec., ceteri *ex illis.* 727. Multi melior. *difficilis,* quod Hs rec., ceteri *sollicitos.* 728. Septem *patrias — domos.* 731. Un. *laudant,* quod Hs rec., ceteri *laudat.* 732. Praestantior. pleriq. *fervent,* quod Hs rec., ceteri *fervet.*

Surgit, cui clarum dederat Collatia nomen;
Non opus est verbis, credite rebus, ait.
Nox superest: tollamur equis, urbemque petamus.
Dicta placent: frenis impediuntur equi.
Pertulerant dominos. Regalia protinus illi
Tecta petunt: custos in fore nullus erat.
Ecce nurum regis fusis per colla coronis
Inveniunt posito pervigilare mero.
Inde cito passu petitur Lucretia. Nebat;
Ante torum calathi lanaque mollis erant.
Lumen ad exiguum famulae data pensa trahebant,
Inter quas tenui sic ait ipsa sono:
Mittenda est domino — nunc, nunc properate, puellae — 745
Quamprimum nostra facta lacerna manu.
Quid tamen audistis? — nam plura audire potestis —
Quantum de bello dicitur esse super?
Postmodo victa cades, melioribus, Ardea, restas,
Improba, quae nostros cogis abesse viros.

---

733. Hs prorsus legend. censet *Surgite!* 737. Pro *dominos* duo *montes*. 739. Nodell ad Avian. p. 108 leg. *nurus*. Liv. I, 57. *regias nurus in convivio luxuque cum aequalibus viderunt tempus terentes*. — Multi *capillis*, quod Modio Novant. lectt. Ep. 63. placet. Sed cf. V, 340. 740. Quat. *multo pero*. 741. Sex melior. *Nebat*, quod Hs rec., ceteri *cuius*. Liv. l. c. *Lucretiam nocte sera deditam lanae inter lucubrantes ancillas in medio aedium sedentem inveniunt*. 744. Ex octo *ipsa* recepit Hs, ceteri *illa*. 746. Octo *vestra*. — Pro *manu* un. *capa*. 747. Multi *audistis*, quod Hs rec., ceteri *auditis*. — Duo *soletis*, quod Hs rec., ceteri *potestis*, quod ego servavi. 749. Tres *Postea*. Hs versum esse mendosum ait et coni. *Dummodo victa cadas*. Ut hic *restare*, ita Propert. III, 7, 31. *Dum pugnant Danai, dum restat barbarus Hector*. Livius pluribus locis, ut XXIII, 45. *Nunc paucis plures vix restatis*. Cf. Intpp. ad Liv. IV, 58. 750. Un. ex opt. *Impia*.

Sint tantum reduces. Sed enim temerarius ille
Est meus, et stricto quolibet ense ruit.
Mens abit, et morior, quotics pugnantis imago.
Me subit, et gelidum pectora frigus habet.
Desinit in lacrimas, intentaque fila remittit,
In gremio vultum deposuitque suum.
Hoc ipsum decuit: lacrimae decuere pudicam,
Et facies animo dignaque parque fuit.
Pone metum, venio, coniux ait. Illa revixit,
Deque viri collo dulce pependit onus.
Interea iuvenis furiales regius ignes
Concipit, et caeco raptus amore furit.
Forma placet, niveusque color, flavique capilli,
Quique aderat nulla factus ab arte decor.
Verba placent, et vox, et quod corrumpere non est:
Quoque minor spes est, hoc magis ille cupit.

---

751. Pro *ille* duo *ultro*, un. ex optim. *esto*. Hinc Hs coni. *est o, Est meus*. 752. Novem *Vir meus*. — Plurimi *qualibet*; nostr. ex multis rec. Hs., un. *quemlibet — petit*, et unus optim. *fruit*. Hinc Cioſ. mav. *furit*, et Hs *quamlibet ense furit*. 753. Similiter Noster Am. III, 14, 37. *Mens abit et morior, quotiès peccasse fateris, Perque meos artus frigida gutta fluit*. 754. Edd. quaed. *frigora pectus habent*. 755. Melior. *lacrimas*, quod Hs rec., ceteri *lacrimis*. — Hs plurim. lect. *inceptaque* servavit, Burm. praetul. alteram multor. 756. Plurimi *suo*. 757. Multi *ipsam*. — Plurimi *decuere pudicam*, quod c. Gierig. restitui; nonn. *decucre pudicae*, decem *cecidere pudicae*, quod Hs rec. 759. Alii *veni*. 761. Octo ex optim. *furiatus*, quod paene praetuli. Hinc Hs coni. et rec. *furiatos*, ceteri *furiales*, quod c. Gierig. servavi. 762. Duo *saevo*. — Decem *captus*. — Novem *fuit*, oct. *furit*. In Hs edit. *ruit*, nulla cod. auctoritate. 763. Un. *vivensque c.*; hinc Hs coni. *vivusque*. — Pro *flavique* un. *nigrique*, quod Burm. unice placet. 764. Sex *color*. 765. Quinq. *quam*, tres *qua*. Liv. l. c. *tum forma, tum spectata castitas incitat*. 766. Tres *minus*, unde Hs coni. *spei minus*.

Iam dederat cantum lucis praenuntius ales,
Quum referunt iuvenes in sua castra pedem.
Carpitur attonitos absentis imagine sensus
Ille: recordanti plura magisque placent.
Sic sedit, sic culta fuit, sic stamina nevit,
Neglectae collo sic iacuere comae,
Hos habuit vultus, haec illi verba fuere,
Hic decor, haec facies, hic color oris erat.
Ut solet a magno fluctus languescere flatu,
Sed tamen a vento, qui fuit, unda tumet:
Sic, quamvis aberat placitae praesentia formae,
Quem dederat praesens forma, manebat amor.
Ardet, et iniusti stimulis agitatus amoris
Comparat indigno vimque dolumque toro.
Exitus in dubio est. Audebimus ultima, dixit,
Viderit, audentes forsne deusne iuvet.
Cepimus audendo Gabios quoque. Talia fatus
Ense latus cinxit, tergaque pressit equi.
Accipit aerata iuvenem Collatia porta,
Condere iam vultus sole parante suos.

---

767. Alii multi *cantus*. Virg. Moret. 2. *Excubitorque diem cantu praedixerat ales*, Theocr. Id. XVIII, 56. ἐπεί κα πρᾶτος ἀοιδὸς Ἐξ εὐνᾶς κελαδήσῃ ἀνασχὼν εὔτριχα δειράν. 768. Plurimi *pedes*. 770. Quinq. *Illa*. — Un. *pulchra*, unde Hs coni. *Illa record. pulchra m.* vel *plusque m.* Ita Chariton. de Chaer. et Callirrh. II, 4. Καὶ πάντων ἀνεμιμνήσκετο· τοῦ προσώπου, τῆς κόμης, πῶς ἐσῃράφη, πῶς ἐνέβλεπε, τῆς φωνῆς, τοῦ σχήματος, τῶν ῥημάτων. 772. Optimor. et multor. auct. Hs rec. *Neglectae*, ceteri *Iniectae*. 773. Tres *cultus*. 774. Multi *hic color, h. f., hic decor oris erat*. 776. Sex *fuit ante, t.* 779. Hs mav. *incesti*. 780. Praestantiores *dolumque*, quod Hs rec., ceteri *metumque*. 782. Un. *audaces*. — Multi *Forsque Venusque iuvant*, quinq. *Forsque Deusque*, alii *Forsque metusque*, un. *Forsve metusve*, tres *Forsne deusne*, unde Hs nostr. lect. fecit et rec. 784. Decem *cingit*, quod Hs rec., ego ceteror. lect. servavi.

Hostis, ut hospes, init penetralia Collatini:
Comiter excipitur: sanguine iunctus erat.
Quantum animis erroris inest! parat inscia rerum
Infelix epulas hostibus illa suis
Functus erat dapibus: poscunt sua tempora somni.
Nox erat, et tota lumina nulla domo.
Surgit, et auratum vagina liberat ensem,
Et venit in thalamos, nupta pudica, tuos.
Utque torum pressit, Ferrum, Lucretia, mecum est,
Natus, ait, regis, Tarquiniusque loquor.
Illa nihil: neque enim vocem viresque loquendi,
Aut aliquid toto pectore mentis habet.
Sed tremit, ut quondam stabulis deprensa relictis
Parva sub infesto cum iacet agna lupo.
Quid faciat? pugnet? vincetur femina pugna.
Clamet? at in dextra, qui necet, ensis adest.
Effugiat? positis urgentur pectora palmis;
Tunc primum externa pectora tacta manu.
Instat amans hostis precibus, pretioque, minisque:
Nec prece, nec pretio, nec movet ille minis.

---

787. Ex uno Hs rec. *Collatina*, ego e. Gierig. ceteror. lect. servavi. 788. Duodecim *accipitur*, quod Burm. placet. 789. Ita Noster M. VI, 472. *Proh Superi! quantum mortalia pectora caecae noctis habent!* 791. Meliores *somni*, quod Hs rec., ceteri *somnum*. 793. Nonn. etiam melior. *aurata*. — Un. *deripit*, quod Hs placet, non tamen rec. 795. Liv. l. c. *Tace, Lucretia! Sextus Tarquinius sum; ferrum in manu est.* 796. Ex duodec. Burm. rec. *loquor*, ceteri *vosor*. 799. Alii *tremuit quondam ut*, un. *fremit* 801. Hs e melior. rec. *pugna*, ceteri *pugnans*. 802. Octo *necet*, quod Hs rec., ceteri *vetet* aut *vetat*. — Idem ex optimo et tribus aliis rec. *adest*, ceteri *erat*. 803. Omnes fere *urgentur*, quod e. Gierig. servavi; unus tantum *urgetur*, quod e. Modio Novant. lectt. Ep. 63. rec. Hs. Liv. l. c. *sinistraque manu mulieris pectore oppresso*. 804. Omnes *Tunc*, quod restitui, praeter duos, ex quib. *Num* Hs rec. 805. Hoc ordine duo optimi libri, quem Hs rec., ceteri *pretio, precibusque, minisque*. Liv. l. c. *tum Tarquinius fateri amorem, orare, miscere precibus minas*. 806. Tres *valet*, quod Burm. placet.

Nil agis; eripiam, dixit, pro crimine vitam:
Falsus adulterii testis adulter erit.
Interimam famulum, cum quo deprensa fereris.
Succubuit famae victa puella metu.
Quid, victor, gaudes? haec te victoria perdet.
Heu quanto regnis nox stetit una tuis!
Iamque erat orta dies: passis sedet illa capillis,
Ut solet ad nati mater itura rogum;
Grandaevumque patrem fido cum coniuge castris
Evocat: et posita venit uterque mora.
Utque videt habitum, quae luctus causa, requirunt,
Cui paret exsequias, quove sit icta malo.
Illa diu reticet, pudibundaque celat amictu
Ora. Fluunt lacrimae more perennis aquae.
Hinc pater, hinc coniux lacrimas solantur, et orant;
Indicet: et caeco flentque paventque metu.
Ter conata loqui, ter destitit, ausaque quarto,
Non oculos adeo sustulit illa suos.
Hoc quoque Tarquinio debebimus? eloquar, inquit,
Eloquar infelix dedecus ipsa meum.
Quaeque potest narrat. Restabant ultima; flevit,
Et matronales erubuere genae.

---

807. Burm. e plerisq. *pro crim.* rec., ceteri *par crimina*, quod Hs servavit; ille tamen mav. *sub cr.* 808. Meliores *erit*, quod Hs rec., ceteri *ero*, un. *erat*. 809. Un. ex optim. *quocum*. Hs mav. *quicum*. Liv. l. c. *Ubi obstinatam videbat, et ne mortis quidem metu inclinari, addit ad metum dedecus: cum mortua ingulatum servum nudum posituram, ait, ut in sordido adulterio nexata dicatur.* 810. Un. *femina victa metu*. 812. Quat. *quantum — dedit*, tres *tulit*, un. *quantum — obstitit*. 813. Multi *sparsis*. 814. Un. *Ut sedet*. 816. Un. *Convocat*. — Hs mav. *Ut posita — mora, Utque*. — 818. Hs e plerisq. *malo* rec., ceteri *modo*. 820. Sex *fluentis aq.* 822. Duo *lacrimis*. 822. Tres *faventque*. 823. Quat. *defixit*. 824. Decem *ad eos*, septem *adeo*, quod Hs rec., ceteri *ideo*. Ille coni. tamen *ab humo*.

Dant veniam facto genitor coniuxque coactae.
Quam, dixit, veniam vos datis, ipsa nego.
Nec mora; celato figit sua pectora ferro,
Et cadit in patrios sanguinolenta pedes.
Tunc quoque iam moriens, ne non procumbat honeste,
Respicit. Haec etiam cura cadentis erat.
Ecce super corpus communia damna gementes,
Obliti decoris, virque paterque iacent.
Brutus adest, tandemque animo sua nomina fallit,
Fixaque semanimi corpore tela rapit;
Stillantemque tenens generoso sanguine cultrum,
Edidit impavidos ore minante sonos:
Per tibi ego hunc iuro fortem castumque cruorem,
Perque tuos Manes, qui mihi numen erunt,
Tarquinium poenas profuga cum stirpe daturum.
Iam satis est virtus dissimulata diu.
Illa iacens ad verba oculos sine lumine movit,
Visaque concussa dicta probare coma.
Fertur in exsequias animi matrona virilis,
Et secum lacrimas invidiamque trahit.

---

829. Duo *facti*. — Pleriq. *coactae*, quod servavi. Hs ex ceteris rec. *coacto*. Liv. I, 58. *Consolantur aegram animi avertendo noxam ab coacta in auctorem delicti*. 831. Un. *collato*, unde Hs coni. *prolato*. — Meliores *figit*, quod Hs rec., ceteri *fixit*. 833. Tres *Hoc etiam m*. — Similiter de Polyxena Eurip. Hec. 568 ἡ δὲ καὶ θνήσκουσ' ὅμως πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν. 837. Cf. Liv. l. c. Brutus, illis luctu occupatis, cultrum ex vulnere Lucretiae extractum manantem cruore prae se tenens, Per hunc, inquit, castissimum ante regiam iniuriam sanguinem iuro, vosque, dii, testes facio, me L. Tarquinium cum scelerata coniuge et omni liberorum stirpe ferro, igni, quacumque dehinc vi possim, exsecuturum, nec illos, nec alium quemquam regnare Romae passurum. 838. Un. *semanimo*, alius *semianimi* et pro var. lect. *semianimo*. 840. Un. *micante*, unde Hs coni. *minace*. 844. Pro *diu* quinque *mihi*. 845. Octo *adversa*, quod Hs placet. — Un. *vertit*.

Vulnus inane patet. Brutus clamore Quirites
Concitat, et regis facta nefanda refert.
Tarquinius cum prole fugit. Capit annua Consul
Iura. Dies regnis illa suprema fuit.

Fallimur? an veris praenuntia venit hirundo,
Et metuit, ne qua versa recurrat hiems?
Saepe tamen, Progne, nimium properasse quereris,
Virque tuo Tereus frigore lactus erit.

Iamque duae restant noctes de mense secundo,
Marsque citos iunctis curribus urget equos.
Ex vero positum permansit Equiria nomen,
Quae deus in campo prospicit ipse suo.
Iure venis, Gradive; locum tua tempora poscunt,
Signatusque tuo nomine mensis adest.
Venimus in portum libro cum mense peracto.
Naviget hinc alia iam mihi linter aqua.

---

850. Quat. *Convocat.* 852. Un. *ultimus ille fuit.* 853. Duo *venit pr. veris hir.* 854. Quat. *An met.* 858. Un. *citis iunctos*, tres *citus iunctis.* 860. Multi *perspicit.* Hs nostr. e codd. 861. Hs mav. *sua*, quia *tuo* mox sequatur. 864. Pro *hinc* Modius Novant. lectt. Ep. 63. mav. *hic*, ut sit Nominativus cum *linter* coniungendus. — Quinque *mea linter.*

LIBER TERTIUS.

Bellice, depositis clypeo paullisper et hasta,
Mars, ades, et nitidas casside solve comas.
Forsitan ipse roges, quid sit cum Marte poëtae.
A te, qui canitur, nomina mensis habet.
Ipse vides manibus peragi fera bella Minervae;
Num minus ingenuis artibus illa vacat?
Palladis exemplo ponendae tempora sume
Cuspidis; invenies, et quod inermis agas.
Tum quoque inermis eras, quum te Romana sacerdos
Cepit, ut huic urbi semina digna dares.
Silvia Vestalis — quid enim vetat inde moveri? —
Sacra lavaturas mane petebat aquas.

---

3. Un. *poetis*. 6. Meliores *Num m.*, quod c. Neap. Hs rec. ceteri *Non m.* 7. Un. *Pallados*. 8. Multi *Cassidis*. — Melior. *et quod*, alii *ecquid*. 9. Hs mav. *Troiana s.*, ut Horat. Od. III, 3, 23. *Troica sacerdos* et Stat. Silv. I, 2, 192. *Dardana sacerdos*. *I. F. Gruner* in Actis soc. Ien. III. p. 46. mav. *regina s.*, ut ap. Virg. A. I, 277. *donec regina sacerdos Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem*. 10. Tres melior. *digna*, quod Hs. rec., ceteri *magna*. Cf. II, 383. 11. Unus tantum *Ilia*, quod Hs rec., ceteri omnes *Silvia*, quod ego c. Gierig. restitui. Cf. 45. II, 383. De hac nominis varietate multa disseruit Iac. Perizonius ad Aeliani Var. Histor. VII, 16. p. 385 ed. Kühnii. Quae aqua fuerit, disces ex Serv. ad Virg. A. VII, 150. *Vestae libari non nisi de Numicio flumine licebat*. — Plures *quis enim*.

Ventum erat ad molli declivem tramite ripam:
Ponitur e summa fictilis urna coma.
Fessa resedit humi, ventosque accepit aperto
Pectore, turbatas restituitque comas.
Dum sedet, umbrosae salices volucresque canorae
Fecerunt somnos, et leve murmur aquae.
Blanda quies victis furtim subrepit ocellis,
Et cadit a mento languida facta manus.
Mars videt hanc, visamque cupit, potiturque cupitam,
Et sua divina furta fefellit ope.
Somnus abit: iacet illa gravis. Iam scilicet intra
Viscera, Romanae conditor urbis, eras.
Languida consurgit, nec scit, cur languida surgat,
Et peragit tales arbore nixa sonos:
Utile sit faustumque, precor, quod imagine somni
Vidimus! An somno clarius illud erat?
Ignibus Iliacis aderam, quum lapsa capillis
Decidit ante sacros lanea vitta focos.

---

13. Alii *molli declivam*, alii *mollem declivi*, un. *mollem declivo*. 14. De Tarpeia Vestali Propert. IV (V), 4, 16. *at illi Urguebat medium fictilis urna caput.* 15. Meliores *humi*, quod Hs rec., ceteri *humo*. 16. Duo *composuitque*, quod Hs placet. 17. Un. *sonorae*. Virg. E. I, 55. *tibi saepes Hyblaeis apibus florem depasta salicti Saepe levi somnum suadebit inire susurro*. Horat. Epod. II, 26. *Queruntur in silvis aves, Fontesque lymphis obstrepunt manantibus, Somnos quod invitet leves*. 19. Un. *qu. blandis*, alius *captis*. Duo *furtim victis obrepsit* — plerique *subrepsit*, alii *victos oppressit ocellos* aut *suppressit*, sex *subrepit*, quod Hs rec. Idem tamen mav. *victos obrepsit ocellos*. 21. Duo praestant. et Diomedes *cupitam*, quod Hs rec., ceteri omnes *cupita*. Priscian. XVIII, 23. *Omnes auctores, potior illius, et illum, et illo*. Terent. Adelph. V, 4, 17. *Ille alter sine labore patria potitur commoda*. 23. Un. *Clam*, multi *Nam*. 24. Duo *Romuleae*. — Tres melior. *erat*, quod Hs rec., ceteri *erat*. 25. Meliores *nec scit*, quod Hs rec., ceteri *nescit*. Unus: *Languida quum surgat, nescit, cur* — eleganter, ut ait Hs. 26. Un. *Et spargit* — Duo *nixa preces*. 29. Plurimi *collapsa*, un. *sparsa*. 30. Un. optim. *linea*, multi *laurea*, un. *aurea*, alii *vitta soluta f.*

Inde duae pariter — visu mirabile — palmae
Surgunt. Ex illis altera maior erat,
Et gravibus ramis totum protexerat orbem,
Contigeratque nova sidera summa coma.
Ecce meus ferrum patruus molitur in illas!
Terreor admonitu, corque timore micat.
Martia picus avis gemino pro stipite pugnant
Et lupa. Tuta per hos utraque palma fuit.
Dixerat: et plenam non firmis viribus urnam
Sustulit. — Implerat, dum sua visa refert. —
Interea crescente Remo, crescente Quirino,
Coelesti tumidus pondere venter erat.
Quo minus emeritis exiret cursibus annus,
Restabant nitido iam duo signa deo:
Silvia fit mater. Vestae simulacra feruntur
Virgineas oculis opposuisse manus.
Ara deae certe tremuit, pariente ministra,
Et subiit cineres territa flamma suos.
Haec ubi cognovit contemptor Amulius aequi,
— Nam raptas fratri victor habebat opes —
Amne iubet mergi geminos. Scelus unda refugit:
In sicca pueri destituuntur humo.

---

31. Un. *Sede duae*, unde Hs coni. *Aede* aut *Ecce d.* — Unus *memorabile*, duo *miserabile*. Simile visum Astyagis, *qui*, auctore Iustino I, 4 *per somnum vidit, ex filia vitem nasci, cuius palmite omnis Asia obumbraretur.* 33. Quat. *pertexerat*, novem *praetexerat.* 34. Octo *nova*, quod Hs rec., ceteri *sua.* 36. Edd. quaed. *a monitu.* — Multi *pavet*, duo *salit*, duo *tremit*, un. *vacat.* 37. Plurimi *pugnat*, un. *pugnans.* Plin. H. N. X, 18, 20. *Pici Martio cognomento insignes et in auspicatu magni.* cf. ad 54. 40. Un. *sua verba*, un. ex opt. *sata verba;* an *rata v.* addit Hs. 44. Tres *sua signa.* — Edd. quaed. *signa polo.* Cf. IV, 688. 45. Duo *Ilia*, quod hic non rec. Hs. 46. Un. *praeposuisse.* Cf. VI, 614. De Vestae simulacro cf. VI, 295. Pausan. Corinth. 35. ἐν τῷ τῆς Ἑστίας ἀγαλμα μέν ἐστιν οὐδέν, βωμὸς δὲ, καὶ ἐπ' αὐτοῦ θύουσιν Ἑστίᾳ. 50. Un. *raptor.* — Multi *fratris.* 51. Tres *m. pueros.* Cf. II, 385.

Lacte quis infantes nescit crevisse ferino,
Et picum expositis saepe tulisse cibos?
Non ego te, tantae nutrix Larentia gentis,
Nec taceam vestras, Faustule pauper, opes.
Vester honos veniet, quum Larentalia dicam:
Acceptus Geniis illa December habet.
Martia ter senos proles adoleverat annos,
Et suberat flavae iam nova barba comae:
Omnibus agricolis armentorumque magistris
Iliadae fratres iura petita dabant.
Saepe domum veniunt praedonum sanguine laeti,
Et redigunt actos in sua rura boves.
Ut genus audierunt, animos pater editus auget,
Et pudet in paucis nomen habere casis:
Romuleoque cadit traiectus Amulius ense,
Regnaque longaevo restituuntur avo.

---

54. Idem Plutarch. Quaest. Rom. 21. Τὸν δρυοκολάπτην οἱ Λατῖνοι σέβονται καὶ ἀπέχονται πάντες ἰσχυρῶς τοῦ ὄρνιθος, ὡς ἄρα τοῖς περὶ Ῥωμύλον καὶ Ῥῶμον ἐκλεθεῖσιν οὐ μόνον λύκαινα θηλὴν ἐπεῖχεν. Ὡς ἄλλον ἄλλου θεοῦ, καὶ τοῦτον Ἄρεος ἱερὸν νομίζουσι τὸν ὄρνιν. 55. Duo tantum *Larentia*, ut ab omnibus fere, etiam Graecis nominatur, idq. rec. Hs, ceteri omnes *Laurentia*. Plutarch. Quaest. Rom. 34. Τῇ Λαρεντίᾳ ποιοῦσι τὸν ἐναγισμὸν, καὶ χοὰς ἐπιφέρουσιν ἐπὶ τὸν τάφον, τοῦ Δεκεμβρίου μηνός. 57. Unus tantum ex opt. *Larent.*, quod c. Neap. Hs, rec. ceteri omnes *Laur.* 58. Virg. G. I, 300. *Frigoribus parto agricolae plerumque fruuntur, Mutuaque inter se laeti convivia curant. Invitat genialis hiems.* Frequens loquendi formula: *Genio suo indulgere.* 59. Nonn. *senis — annis.* 61. Quid. *ministris.* 63. Quid. *redeunt.* 64. Plures *raptos.* — Melior. *rura*, quod Hs rec., duo *tecta*, un. *castra*, ceteri *iura*, quod Taubn. placet. Iidem ap. Liv. I, 4 *in latrones praeda onustos impetus facere pastoribusque rapta dividere.* 65. Duo *audierunt*, quod Hs rec., ceteri *audierant.* — Quinq. ex opt. *agnitus aug.*, quod Hs rec., ceteror. lect. *editus* rec. Burm. 66. Quatuordec. et melior. *paucis*, quod Hs rec., ceteri *parvis*.

Moenia conduntur, quae, quamvis parva fuerunt,
Non tamen expediit transiluisse Remo.
Iam, modo qua fuerant silvae pecorumque recessus,
Urbs erat, aeternae quum pater urbis ait:
Arbiter armorum, de cuius sanguine natus
Credor, et ut credar, pignora certa dabo,
A te principium Romano ducimus anno:
Primus de patrio nomine mensis eat.
Vox rata fit, patrioque vocat de nomine mensem.
Dicitur haec pietas grata fuisse deo.
Et tamen ante omnes Martem coluere priores;
Hoc dederat studiis bellica turba suis;
Pallada Cecropidae, Minoïa Creta Dianam,
Vulcanum tellus Hypsipylea colit:
Iunonem Sparte Pelopeïadesque Mycenae:
Pinigerum Fauni Maenalis ora caput.

---

69. Un. *fuissent,* alius *feruntur.* 70. Cf. II, 134 et IV, 840. 71. Plures, etiam melior. *qua,* quod Hs rec., ceteri *quae.* — Duo *nemorumque,* quod Burm. placet, tres *pecudumque.* 73. Plus quatuor *natus Credor,* quod c. Ciof. rec. Hs., ceteri *credor Natus,* unus *semine natus.* 74. Nonn. *certa,* quod Hs rec., ceteri plures *multa.* — Mitsch. *dato,* ut Phaëthon in Ovid. M. II, 38. *Pignora da, gentior, per quae tua vera propago credar.* 75. Potiores *ducimus,* quod Hs rec., ceteri *dicimus.* 76. Octo *eat,* quod Hs rec., ceteri *erit,* duo *eris.* 77. Noster M. XIV, 815. *Rata sit verborum summa tuorum.* 80. Multi *Haec.* Hs mav. *dederit.* 81. Hinc *Athenae* ap. Nostr. M. VII, 399. *Palladiae aroes,* et II, 709. *Mercurusi gratam Minervae despectat humum.* — In Creta *Gnossii* maxime, in quorum nummis cum epigraphe Κνωσσίων Diana cum pharetra incisa est. A monte Dictaeo eadem *Dictynna.* Dicaearchus 118. φασὶ δ' ἐν Κρήτῃ πόλιν εἶναι Φαλάσαρνα — ἔχουσαν καὶ ἱερὸν Ἀρτέμιδος ἅγιον, καὶ καλεῖσθαι τὴν θεὸν Δίκτυναν. — A Lemno Vulcanus Λήμνιος. Hinc *Vulcania* Lemnos ap. Valer. Flacc. II, 78. 82. Alii *Hypsipylaea.* 83. Cf. VI, 47. Homer. Il. IV, 51. Ἥτοι ἐμοὶ τρεῖς μὲν πολὺ φίλταταί εἰσι πόληες, Ἄργος τε, Σπάρτη τε καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη. 84. Multi *Piniferum,* un. *Cornigerum.* Cf. II, 271.

Mars Latio venerandus erat, quia praesidet armis.
Arma ferae genti remque decusque dabant.
Quod si forte vacas, peregrinos inspice fastos:
Mensis in his etiam nomine Martis erit.
Tertius Albanis, quintus fuit ille Faliscis:
Sextus apud populos, Hernica terra, tuos.
Inter Aricinos Albanaque tempora constant
Factaque Telegoni moenia celsa manu.
Quintum Laurentes, bis quintum Aequicolus asper,
A tribus hunc primum turba Curensis habet.
Et tibi cum proavis, miles Peligne, Sabinis
Convenit: hic genti quartus utrique deus.
Romulus, hos omnes ut vinceret ordine saltem,
Sanguinis auctori tempora prima dedit.
Nec totidem veteres, quot nunc, habuere Kalendas.
Ille minor geminis mensibus annus erat.
Nondum tradiderat victas victoribus artes
Graecia, facundum, sed male forte genus.

---

86. Un. *Armiferae — dabat.* Cf. Horat. Carm. saecul. 47. *Romulae genti date (dii) remque prolemque Et decus omne.* 87. Plurimi *vacat.* 90. Pro *apud* duo *habet.* 91. Ex quinque codd. Hs rec. *constant,* ceteri *constat.* Coniunge: *Inter Aricinos et Albana et Telegoni manu facta moenia celsa constant tempora.* Cf. 679. 92. Cf. IV, 71. De Catone Silius VII, 692. *Quod peperere decus Circaeo Tuscula dorso Moenia, Laërtae quondam regnata nepoti.* 93. Praestantior. multi *asper,* quod Hs rec., ceteri *acer.* Virg. A. VII, 746 de Ufente, *Horrida praecipue cui gens, assuetaque multo Venatu nemorum, duris Aequicula glebis.* 94. Tredecim iiq. melior. *Curensis,* quod Hs rec., un. *Ferentis,* ceteri *Forensis.* 99. Cf. I, 27 seqq. 101. Unus tantum *tradideras,* quod Hs rec., ego ceter. omnium lect. restitui. — Duo melior. *doctas,* quod Burm. placet, un. *actas,* unde Hs coni. *auctas.* Horat. Epist. II, 1, 156. *Graecia capta ferum victorem cepit, et artes Intuli agresti Latio.* Virg. A. VI, 850 de Graecis: *Orabunt causas melius, coelique meatus Describent radio, et surgentia sidera dicent. Tu regere imperio populos, Romane, memento.*

Qui bene pugnabat, Romanam noverat artem;
Mittere qui poterat pila, disertus erat.
Quis tunc aut Hyadas, aut Pliadas Atlanteas
Senserat, aut geminos esse sub axe polos?
Esse duas Arctos, quarum Cynosura petatur
Sidoniis, Helicen Graia carina notet?
Signaque, quae longo frater percenseat anno,
Ire per haec uno mense sororis equos?
Libera currebant, et inobservata per annum
Sidera: constabat sed tamen esse deos.
Non illi coelo labentia signa movebant,
Sed sua: quae magnum perdere crimen erat.
Illa quidem feno; sed erat reverentia feno,
Quantam nunc aquilas cernis habere tuas.

---

103. Tres *pugnarat*, quod Hs rec., ego ceter. lect. secutus sum. 104. Plurimi etiam melior. *tela*. 105. Un. *Quis tamen*, alius *Q. nunc*. — Plurimi melior. *Pliadas*, quod restitui; ceteri *Pleiadas*, quod Hs c. aliis servavit. Cf. IV, 169. Manil. Astr. I, 305. *Qua* (Helice maiore) *duce per fluctus Graiae dant vela carinae — Cynosura minor, sed iudice vincit Maiorem Tyrio; Poenis haec certior auctor.* Hygin. Poet. Astron. II, 2. *Omnes, qui Peloponnesum incolunt, priore utuntur Arcto; Phoenices autem observant Cynosuram, et diligentius navigare existimantur.* 106. Plurimi *Noverat*. 107. Multi *vocatur*. 108. Multi *vocat*, novem *tenet*. 109. Tres *praecenseat*, un. *pertranseat*. 110. Noster M. II, 208. *inferiusque suis fraternos currere Luna Admiratur equos —* 111. Duodec. melior. *et inobs.*, quod Hs rec., ceteri *non observ.* 112. Un. *deo*. Hs mav. *suos* vel *esse, diu*. Cf. V, 18. 113. Sex *notabant*, septem *movebant*, quod Hs rec., ceteri *tenebant*. Cf. de verbo *movere* et nostro loco Ruhnkenii praef. lexici Schelleri. Ap. Lucan. I, 640. *numeri movent astra*. Cinna in Anthol. lat. T. I. p. 441. *Carmina, quis ignes movimus aërios*. 114. Un. ex opt. *prodere*, quod Hs rec. assent. Bentl. ad Horat. Epist. I, 16, 67; ceteri *perdere*, quod c. Gierig. servavi. Ap. Liv. II, 59. Appius Claudius *signo amisso signiferos virgis caesos securi percussit*. 115. Plurimi iiq. optimi *Illa quidem f.*, quod restitui: Hs ex duob. rec. *Illaque de f.*, un. *Illa quidem e f.*, quod item Hs placet. Un. *fenum*. — Octo *rever. feni*. De scriptura *feni* an *foeni* dissentiunt. 116. Tredec. *Quantum*. — Scaliger leg. *non*.

Pertica suspensos portabat longa maniplos:
Unde maniplaris nomina miles habet.
Ergo animi indociles et adhuc ratione carentes
Mensibus egerunt lustra minora decem.
Annus erat, decimum quum luna repleverat orbem.
Hic numerus magno tunc in honore fuit;
Seu quia tot digiti, per quos numerare solemus:
Seu quia bis quino femina mense parit:
Seu quod adusque decem numero crescente venitur;
Principium spatiis sumitur inde novis.
Inde pares centum denos secrevit in orbes
Romulus, Hastatos instituitque decem;
Et totidem Princeps, totidem Pilanus habebat
Corpora, legitimo quique merebat equo.
Quin etiam partes totidem Titiensibus idem,
Quosque vocant Ramnes, Luceribusque dedit.
Assuetos igitur numeros servavit in anno.
Hoc luget spatio femina maesta virum.
Neu dubites, primae fuerint quin ante Kalendae
Martis, ad haec animum signa referre potes.
Laurea Flaminibus, quae toto perstitit anno,
Tollitur, et frondes sunt in honore novae.
Ianua nunc Regis posita viret arbore Phoebi:
Ante tuas fit idem, Curia Prisca, fores.

---

121. Tres *repleverat*, quod Hs rec., ceteri *receperat*. 122. Duo *Hic nostris*, quod Hs rec., Burm. ceter. lect. *Hic num.* rec. 123. Duo *per quot*. 124. Cf. I, 34 126. Un. *numeris sum*. 127. Potiores *pares*, quod c. Scaligero et Lipsio Hs rec., ceteri omnes *patres*. 128. Un. *constituitque*. 131. Optimi codd. *Titiens.*, quod Hs. rec., ceteri *Tatiens*. 134. Seneca Cons. Helv. 15. *Ideo maiores decem mensium spatium lugentibus viros dederunt*. 136. Un. *animos*, alius *oculos*. 137. Un. *Flamineo*. Hs coni. *Flaminiae*. Macrob. Saturn. I, 12. *Martii prima die tam in regia curiisque atque in Flaminum domibus laureae veteres novis laureis mutabantur*. De *lauro* cf. I, 343. 139. Noun. *nitet*. 140. Multi potior. *fit idem*, quod Hs rec., ceteri *itidem*.

Vesta quoque ut folio niteat velata recenti,
Cedit ab Iliacis laurea cana focis.
Adde, quod arcana fieri novus ignis in aede
Dicitur, et vires flamma refecta capit.
Nec mihi parva fides, annos hinc isse priores,
Anna quod hoc coepta est mense Perenna coli.
Hinc etiam veteres initi memorantur honores
Ad spatium belli, perfide Poene, tui.
Denique quintus ab hoc fuerat Quintilis, et inde
Incipit, a numero nomina quisquis habet.
Primus oliviferis Romam deductus ab arvis
Pompilius menses sensit abesse duos:
Sive hoc a Samio doctus, qui posse renasci
Nos putat, Egeria sive monente sua.
Sed tamen errabant etiam tunc tempora, donec
Caesaris in multis haec quoque cura fuit.
Non haec ille deus, tantaeque propaginis auctor,
Credidit officiis esse minora suis,

---

141. Pleriq. *folio nit.*, quod Hs rec., ceteri *nit. folio.* Macrob. I. c. *Martii prima die ignem novum Vestae aris accendebant, ut incipiente anno cura denuo servandi novati ignis inciperet.* 142. Pro *cana* un. *vitta.* 145. Multi codd. et edd. *esse.* 146. Multi *repente coli*, un. *reperta c.* Cf. III, 523. 147. Un. *meriti mem.* Fasti Praenestini, Livii Epit. 47, alii indicant a. U. 601. a. C. 153. De varietate diei initi consulatus cf. Bredow Untersuch. aus der alten Gesch. B. I. p. 138 sqq. 150. Decem *in numero.* 151. Un. *devectus*, quod Hs plac., non tamen rec. 153. Multi *Sive erat a Sam.* Liv. I, 18. *Auctorem doctrinae eius* (Numae Pompilii), *quia non exstat alius, falso Samium Pythagoran edunt.* Apud Ovid. M. XV, 157. Pythagoras docet: *Morte carent animae, semperque priore relicta Sede novis habitant domibus vivuntque receptae.* — Idem ille Liv. I, 19. *Simulat sibi cum dea Egeria congressus nocturnos esse: eius se monitu sacra instituere* — 155. Multi *etiam nunc*, ex quo Hs fec. et rec. *etiam num*, ego ceteror. lect. restitui. *Errare.* Cf. IV, 261. 156. Complures *ut multis.*

Promissumque sibi voluit praenoscere coelum,
Nec deus ignotas hospes inire domos.
Ille moras solis, quibus in sua signa rediret,
Traditur exactis disposuisse notis.
Is decies senos tercentum et quinque diebus
Iunxit, et e pleno tempora quarta die.
Hic anni modus est. In lustrum accedere debet,
Quae consummatur partibus, una dies.

Si licet occultos monitus audire deorum
Vatibus, ut certe fama licere putat,
Quum sis officiis, Gradive, virilibus aptus,
Dic mihi, matronae cur tua festa colant.
Sic ego. Sic posita dixit mihi casside Mavors;
Sed tamen in dextra missilis hasta fuit:
Nunc primum studiis pacis deus utilis armis
Advocor, et gressus in nova castra fero.
Nec piget incepti; iuvat hac quoque parte morari,
Hoc solam ne se posse Minerva putet.

---

160. Un. *ignaras*. 161. Multi *regna red.*, alii *terga red.* Zodiaci signa: *Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces*. 163. Taubner leg. *senis — Auxit*, ita ut *terc. et q.* Accusativus sit. 164. Duo *Auxit*. — Tres *et expleto*. — Multi *quinta*, septem *iuncta*, duo *cuncta*. 166. Potiores *consummatur*, quod Burm. rec., alii *consummetur*, quod eidem placet, alii *consumatur*, quod Hs ex edd. retinuit. Censorin. de die nat. 18. *Quaternûm annorum circuitum Romani lustrum appellabant*. Idem c. 20 de Caesare: *Praeterea pro quadrante diei, qui annum verum suppleturus videbatur, instituit, ut peracto quadriennii circuitu dies unus, ubi mensis quondam solebat, post Terminalia interkalaretur*. 169. Multi *et viribus*. 171. Septem melior. *cuspide*, quod Hs rec. Burm. ceteror. lect. rec. Ita *posita casside*, ap. Nostr. M. XIV, 806, *Mavors affatur Iovem*. 174. Quat. *egressus*. — Duo *vota f.* Cf. II, 9. 175. Octo *moveri*, quod Hs placet, unus *notari*. Cf. I, 101.

Disce, Latinorum vates operose dierum,
Quod petis, et memori pectore dicta nota.
Parva fuit, si prima velis elementa referre,
Roma: sed in parva spes tamen huius erat.
Moenia iam stabant, populis angusta futuris,
Credita sed turbae tunc nimis ampla suae.
Quae fuerit nostri, si quaeris, regia nati,
Adspice de canna straminibusque domum.
In stipula placidi carpebat munera somni,
Et tamen ex illo venit in astra toro.
Iamque loco maius nomen Romanus habebat,
Nec coniux illi, nec socer ullus erat.
Spernebant generos inopes vicinia dives,
Et male credebar sanguinis auctor ego.
In stabulis habitasse, boves pavisse, nocebat,
Iugeraque inculti pauca tenere soli.
Cum pare quaeque suo coëunt volucresque feraeque,
Atque aliquam, de qua procreet, anguis habet.

---

178. Duo *dicta tene.* Noster M. XIV, 813. *Nam memoro, memorique animo pia verba notavi.* 179. Quat. *notare.* 180. Optimi *huius,* quod Burm. rec., ceteri *urbis,* quod Hs retinuerat. 182. Ante Hs *Credita* c. priorib. iungebatur commate postposito. Sex *Condita.* — Unus *turbis iam satis ampla suis.* Sex *tunc satis.* Liv. I, 8. *Crescebat interim urbs, quum in spem magis futurae multitudinis, quam ad id, quod tum hominum erat, munirent.* 184. Un. *Inspice.* — Un. *stipitibusque.* Cf. I, 199. 185. Meliores *carpebat,* quod Hs rec., ceteri *capiebat.* — Duo *praemia.* Virg. A. IV, 522. *Nox erat, et placidum carpebant fessa soporem Corpora.* Idem A. IV, 554. *Aeneas celsa in puppi — Carpebat somnos* — 186. Cf. II, 478. 187. Al. *Rom. nomen* ante Hs. Liv. I, 9. *Iam res Romana adeo erat valida, ut cuilibet finitimarum civitatium bello par esset: sed penuria mulierum hominis aetatem duratura magnitudo erat: quippe quibus nec domi spes prolis, nec cum finitimis connubia essent.* 188. Duo *ulli,* un. *illic,* duo *illis.* 189. Novem *Spernebant,* quod Hs rec., ceteri *Spernebat.* Cf. II, 657. 190. Septem *dicebar.* 191. Tres *boves,* quod Hs rec., ceteri *oves.* 192. Quat. *parva.* 194. Un. *aliquid, de quo* — Un. *avis h.* Hs coni. *ales.*

Extremis dantur connubia gentibus: at, quae
  Romano vellet nubere, nulla fuit.
Indolui, patriamque dedi tibi, Romule, mentem.
  Tolle preces, dixi: quod petis, arma dabunt.
Festa para Conso. — Consus tibi cetera dicet
  Illo facta die, quum sua sacra canes. —
Intumuere Cures, et quos dolor attigit idem.
  Tum primum generis intulit arma socer.
Iamque fere raptae matrum quoque nomen habebant,
  Tractaque erant longa bella propinqua mora.
Conveniunt nuptae dictam Iunonis in aedem,
  Quas inter mea sic est nurus orsa loqui:
O pariter raptae, — quoniam hoc commune tenemus —
  Non ultra lente possumus esse piae.

---

195. Meliores *Extremis*, quod Hs rec., ceteri *Externis*. 198. Horat. Epist. I, 12, 3. *tolle querelas: Pauper enim non est, rerum cui suppetit usus.* 200. Multi *Illo festa die, dum sua sacra facis*, ita edd. ante Hs, qui e codd. rec. *Ipso festa die, dum s. s. canes*. Codd. *Illo* vel *Illa* — *festa* vel *facta* — *canes, canas, coles, facis*. Hinc Gronov. Obs. II, 21, p. 304. leg. *Conso. Consus tibi c. dicet Illo facta die, quum sua sacra canet*. Hanc emendat. c. Gierig. recepi, praeterquam quod *canes* e codd. retinui. Dies est a. d. XV Calend. Sept. *Consualia*, auct. Terent. Varr. L. L. V. p. 57., *dicta a Conso, quod tum feriae publicae ei deo, et in circo ad aram eius ab sacerdotibus fiunt ludi illi, quibus virgines Sabinae raptae*. Liv. I, 9. *Romulus ludos parat Neptuno Equestri sollemnes: Consualia vocat*. Ascon. Cic. Act. I. Verr. 10. *Magnos ludos dictos putant, quod Conso, consiliorum secretorum deo*, id est, *Neptuno laticum regi et rerum conditarum*, et diis magnis dati sunt, quibus *aiunt raptas Sabinas esse*. Plutarch. Rom. 14. Ὠνόμαζον τὸν Θεὸν Κῶνσον, εἴτε βουλαῖον ὄντα — εἴτε ἵππειον Ποσειδῶ. De re ipsa v. Liv. l. c. 203. Duo *ferae*. 205. Un. *Nymphae*. — Un. *ditem*. 206. *Orsa* e libr. melior. rec. Hs, ceteri *ausa*. — Nonn. *inter medias est*, alii *inter medias sic nurus*. 207. Tres *namque hoc*, quatuor *quaeque hoc*. Hs mav. *quaeque — tenetis*. 208. Octo *certe p.*

Stant acies: sed utra dî sint pro parte rogandi,
Eligite; hinc coniux, hinc pater arma tenent,
Quaerendum, viduae fieri malimus an orbae.
Consilium vobis forte piumque dabo.
Consilium dederat: parent, crinemque resolvunt,
Maestaque funerea corpora veste tegunt.
Iam stabant acies ferro mortique paratae:
Iam lituus pugnae signa daturus erat:
Quum raptae veniunt inter patresque virosque,
Inque sinu natos, pignora cara, ferunt.
Ut medium campi passis tetigere capillis,
In terram posito procubuere genu;
Et, quasi sentirent, blando clamore nepotes
Tendebant ad avos brachia parva suos.
Qui poterat, clamabat avum tum denique visum,
Et qui vix poterat, posse coactus erat.
Tela viris animique cadunt, gladiisque remotis
Dant soceri generis accipiuntque manus;

---

209. Nonn. *di pro*, un. *dei pro*, tres *utraque dei*, un. *utra divi*, alius *sed qua di sint*. Hinc Hs coni. *sed utrane dei pro p.* 210. Praestantior. *tenent*, quod Hs rec., ceteri *tenet*, tres *movet*. 211. Potiores *malimus*, quod Hs rec., ceteri *malitis*. Liv. I, 13. *Melius peribimus, quam sine alteris vestrum* (viris ac parentibus) *viduae aut orbae vivemus*. 212. Multi *nobis*. 213. Multi *plorant*. — Alii *crinesque*, Hs ex aliis rec. *crinemque*. 214. Un. *Et sua funerea*. — E potiorib. Hs rec. *funerea*, ceteri *funesta*. 215. E melior. Hs rec. *stabant*, ceteri *steterant*. — Sex *Martique*. Historiam v. ap. Liv. I, 13. 216. Un. *Iam lituos tubicen signa*, alius *Iam lituo tubicen;* hinc Hs coni. *Iam liticen pugn.* 218. E melior. Hs rec. *ferunt*, ceteri *tenent*. 219. Quinq. potior. *passis*, quod Hs rec., sex *sparsis*, ceteri *scissis*. — Octo *tenuere*. Liv. I, 13. *Tum Sabinae mulieres crinibus passis scissaque veste ausae se inter tela volantia inferre* — 220. Un. *terra*. 221. Novem *sermone*. 224. Un. *velle*, alius *flere*, alius *esse*, duo *scire*. 225. E plerisq. ego rec. *animique*, duo tantum *animusque*, quod Hs rec.

Laudatasque tenent natas, scutoque nepotem
Fert avus: hic scuti dulcior usus erat.
Inde diem, quae prima, meas celebrare Kalendas
Oebalides matres non leve munus habent.
An, quia committi strictis mucronibus ausae
Finierant lacrimis Martia bella suis?
Vel, quod erat de me feliciter Ilia mater,
Rite colunt matres sacra diemque meum.
Quid? quod hiems adoperta gelu nunc denique cedit,
Et pereunt victae sole tepente nives;
Arboribus redeunt detonsae frigore frondes,
Vividaque e tenero palmite gemma tumet;
Quaeque diu latuit, nunc, se qua tollat in auras,
Fertilis occultas invenit herba vias.
Nunc fecundus ager: pecoris nunc hora creandi:
Nunc avis in ramo tecta laremque parat.
Tempora iure colunt Latiae fecunda parentes,
Quarum militiam votaque partus habet.

---

228. Novem ex optim. *scutis*, quod Hs rec. Burm. retin. *scuti*. 229. Melior. omnes *diem*, *quae prima*, quod Hs rec., ceteri *Inde diem*, *primasque m.* 230. Septem *Oebalidae*, multi *Oebaliae*, quat. *Italides*, novem nostr. quod Hs rec. Cf. I, 260. 231. Quat. optimi *An quia*, quod Hs rec., ceteri *Aut quia*. 232. Hs mav. *Finierunt*. 235. Cf. IV, 126. 236. Omnes fere melior. *victae*, quod Hs rec, un. *moestae*, ceteri *lapsae*. Hs mav. *citae* — Cf. I, 151. Horat. Od. IV, 7, 1. *Diffugere nives: redeunt iam gramina campis, Arboribusque comae.* 237. Alii ex vetustior. *excussae* vel *excusso*. 238. Codd. pleriq. etiam melior. *Vividaque*, quod c. Hs restitui, alii *humidaque*, ceteri *Uvidaque*, quod Burm. edidit. — Pleriq. etiam melior. *tenero*, quod Hs ex edd. retinuit, alii *gravido*, un. *in tumido*. Cf. I, 152. 240. Un. *ignotas*. 241. Duo optimi *pecori est nunc*. Hs mav. *pecori — creando est*. 242. Duo *ramos*, quat. *ramis*. — Un. *parant*. 244. Noster Her. XI, 48. de Canace, *Et rudis ad partus, et nova miles eram*. Cf. II, 9.

Adde, quod, excubias ubi rex Romanus agebat,
— Qui nunc Esquilias nomina collis habet —
Illic a nuribus Iunoni templa Latinis
Hac sunt, si memini, publica facta die.
Quid moror, et variis onero tua pectora causis?
Eminet ante oculos, quod petis, ecce tuos.
Mater amat nuptas: matrum me turba frequentant.
Haec nos praecipue tam pia causa decet.
Ferte deae flores: gaudet florentibus herbis
Haec dea: de tenero cingite flore caput.
Dicite, Tu lucem nobis, Lucina, dedisti;
Dicite, Tu voto parturientis ades.
Si qua tamen gravida est, resoluto crine precetur,
Ut solvat partus molliter illa suos.

Quis mihi nunc dicet, quare coelestia Martis
Arma ferant Salii, Mamuriumque canant?

---

245. Codd. fere omnes *ubi rex R.*, decem *ibi rex*, duo *regi R.* — Multi ex melior. *habebat*. 246. Omnes legere videntur *Qui* — Undecim *Esquiliae nomina*, un. *Esquiliae nomine*. Hs et Burm. hos versus ita edider. *Adde, quod excubias regi R. agebat; Qua nunc — — habet*. Ego a codd. plurimor. et edd. veter. auctoritate recedere nolui. 248. Un. *sic mem*. Cf. II, 435. Festus *v. Martias: Martias Kalendas matronae celebrabant, quod eo die Iunonis Lucinae aedes coli coepta est*. 249. Alii *curis*. 251. Un. *matres tua vota frequentant*, alius *matres me turba freq.* — Sex *frequentant*, quod Hs rec., un. *fatigat*, ceteri *frequentat*. Hs ex suo ingenio scrib. et rec. *matris me turba frequentant*. Ego vulg. lect. retinui. De Hera sive Iunone Hesiod. Th. 922. Ἣ δ' Ἥβην, καὶ Ἄρηα, καὶ Εἰλείθυιαν ἔτικτε. 253. Duo *fl. arvis*. Hs mav. *aris*. 255. Optimi *lucem nobis*, quod Hs rec., ceteri *nobis lucem*. Hs mav. *natis l*. 257. Hs mav. *es — preceris — tuos*. 259. Quat. *dicat*, quod Hs rec., ceteri etiam potiores omnes *dicet*, quod servavi. 260. Pro *canant* alii *vocant*, un. *sonant*, alius *sonent*. De Mamurio cf. 383. Liv. I, 20. *Numa Salios duodecim Marti Gradivo legit, coelestiaque arma, quae ancilia appellantur, ferre ac per urbem ire canentes carmina cum tripudiis sollemnique saltatu iussit*.

Nympha, mone, nemori stagnoque operata Dianae:
Nympha, Numae coniux, ad tua facta veni.
Vallis Aricinae silva praecinctus opaca
Est lacus antiqua religione sacer.
Hic latet Hippolytus furiis distractus equorum:
Unde nemus nullis illud initur equis.
Licia dependent longas velantia sepes,
Et posita est meritae multa tabella deae.
Saepe potens voti, frontem redimita coronis,
Femina lucentes portat ab urbe faces.
Regna tenent fortesque manu, pedibusque fugaces;
Et perit exemplo postmodo quisque suo.
Defluit incerto lapidosus murmure rivus:
Saepe, sed exiguis haustibus, inde bibi.

---

261. Nonn. *nemoris.* — Septem et edd. quaed. *adoperta,* quod Hs plac., non tamen rec. 262. Alii *sacra,* alii *festa,* quod utrumque praeferendum censet Hs et *festa* rec., ceteri *facta,* quod ego retinui. 263. Tres *acuta,* un. *apica* (aprica). 264. Plurimi *locus.* 265. Alii ex optim. *iacet.* — Multi etiam melior. *furiis distractus,* quod ego recepi, duo *fur. direptus,* quod Hs rec., nonn. *loris distr.* 266. Quat. *initur,* quod Hs rec., ceteri *aditur.* 267. Similiter de arbore Cereris sacra noster M. VIII, 744. *vittae mediam memoresque tabellae Sertaque cingebant voti argumenta potentum.* 269 Tres *multis redim.* Virg. A. VII, 765. *Namque ferunt fama Hippolytum, postquam — patrias explerit sanguine poenas Turbatis distractus equis, ad sidera rursus Aetheria — venisse. Tum Trivia Hippolytum secretis alma recondit Sedibus, et nymphae Egeriae nemorique relegat. Unde etiam templo Triviae lucisque sacratis Cornipedes arcentur equi.* 270. Propert. II, 32, (III, 23), 10. *Te video accensis devotam currere taedis In nemus et Triviae lumina ferre deae.* 271. Septem etiam melior. *fortesque manu,* quod Hs rec., ceteri *fortes manibus.* Ovid. A. A. I, 259. *Ecce suburbanae templum nemorale Dianae, Partaque per gladios regna nocente manu.* Strabo V, 3. Καθίσταται ἱερεὺς ὁ γενηθεὶς αὐτόχειρ τοῦ ἱερωμένου πρότερον δραπέτης ἀνήρ· ξιφήρης οὖν ἐστὶν ἀεὶ, ἕτοιμος ἀμύνεσθαι. 274. Duo *bibes,* quod Hs rec., septem *bibis,* multi etiam melior. *bibit,* un. *bibet,* ceteri omnes *bibi,* quod servavi. Hs mav. *bibunt.*

Egeria est, quae praebet aquas, dea grata Camenis.
Illa Numae coniux consiliumque fuit.
Principio nimium promptos ad bella Quirites
Molliri placuit iure deûmque metu.
Inde datae leges, ne firmior omnia posset,
Coeptaque sunt pure tradita sacra coli.
Exuitur feritas, armisque potentius aequum est,
Et cum cive pudet conseruisse manus.
Atque aliquis, modo trux, visa iam vertitur ara,
Vinaque dat tepidis salsaque farra focis.
Ecce deûm genitor rutilas per nubila flammas
Spargit, et effusis aethera siccat aquis.
Non alias missi cecidere frequentius ignes.
Rex pavet, et vulgi pectora terror habet.
Cui dea, Ne nimium terrere! piabile fulmen
Est, ait, et saevi flectitur ira Iovis.
Sed poterunt ritum Picus Faunusque piandi
Prodere, Romani numen uterque soli.
Nec sine vi tradent; adhibeto vincula captis!
Atque ita, qua possint, erudit, arte capi.

---

275. Multi scribunt *Camoenis*. — Cf. ad 154. 279. Pleriq. meliores *firmior*, quod Hs rec., ceteri *fortior*. 280. Undecim *merito trad.* Cf. II, 330. 281. Duo *Exigitur*, quod Burm. placet. Liv. I, 21. *Multitudo omnis a vi et armis conversa est, eaque pietate omnium pectora imbuerat, ut fides ac ius iurandum (pro) proximo legum ac poenarum metu civitatem regerent.* 282. Un. *pudor*. — Duo *manum*. 284. Duo *farraque fracta*, ex quo Hs coni. *fricta*. 287. Virg. G. I, 487. (Iulio Caesare interfecto) *Non alias coelo ceciderunt plura sereno Fulgura*. 288. Noster M. IX, 291. *Quin nunc quoque frigidus artus, Dum loquor, horror habet*. Virg. A. XI, 357. *Quod si tantus habet mentes et pectora terror*. 291. Nonn. *poterant*, alii *poterit*. 292. Decem *prodere*, quod Hs rec., multi *Edere*, ceteri *Tradere*. Virg. A. VII, 81. *At rex* (Latinus) *sollicitus monstris oracula Fauni, Fatidici genitoris, adit*. 293. Pleriq. iique melior. *Adhibeto*, quod Hs rec., quat. *Adhibe tua*, ceteri *Adhibe tu*. Hs mav. *Adhibe sua*. Similiter de fatidico Proteo Virg. G. IV, 398. *Nam sine vi non ulla dabit praecepta, neque illum Orando flectes; vim duram et vincula capto Tende* — Cf. I, 367. 294. Alii *possunt*. — Decem iiq. melior. *erudit*, quod Hs rec., ceteri *edidit*.

Lucus Aventino suberat niger ilicis umbra,
  Quo posses viso dicere, numen inest.
In medio gramen, muscoque adoperta virenti
  Manabat saxo vena perennis aquae.
Inde fere soli Faunus Picusque bibebant.
  Huc venit, et Fonti rex Numa mactat ovem,
Plenaque odorati dîs ponit pocula Bacchi,
  Cumque suis antro conditus ipse latet.
Ad solitos veniunt silvestria numina fontes,
  Et relevant multo pectora sicca mero.
Vina quies sequitur: gelido Numa prodit ab antro,
  Vinclaque sopitas addit in arcta manus.
Somnus ut abscessit, tentando vincula pugnant
  Rumpere: pugnantes fortius illa tenent.

---

295. Plutarch. Num. 15. Μυθολογοῦσιν εἰς τὸν Ἀβεντῖνον λόφον, οὔπω μέρος ὄντα τῆς πόλεως, ἀλλ' ἔχοντα πηγάς τε δαψιλεῖς ἐν αὐτῷ καὶ νάπας σκιερὰς, φοιτᾶν δύο δαίμονας, Πῖκον καὶ Φαῦνον. Ibidem reliquam fabulam narrat. Aqua Camenis sacra, fatidica, ex qua qui hauriebat, spiritu divino implebatur. Tales erant aquae Apollinis Delphici, Clarii, Branchidarum, Iovis Ammonis. 296. Senec. Epist. 41. *Si tibi occurrit vetustis arboribus et solitam altitudinem egressis frequens lucus, illa proceritas silvae, et secretum loci et admiratio densae umbrae fidem tibi numinis facit.* 301. Vulgo editur *disponit*, quod Gier. retinuit, Hs in duo verba sciunxit. — Tres *vini*. Plutarch. l. c. Τούτους φασὶ χειρώσασθαι τὸν Νουμᾶν, οἴνῳ καὶ μέλιτι κεράσαντα τὴν κρήνην, ἀφ' ἧς ἔπινον συνήθως. 302. Arnobius, qui in Disp. adv. gent. V, 1. hanc fabulam ex secundo Antiatis libro narrat, addit *Numam castos duodecim iuvenes apud aquam celasse cum vinculis.* 303. Quinque c. edd. vet. *solitum — fontem*, un. *Invocat ad solitos silv.* 306. Quinque *subiectas.* 307. Plurimi nostr. quod Hs rec., ceteri *pugnando. — tentant.* Hs tamen mav. *luctando.* Plutarch. l. c. Ληφθέντες πολλὰς μὲν ἰδέας τρέπονται καὶ μετεκδύονται τὴν αὐτῶν φύσιν, ἀλλόκοτα φάσματα καὶ φοβερὰ τῆς ὄψεως προβαλλόμενοι.

Tum Numa, Dî nemorum, factis ignoscite nostris,
Si scelus ingenio scitis abesse meo;
Quoque modo possit fulmen, monstrate, piari.
Sic Numa. Sic quatiens cornua Faunus ait:
Magna petis, nec quae monitu tibi discere nostro
Fas sit. Habent fines numina nostra suos.
Dî sumus agrestes, et qui dominemur in altis
Montibus. Arbitrium est in sua tela Iovi.
Hunc tu non poteris per te deducere coelo:
At poteris nostra forsitan usus ope.
Dixerat haec Faunus: par est sententia Pici.
Deme tamen nobis vincula, Picus ait.
Iuppiter huc veniet summa deductus ab arce.
Nubila promissi Styx mihi testis erit.
Emissi quid agant laqueis, quae carmina dicant,
Quaque trahant superis sedibus arte Iovem,
Scire nefas homini. Nobis concessa canentur,
Quaeque pio dici vatis ab ore licet.

---

310. *Si* in exclamationibus causam reddit. Virg. G. I, 7. *Liber et alma Ceres, vestro si munere tellus Chaoniam pingui glandem mutavit arista*— 312. Cf. V. 99. 314. Un. *suas.* 315. Alii *dominamur, dominantur, dominentur,* un. *dignemur.* 316. Decem melior. *tela,* quod Hs rec., duo *regna,* ceteri *tecta.* 317. Tres *celso ded.* 318. E codd. Hs c. Neap. et edd. rec. *At pot.,* alii *Sed pot.* 321. Meliores *valida perductus ab arce* vel *arte,* plures *summa ded. ab arce,* quod ego reduxi, ac patri et filio Heinsiis placuit; multi etiam melior. *valida veniet ded. ab arce* vel *arte,* alii *nostra perductus ab arte.* Hs rec. *valida — arte.* 322. Un. *promissis.* — Un. *testis ait.* Iusiurandum deorum maximum. Homer. Od. V, 185. Calypso Ulyssi iurat: Ἴσθι νῦν τόδε Γαῖα καὶ Οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν, Καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ, ὅσθε μέγιστος Ὅρκος δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσιν. Periuro quae mala incubuerint, disce ex Hesiodi loco, quem attuli ad V, 252. 323. Alii *Emissi laqueis quid ag.* 325. Alii *homini est.* — Unus tantum ex vulgar. *canantur,* quod Hs rec., ceteri *canentur,* quod reduxi. Cf IV, 552. Stat. Theb. III, 562. *Quid crastina volveret aetas, Scire nefas homini.* 326. Unus *duci,* ceteri omnes

Eliciunt coelo te, Iuppiter; unde minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.
Constat Aventinae tremuisse cacumina silvae,
Terraque subsedit pondere pressa Iovis.
Corda micant regis, totoque e pectore sanguis
Fugit, et hirsutae diriguere comae.
Ut rediit animus, Da certa piamina, dixit,
Fulminis, altorum rexque paterque deûm,
Si tua contigimus manibus donaria puris,
Hoc quoque, quod petitur, si pia lingua rogat.
Annuit oranti: sed verum ambage remota
Abdidit, et dubio terruit ore virum.
Caede *caput*, dixit. Cui rex, Parebimus, inquit:
Caedenda est hortis eruta *cepa* meis.
Addidit hic, *Hominis*. *Summos*, ait ille, *capillos*.
Postulat hic *animam*. Cui Numa, *Piscis*, ait.

---

dici, quod c. Gier. servavi. Hs coni. *disci*, quod Burm. rec. — Pauci *ore queunt*.

329. Liv. I, 20. *Ad ea elicienda ex mentibus divinis Iovi Elicio arar in Aventino dicavit.* 330. Noster M. IV, 448. *Saturnia Iuno Quo simul intravit, sacroque a corpore pressum Ingemuit limen.* 331. Nonn. *corpore*, 332. Duo *Effugit, hirsutae.* Virg. A. IV, 280. *Arrectaeque horrore comae et vox faucibus haesit.* Ib. II, 774. *Obstupui, steteruntque comae, et vox faucibus h.* 333. Alii *rediitque*. 335. Un. *sacraria*. 336. Un. *petimus*. 337. Alii *verumque*. — Un. *remissa*. Plutarch. Num. 15. Τὸν θεὸν προσλάσσειν, ὡς χρὴ γενέσθαι τὸν καθαρμὸν κεφαλαῖς· ὑπολαβόντος δὲ τοῦ Νουμᾶ, Κρομμύων; εἰπεῖν, Ἀνθρώπων· τὸν δὲ αὖθις ἐκτρέποντα τὸ τοῦ προσλάγματος δεινὸν ἐπέρεσθαι, Θριξίν; ἀποκριναμένου δὲ τοῦ Διὸς, Ἐμψύχοις, ἐπαγαγεῖν τὸν Νουμᾶν, Μαινίσι; Ταῦτα λέγειν, καὶ τὸν θεὸν ἀπελθεῖν ἵλεω γενόμενον. De pisce *maena* sive *maenide* Eustath. Homer. Il. IX, 206. Θύεται μαινὶς τῇ Ἑκάτῃ διὰ τὸ δοκεῖν μανιῶν αἰτίαν εἶναι. Vim ergo divinam eos habuisse credebatur. Cf. II, 578. 341. Plures *Summos*, quod Hs rec., ceteri *Sumes*.

Risit, et; His, inquit, facito mea tela procures,
O vir colloquio non abigende deûm!
Sed tibi, protulerit quum totum crastinus orbem
Cynthius, imperii pignora certa dabo.
Dixit, et ingenti tonitru super aethera motum
Fertur, adorantem destituitque Numam.
Ille redit laetus, memoratque Quiritibus acta.
Tarda venit dictis difficilisque fides.
At certe credemur, ait, si verba sequatur
Exitus. En, audi crastina, quisquis ades.
Protulerit terris quum totum Cynthius orbem,
Iuppiter imperii pignora certa dabit.
Discedunt dubii, promissaque tarda videntur,
Dependetque fides a veniente die.
Mollis erat tellus roraraque mane pruina;
Ante sui populus limina regis adest.
Prodit et in solio medius consedit acerno.
Innumeri circa stantque silentque viri.

---

343. Tres *repellas*, un. *reponas*. Liv. I, 20. *Pontifex edocuit, quae prodigia, fulminibus aliove quo visu missa, susciperentur atq. procurarentur.* 344. Duo et unus pro div. lect. *meo*, quod Hs rec., ceteri *deûm*, quod revocavi. 346. Serv. Virg. A. VIII, 664. *Aruspices responderunt illic fore urbis imperium, ubi illud* (ancile) *esset.* Festus v. *Mamurius: Unaque edita vox, omnium potentissimam fore civitatem, quamdiu id in ea mansisset.* Un. *cara*, alius *multa*. 347. Pleriq. melior. *motum*, ceteri *notum*. 351. Pleriq. *credemus*, tres *credemur*, quod Hs rec., ceteri *oredamus*, nonn. *credetis*. — Meliores *sequatur*, quod Hs rec., alii *sequetur*. 352. Hs mav. *crastine* (pro *crastinus*). 353. Un. *Protinus extulerit quum*. 354. Un. *multa*. 356. Pleriq. *adveniente*. 357. Plurimi ex melior. *roraraque*, quod c. Gier. rec., ceteri *rorata*. Cf. I, 312. Virg. E. VIII, 14. *Frigida vix coelo noctis decesserat umbra, Quum ros in tenera pecori gratissimus herba.* 359. Quinque *eburno*. Sed cf. Virg. A. VIII, 178. *Accipit Aenean solioque invitat acerno.* 360. Multi melior. *sedentque*. Virg. A. III, 405. (In rebus sacris) *Purpureo velare comas adopertus amictu, Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum Hostilis facies occurrat et omina turbet.*

Ortus erat summo tantummodo margine Phoebus:
Sollicitae mentes speque metuque pavent.
Constitit, atque caput niveo velatus amictu
Iam bene dis notas sustulit ille manus.
Atque ita, Tempus adest promissi muneris, inquit,
Pollicitam dictis, Iuppiter, adde fidem.
Dum loquitur, totum iam sol evolverat orbem,
Et gravis aetherio venit ab axe fragor.
Ter tonuit sine nube deus, tria fulgura misit.
Credite dicenti; mira, sed acta, loquor.
A media coelum regione dehiscere coepit:
Submisere oculos cum duce turba suo.
Ecce levi scutum versatum leniter aura
Decidit. A populo clamor ad astra venit.
Tollit humo munus caesa prius ille iuvenca,
Quae dederat nulli colla premenda iugo;

---

364. Francius ap. Burm. mav. *Tam bene.* 365. Duo *pignoris,* quod Hs mav. 367. Quinq. melior. *evolverat,* quod ego rec., duo *emerserat,* quod Hs rec., un. *commoverat,* alius *ostenderat,* ceteri *emoverat.* 368. Hs mav. *En gravis.* — Un. *vergit.* — Duo *ab igne,* alius *aetheria v. ab arce.* Virg. Cul. 351. *At venit in terras coeli fragor.* Id. A. VIII, 524. *Namque improviso vibratus ab aethere fulgor Cum sonitu venit — iterum atque iterum fragor increpat ingens.* 369. Horat. Od. I, 34, 6. *namque Diespiter Plerumque per purum tonantes Egit equos volucremque currum.* Virg. A. VII, 141. *Hic pater omnipotens ter coelo clarus ab alto Intonuit.* Hom. Od. XX, 103. Αὐτίκα δ' ἐβρόντησεν ἀπ' αἰγλήεντος Ὀλύμπου Ὑψόθεν ἐκ νεφέων· γήθησε δὲ δῖος Ὀδυσσεύς. 371. Duo opt. *A medio subito coelum discedere visum est,* quod Hs placet. Un. *E media.* — Alius *rubescere.* Virg. A. IX, 20. *medium video discedere coelum, Palantesque polo stellas.* 372. Un. *Surrexere manus — suas,* quod Burm. et Taubn. placet. *Submittere* i. q. surrigere, ut *sub* in *submovere* (Virg. E. VI, 38), *subiicere* (Virg. E. X, 74), *sufferre,* et al. Nostr. ita ap. Petron. 126, 18, 3. *submittere cornua.* — Meliores *suos,* quod Gier. rec. 376. Un. *nullo.* — Tres *terga prem.* Francius voleb. *terenda.*

Idque *ancile* vocat, quod ab omni parte recisum est,
Quaque notes oculis, angulus omnis abest.
Tum, memor imperii sortem consistere in illo,
Consilium multae calliditatis init.
Plura iubet fieri simili caelata figura,
Error ut ante oculos insidiantis eat.
Mamurius, morum fabraene exactior artis,
Difficile est ulli dicere, clausit opus.
Cui Numa munificus, Facti pete praemia, dixit:
Si mea nota fides, irrita nulla petes.
Iam dederat Saliis — a saltu nomina ducunt —
Armaque, et ad certos verba canenda modos.
Tum sic Mamurius, Merces mihi gloria detur,
Nominaque extremo carmine nostra sonent.

---

377. Tredecim melior. *Idque,* quod Hs rec. ceteri *Atque.* Varro L. L. VI, p. 89. ed. Bip. *Ancilia dicta ab ancisu, quod ea arma ab utraque parte, ut peltae Thracum, incisa; ancisia Saturnio in carmine.* Graeci scribunt Ἀγκύλια. 378. Decem ex optim. *Quaque,* quod Hs rec., alii *Quemque.* 380. Un. *mirae.* 383. Multi *Marmurius,* alii *Mamurius.* Plutarch. Num. 13. eum nominat Βετούριον Μαμούριον. Dionys. Hal. Antiq. II, 71. Μαμόριον. 384. Omnes fere *ulli,* quod servavi, nonnulli *illi,* unus tantum optim. *illud,* quod Hs rec. — Un. *sculpsit,* alius *culsit.* 385. Un. *magnificus.* — Un. *munera.* 386. Tres *vera f.* 387. Tres melior. *qui saltu nom. ducunt,* unus *quae s. n. ducunt,* unus tantum nostr., quod Hs rec., ceteri omnes *a saltu nomina ducta* aut *dicta.* 388. Unus *sonos. Festus: Axamenta dicuntur carmina Saliaria, quae a Saliis sacerdotibus canebantur.* Quintil. Inst. I, 11. *Saliorum carmina vix sacerdotibus suis satis intellecta mutari vetat religio, et consecratis utendum est.* Hinc Horat. Epist. II, 1, 86. *Iam Saliare Numae carmen quis laudat, et illud Quod mecum ignorat, solus vult scire videri?* 389. Plutarch. Num. 13. Τῷ Μαμουρίῳ λέγουσι μισθὸν γενέσθαι τῆς τέχνης ἐκείνης μνήμην τινὰ δι' ᾠδῆς ὑπὸ τῶν Σαλίων ἅμα τῇ πυρρίχῃ διαπερωμένης. Festus: *Mamurius praemii loco petiit, ut suum nomen inter carmina Salii canerent.* Serv. Virg. A. VII, 188. *Mamurio diem consecrarunt, quo peltam* (non *pellem*) *virgis feriunt.* — Hic dies fuit pridie Idus, cui in vet. Kalendario adscriptum est *Mamuralia.* 390. Unus *aeterno.*

Inde sacerdotes operi promissa vetusto
  Praemia persolvunt, Mamuriumque vocant.
Nubere si qua voles, quamvis properabitis ambo,
  Differ: habent parvae commoda magna morae.
Arma movent pugnam, pugna est aliena maritis.
  Condita quum fuerint, aptius omen erit.
His etiam coniux apicati cincta Dialis
  Lucibus impexas debet habere comas.

Tertia nox emersa suos ubi moverit ignes,
  Conditus e geminis Piscibus alter erit.
Nam duo sunt: Austris hic est, Aquilonibus ille
  Proximus; a vento nomen uterque tenet.

Quum croceis rorare genis Tithonia coniux
  Coeperit, et quintae tempora lucis aget;

---

393. In Calendario vet. ad Calendas Martis est haec nota: *Festum Martis et Iunonis. Ancilia feruntur. Non est bonum nubere.* Sueton. Oth. 8. *Expeditionem impigre inchoavit, nulla ne religionum quidem cura, sed et motis necdum conditis ancilibus, quod antiquitus infaustum haberetur.* Cf. Liv. XXXVII, 33. 395. Quinq. *pugnas,* un. *pugnae.* Dionys. Hal. l. c. Παρέζωσται ἕκαστος αὐτῶν ξίφος, καὶ τῇ μὲν χειρὶ λόγχην ἢ ῥάβδον ἢ τι τοιοῦδ' ἕτερον κρατεῖ. 397. Quinq. opt. *apicalis cincta,* un. *apicali cincta,* tres *apicati cincta,* quod Hs rec., quinq. *capitis distincta,* plurimi *apicatis cura.* Cf. VI, 226 sq. Gellius N. Att. X, 15. *Flaminica Dialis venenato operitur, et in rica surculum de arbore felici habet — quum it ad Argeos, neque comit caput, neque capillum depecit* etc. 399. Undecim *de mense,* quat. *demensa,* quinq. *dimensa,* alii quinq. *dimersa,* nonn. *demissa, dimissa, immissa,* quat. *demersa,* unus tantum e melior. et edd. vet. *emersa,* quod Hs rec. — Multi *ignes,* quod Hs rec., ceteri *ortus.* 402. Quat. et edd. vett. *a ventis.* — Duo *utrumque.* Burm. coni. *utroque.* Schol. Arati 240. Τῶν Ἰχθύων ὁ μὲν βόρειος, ὁ δὲ νότιος· εἰσὶ δὲ οἱ Ἰχθύες ἐν ἀμφοτέροις τοῖς ἡμισφαιρίοις καὶ ἔχουσι τοὺς ἅπαντας ἀστέρας τεσσαράκοντα. Cf. II, 457. 403. Quinq. *rutilare.* — Duo *comis,* Hs mav. *rutilare comis.* Noster M. XIII, 622. *pias Aurora Nunc quoque dat lacrimas* (suo Memnoni) *et toto rorat in orbe.* 404. Duo *quartae.* — Quinq. *lucis erunt,* un. *noctis erunt.* Manil. I, 323. *A tergo* (Ursae) *nitet Arctophylax, idemque Bootes, Quod stimulis iunctis instat de more iuvencis.*

Sive est Arctophylax, sive est piger ille Bootes,
Mergetur, visus effugietque tuos.
At non effugiet Vindemitor. Hoc quoque causam
Unde trahat sidus, parva docere mora est.
Ampelon intonsum Satyris Nymphaque creatum
Fertur in Ismariis Bacchus amasse iugis.
Tradidit huic vitem pendentem ex frondibus ulmi,
Quae nunc de pueri nomine nomen habet.
Dum legit in ramo pictas temerarius uvas,
Decidit: amissum Liber in astra vehit.

Sextus ubi Oceano clivosum scandit Olympum
Phoebus, et alatis aethera carpit equis;
Quisquis ades, canaeque colis penetralia Vestae,
Cratera Iliacis turaque pone focis.

---

407. Schol. Arati 138. Ἐν τῷ δεξιῷ ὤμῳ τῆς Παρθένου ἀσθήρ ἐστιν σφόδρα λαμπρὸς, ὃς καλεῖται Προτρυγητήρ· πρὸ γὰρ τῆς τοῦ τρυγητοῦ ὥρας ὀλίγον προανατέλλει. Alii vocant Τρυγητῆρα, Latini etiam *Vindemiatorem* et *Vindemiatricem*. 408. Nonn. *dicere parva*, novem *parva referre*, quod Hs rec., Burm. ceteror. lect. *docere* retin. 409. Hs ex optimo quoque *Satyris* rec., ceteri *Satyro*. 411. Hoc totum distichon nugatorium esse censet Hs et uncinis inclusit, quos ego sustuli. — Multi *e* vel *ex frondibus*, quod revocavi, un. *e frontibus*, ceteri omnes *frondibus* sine praepos. — Virg. G. I, 2, *quo sidere — ulmis adiungere vites conveniat*. Id. G. II, 221. *Illa* (terra) *tibi laetis intexet vitibus ulmos*. Ap. Horat. Epod. II, 9. (rusticus) *adulta vitium propagine Altas maritat populos*. 414. Quinq. melior. *vehit*, quod Hs rec., ceteri *tulit*. 415. Ex novem optim. *Oceano* rec. Hs., ceteri *e terra*. Virg. A. VIII, 97. *Sol medium coeli conscenderat igneus orbem*. Noster M. II, 47. *currus rogat ille* (Phaethon) *paternos* (Solis), *Inque diem alipedum ius et moderamen equorum*. 416. Sex melior. *elatis*. 417. *canaeque* rec. Hs ex duob., ceteri *castaeque*, un. *grataeque*. Virg. IX, 259. *Assaracique larem et canae penetralia Vestae Obtestor*. 418. Tres optimi *Cratera*, quod Hs rec., ceteri *Gratare*, un. *Laetare*, alius *Graatae*. — Duo *donaque*. Cf. 29 et 142.

Caesaris innumeris, quem maluit ille mereri,
Accessit titulis Pontificalis honos.
Ignibus aeternis aeterni numina praesunt
Caesaris. Imperii pignora iuncta vides.
De veteris Troiae dignissima praeda favilla,
Qua gravis Aeneas tutus ab hoste fuit;
Ortus ab Aenea tangit cognata sacerdos
Numina; cognatum, Vesta, tuere caput.
Quos sancta fovet ille manu, bene vivitis ignes.
Vivite inexstincti, flammaque, duxque! precor.

Una nota est Martis Nonis, sacrata quod illis
Templa putant lucos Veiovis ante duos.

---

419. Tres ex optim. *quem*, quod Hs rec., ceteri *quos*. 420. Caesar Augustus Pontifex maximus a. U. 742, quem annum huic diei festo Fasti Praenestini assignant. Cf. IV, 949. 422. Omnes vetustior. *videt* aut *vident*. Hs addit, an *viden?*, unus *Vesta videt*, alius *dicta videt*. Edd. et al. *vides*. — Septem *Imperiis*. — Unus *culmina iuncta*. Cf. VI, 421. Liv. V, 52. *Quid de aeternis Vestae ignibus, signoque, quod imperii pignus custodia eius templi tenetur, loquar?* Ib. XXVI, 27. *Vestae aedem petitam* (a Campanis) *et aeternos ignes, et conditum in penetrali fatale imperii pignus* (inveniet consul). 423. Tres optimi ita ut Hs c. prior. nonn. edd. edidit, ceteri *Di v. Tr., d. pr. ferenti*. Propert. El. IV, 4, 67. *Nam Vesta Iliacae felix tutela favillae*. Virg. A. II, 296. (Aeneas Troia ardente) *Vestamque potentem Aeternumque adytis effert penetralibus ignem*. 424. Tres *Qua pius*. 426. Hs mav. *Lumina*. — Duo *sacratum*. 428. Cf. II, 136. 429. Libri vetustior., ut ait Hs, *Una nota est Marti: Nonis sacra.*; ego ceteror. lect. reduxi. 430. Duo *patet*, alii duo *patent*. Veter. Inscriptt. *Vediovis*. — Quinque et edd. prim. *tuos*, quat. *suos*. Gell. N. A. V, 12. *Est autem aedes Veiovis Romae inter arcem et Capitolium:* Vitruv. IV, 7. addit: *inter duos lucos*, et P. Victor *prope Asylum*. — Liv. I, 8. *Romulus locum, qui nunc septus descendentibus inter duos lucos est, Asylum operit. Eo ex finitimis populis sine discrimine, liber, an servus esset, confugit*. Id. II, 1. *Illa pastorum convenarumque plebs, transfuga ex suis populis*.

Romulus ut saxo lucum circumdedit alto,
Quilibet huc, inquit, confuge, tutus eris.
O quam de tenui Romanus origine crevit!
Turba vetus quam non invidiosa fuit!
Ne tamen ignaro novitas tibi nominis obstet,
Disce, quis iste deus, curve vocetur ita.
Iuppiter est iuvenis: iuveniles adspice vultus.
Adspice deinde manum, fulmina nulla tenet.
Fulmina post ausos coelum affectare Gigantas
Sumpta Iovi: primo tempore inermis erat.
Ignibus Ossa novis, et Pelion altior Ossa
Arsit, et in solida fixus Olympus humo.
Stat quoque capra simul: Nymphae pavisse feruntur
Cretides: infanti lac dedit illa Iovi.
Nunc vocor ad nomen. *Vegrandia* farra colonae,
Quae male creverunt, *vescaque* parva vocant.

---

431. Un. *muros circ.* 432. Ex duob. vulgar. codd. Hs rec. *Cuilibet*, ego ceter. lect. servavi. — Meliores *inquit*, quod Hs rec., ceteri *dixit*. 435. Un. *ignoti*. Dionys. Hal. Antiq. II, 15. p. 266. Ναὸν ἐπὶ τούτῳ (Ἀσύλῳ) κατεσκευάσατο· ὅτῳ δὲ ἄρα θεῶν ἢ δαιμόνων, οὐκ ἔχω τὸ σαφὲς εἰπεῖν. Plut. Rom. 9. ἱερόν τι φύξιμον τοῖς ἀφισταμένοις κατεσκεύασαν, ὃ θεοῦ Ασυλαίου προσηγόρευον. 437. Un. *iuvenales*. Ad hunc alludit Iuven. VI, 14. *Multa pudicitiae veteris vestigia forsan — exstiterunt sub Iove, sed Iove nondum Barbato*. 438. Nonn. *Respice*, un. *Inspice*. — Meliores *manum, f.*, quod Hs rec., nonn. c. prim. edd. *manus, f.*, quod item ei placet; ceteri *deinde; manu fulm.* 439. Un. *tentare*, nonn. *affectasse*. — Sex *Gigantas*, quod Hs rec., ceteri *Gigantes*. Noster M. I, 152. *Affectasse ferunt regnum coeleste Gigantas, Altaque congestos struxisse ad sidera montes. Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum Fulmine, et excussit subiecto Pelion Ossa.* 441. Un. *et Pelion ignibus Ossae*. — Pleriq. *altior*, quod Hs rec., ceteri *altius*. 442. Tres *solita*. 444. Cf. ad V, 113. Gell. N. A. V, 12. *Immolatur illi capra, eiusque animalis figmentum iuxta simulacrum stat*. 445. Duo *velior*, alii duo *venio*. — Multi melior. *colono*, undecim *colone* (colonae), un. *colonae*, quod Hs rec., ceteri *coloni*, quod Gier. reduxit. Varro R. R. II, 2. *vegrandes et imbecillae oves*.

Vis ea si verbi est, cur non ego *Veiovis* aedem,
Aedem non magni suspicer esse Iovis?
Iamque, ubi caeruleum variabunt sidera coelum,
Suspice: Gorgonei colla videbis equi.
Creditur hic caesae gravida cervice Medusae
Sanguine respersis prosiluisse iubis.
Huic supra nubes et subter sidera lapso
Coelum pro terra, pro pede penna fuit.
Iamque indignanti nova frena receperat ore,
Quum levis Aonias ungula fodit aquas.
Nunc fruitur coelo, quod pennis ante petebat,
Et nitidus stellis quinque decemque micat.

Protinus adspicies venienti nocte Coronam
Gnosida. Theseo crimine facta dea est.
Iam bene periuro mutarat coniuge Bacchum,
Quae dedit ingrato fila legenda viro.
Sorte tori gaudens, Quid flebam rustica? dixit,
Utiliter nobis perfidus ille fuit.

---

449. Octo *vallabunt*, quod Hs rec., ego ceter. omnium lect., quae Burm. quoque placet, restitui, etsi illa non omnino displicet. 452. Septem *iubis*, quod Hs rec., un. *iugis*, alius *labris*, ceteri *comis*. 456. Un. *Cui levis*. — Novem ex optim. *fudit*, duo *fecit*, un. *fovit*. Horat. Od. IV, 11, 26. *exemplum grave praebet ales Pegasus terrenum equitem gravatus Bellerophontem*. Rutil. Itin. I, 264. *Musarum ut latices ungula fodit equi*. 459. Virg. G. I, 222. *Gnosiaque ardentis — stella coronae*. Manil. V, 253. *Clara Ariadneae quondam monumenta coronae*. De Thesei crimine agit Heroid. Ep. X. 461. Un. *pro iuro*; forte, addit Burm. *pro duro*. 462. Undecim ex optim. *legenda*, quod Hs rec., ceteri *regenda*. Noster M. VIII, 172. *ope virginea nullis iterata priorum Ianua difficilis filo est inventa* (*a Theseo*) *relecto*. 463. Septem *quid fles ah rustica?* Lege, addit Hs, *quid flebas rustica?* Unus Francof. pro var. lect. leg. *quum flebam rustica*, *d.* quod Burm. rec., ceteri omnes nostr., quod c. Gier. retinui.

Interea Liber depexus crinibus Indos
Vincit, et Eoo dives ab orbe redit.
Inter captivas facie praestante puellas
Grata nimis Baccho filia regis erat.
Flebat amans coniux, spatiataque litore curvo
Edidit incultis talia verba comis:
En iterum similes, fluctus, audite querelas!
En iterum lacrimas accipe, arena, meas!
Dicebam, memini, periure et perfide Theseu!
Ille abiit: eadem crimina Bacchus habet.
Nunc quoque, nulla viro, clamabo, femina credat.
Nomine mutato causa relata mea est.
O utinam mea sors, qua primum coeperat, isset!
Iamque ego praesenti tempore nulla forem!
Quid me desertis perituram, Liber, arenis
Servabas? potui dedoluisse semel.
Bacche levis, leviorque tuis, quae tempora cingunt,
Frondibus, in lacrimas cognite Bacche meas,

---

465. Meliores *depexos*, quod Hs rec., multi etiam melior. *depexus*, quod Burm. rec., ceteri *depexis*. Noster M. III, 421. de Narcisso, *Et dignos Baccho, dignos et Apolline crines*. Ib. III, 555. Bacchum iuvat *madidus myrrha crinis, mollesque coronae*. Ib. IV, 13. *indetonsus Thyoneus*. Horat. Od. I, 15, 14. de Paride, *Nequidquam Veneris praesidio ferox Pectes caesariem*. Cf. ad 398. 466. E melior. Hs rec. *venit*, Burm. ceteror. lect. *redit* servavit. 468. Un. *minus*. Hs mav. *animis*. 469. Duo opt. *parvo*. 470. Duo *modis*, tres *sonis*. 471. Hs in utroq. versu mav. *Eu* (h. e. *Heu*). *En* lamentantis. Virg. E. I, 68. *En umquam patrios longo post tempore fines — videns mirabor aristas?* Ib. VIII, 7. *En erit umquam Illa dies, mihi quum liceat tua dicere facta?* 472. Quat. *suscipe*, duo *decipe*. Francius voleb. *combibe* vel *imbibe*. E Catull. Epith. Pelei 143. (eiusd. Ariadnae verba) *Nunc iam nulla viro iuranti femina credat, Nulla viri speret sermones esse fideles*. 476. Un. *novata*, duo *iterata*, alius *necata*. 477. Un. *quum prim.*, plurimi *quo pr.* — Un. *primo inceperat, esset*. 478. Pauci *ego praes.*, quod c. Neap. Hs rec., ceteri omnes *in praes.*, quod Burm. placet, etsi qui codd. alterutrum habeant, non annotatur. 481. Noster de Bacco M. III, 666. *Ipse racemiferis frontem circumdatus uvis* — Cf. 767.

Ausus es ante oculos adducta pellice nostros
Tam bene compositum sollicitare torum.
Heu! ubi pacta fides? ubi, quae iurare solebas?
Me miseram! quoties haec ego verba loquor!
Thesea culpabas, fallacemque ipse vocabas:
Iudicio peccas turpius ipse tuo.
Ne sciat hoc quisquam, tacitisque doloribus urar!
Ne toties falli digna fuisse puter!
Praecipue cupiam celari Thesea, ne te
Consortem culpae gaudeat esse suae.
At, puto, praeposita est fuscae mihi candida pellex.
Eveniat nostris hostibus ille color!
Quid tamen hoc refert? vitio tibi gratior ipso est.
Quid facis? amplexus inquinat illa tuos.
Bacche, fidem praesta, nec praefer amoribus ullam
Coniugis assuetae semper amare virum.
Ceperunt matrem formosi cornua tauri;
Me tua: me laudant, ille pudendus amor.

---

483. Un. *deducta*. 484. Plurimi *Iam bene*. In fine versus posui Punctum pro interrogationis signo, quod in omnibus edd. est. 486. Un. *queror*, nonn. ex optim. *loquar*. Hs mav. *vera queror* aut *sera queror*. 487. Ex nonn. Hs c. Neap. rec. *fallacem*, ceteri *fallentem*. 488. Plures *turpiter*, un. *tutius*. 489. Prius edebatur *Nesciat*, quod Hs in duo verba seiunxit. *Ne* ut post 501. 493. Virg. G. IV, 293. *coloratis amnis devexus ab Indis*. 494. Un. *pudor*. 495. Quid, *refero*. — Ex uno tantum Hs rec. *si grat.*; ego ceteror. omn. lect. *tibi* servavi. Horat. Sat. I, 3, 38. *amatorem quod amicae Turpia decipiunt caecum vitia, aut etiam ipsa haec Delectant*. 497. Edd. habent *nec*. Scribendum fortasse hic et alibi in similibus locis *neu*. An eodd. diverse legant, non refertur. 498. Ex nonn. *assuetae* Hs rec., un. *assuetum*, ceteri omnes *assuevi*. 499. Noster M. VIII, 136. *Iam, iam Pasiphaën non est mirabile taurum Praeposuisse tibi* (Minoi). 500. Plurimi et optimi *Me iuvat et laedit*, unus *Me viat et laedit*, alius *Me tua me laedit* vel *laudat*, tres ex optim. *Me tua me laudant*; quod ego recepi, ceteri *Me tua, sed laedit*. Hs ex suo ingenio rec. *Me tua: at hic laudi est, ille*. — Bacchus ap. Graecos est βούκερως, ταυρόκερως. Noster de Baccho M. IV, 19. *tibi, quum sine cornibus adstas, Virgineum caput est*.

Ne noceat, quod amo! neque enim tibi, Bacche, nocebat,
Quod flammas nobis fassus es ipse tuas;
Nec, quod nos uris, mirum facis; ortus in igne
Diceris, et patria raptus ab igne manu.
Illa ego sum, cui tu solitus promittere coelum.
Hei mihi, pro coelo qualia dona fero!
Dixerat: audibat iamdudum verba querentis
Liber, ut a tergo forte secutus erat.
Occupat amplexu, lacrimasque per oscula siccat:
Et, Pariter coeli summa petamus, ait.
Tu mihi iuncta toro mihi iuncta vocabula sumes;
Iam tibi mutatae Libera nomen erit;
Sintque tuae tecum faciam monumenta coronae,
Vulcanus Veneri quam dedit, illa tibi.

---

501. Un. *neque enim hoc tibi.* — Un. *nocebit.* 502. Un. *Qui fl.* 504. De Bacchi origine Noster M. III, 260 sq. Apollod. III, 4, 3. Ζεὺς παραγίνεται εἰς τὸν Θάλαμον τῆς Σεμέλης, ἀσπραπαῖς ὁμοῦ καὶ βρονταῖς, καὶ κεραυνὸν ἴησιν. Σεμέλης δὲ διὰ τὸν φόβον ἐκλιπούσης, ἐξαμηνιαῖον βρέφος ἐκ τοῦ πυρὸς ἁρπάσας, ἐνέῤῥαψε τῷ μηρῷ. 506. Quatuor opt. *Ei mihi.* — Duo *damna.* 507. Quinq. opt. *audibat,* ceteri *audierat.* Cf. IV, 795. 509. Un. *amplexum.* 511. Duo *sumis,* un. *sume,* quod Hs rec., ego servavi ceter. omn. lect. 512. Sex *Iam,* quod Hs rec., ceteri *Nam.* Deam *Liberam* eandem esse, quam Ariadnen, nemo nisi Ovidius auctor est. Contra Cicero Verr. IV, 48. *Rapta est Libera, quam eandem Proserpinam vocant, ex Ennensium nemore.* Haec Libera etiam alibi. Liv. XXXIII, 25. *Ex argento mulctatitio tria signa aenea Cereri, Liberoque et Liberae posuerunt.* Tacit. An II, 49. *Aedem dedicavit Libero, Liberaeque et Cereri iuxta Circum Maximum.* 513. Cf. ad 459. 514. Un. *Neptunus Thetidi.* — Ex uno Burm. rec. *mihi,* ceteri omnes *tibi,* quod servavi. Cf. Bacch. de Mezir. Comment. sur les Epitres d'Ovide T. II. p. 110. Consentiunt mecum. Schol. graec. Arati, Germanicus, Hyginus et Eratosthen. Catast. 5, qui haec refert: Διόνυσος τὸν τῆς Ἀριάδνης στέφανον εἰς τὰ ἄστρα ἔθηκεν, ᾧ πρώτῳ ἡ νύμφη ἐστεφανώσατο παρὰ Ὡρῶν λαβοῦσα καὶ Ἀφροδίτης· ἔχει δὲ ἀστέρας ὁ στέφανος ἐννέα.

Dicta facit, gemmasque novem transformat in ignes.
Aurea per stellas nunc micat illa novem.

Sex ubi sustulerit, totidem demerserit orbes,
Purpureum rapido qui vehit axe diem;
Altera gramineo spectabis *Equiria* campo,
Quem Tiberis curvis in latus urget aquis.
Qui tamen ejecta si forte tenebitur unda,
Coelius accipiat pulverulentus equos.

Idibus est Annae festum geniale Perennae,
Haud procul a ripis, advena Tibri, tuis.
Plebs venit, ac virides passim disiecta per herbas
Potat, et accumbit cum pare quisque sua.
Sub Iove pars durat: pauci tentoria ponunt:
Sunt, quibus e ramis frondea facta casa est:

---

515. Un. *Mars signat in ignes.* Noster M. VIII, 177. Liber, *ut perenni Sidere clara foret, sumptam de fronte coronam Immittit coelo. Tenues volat illa per auras, Dumque volat, gemmae subitos vertuntur in ignes.* 517. Multi etiam opt. *totidem quum deseret* vel *deserit*, alii *totidemq. emiserit*, quidam *quum demserit*, alii *quot demserit*, tres opt. *dimiserit*, alii melior. *demiserit*, unus *totidemque remiserit*, alius opt. *totidem dimerserit*; hinc fecit Hs et rec. nostram lect. 518. Un. *Purpureo rapidum.* — Un. *qui movet.* 519. *Altera* cf. II, 857. Horat. A. P. 162. *Imberbus iuvenis Gaudet equis canibusque et aprici gramine Campi.* Cf. I, 241. 521. Un. *erepta.* Burm. addit, an *erecta* vel *adiecta?* — Un. *movebitur.* Ut tum, quum Horat. scripsit Od. I, 2, 13. *Vidimus flavum Tiberim, retortis Litore Etrusco violenter undis, Ire dejectum monumenta regis, Templaque Vestae.* Festus: *Martialis campus in Coelio monte dicitur, quod in eo Equiria solebant fieri, quando aquae Tiberis campum Martium occupassent.* 522. Meliores *accipiat*, quod Hs rec. pro ceter. lect. *accipiet.* 523. Cf. ad 58. 524. Martial. Epigr. IV, 64, 16. *Virgineo canore* (ita Hs vulg. *cruore*) *gaudet Annae pomiferum nemus Perennae.* Cf. 675. 525. Un. *disiuncta*, alius *dissecta*, alius *digesta*, alius *indigesta.* 526. Hs mav. *accumbunt.* — Duo *quaeque suo.* 527. Un. *durant.* — Un. *tendunt*, alius *figunt.* Cf. II, 299. 528. Hs ex ingenio leg. et rec. *ramo*, pro lect. omn. codd. *ramis*, ut ambiguitas sermonis vitetur; ego alteram reduxi.

Pars ibi pro rigidis calamos statuere columnis,
Desuper extentas imposuere togas.
Sole tamen vinoque calent, annosque precantur,
Quot sumant cyathos, ad numerumque bibunt.
Invenies illic, qui Nestoris ebibat annos:
Quae sit per calices facta Sibylla suos.
Illic et cantant, quidquid didicere theatris,
Et iactant faciles ad sua verba manus:
Et ducunt posito duras cratere choreas,
Cultaque diffusis saltat amica comis.
Quum redeunt, titubant, et sunt spectacula vulgo,
Et fortunatos obvia turba vocat.
Occurri nuper. Visa est mihi digna relatu
Pompa: senem potum pota trahebat anus.

---

529. Meliores *ibi*, quod reduxi, ceteri *sibi*, Hs ex ing. rec. *ubi*. Idem postea mav. *Phrygiis calam.* 530. Nonn. *extensas.* 532. Eplerisq. Hs rec. *sumant*, ceteri *sumunt*, un. *sumas*. Ad numerum annorum, quos precantur, cyathos bibunt. Horat. Od. III, 8, 13. *Sume, Maecenas, cyathos amici Sospitis centum*, ad quem locum Schol. *verbo* (centum) *usus est convivarum centum cyathos clamantium.* 533. Nestor *trisaeclisenex*, ut ait Naevius; Horat. Od. II, 9, 13. *ter aevo functus.* Homer. Od. III, 245. τρὶς γὰρ δή μιν (Νέστορα) φασιν ἀνάξασθαι γένε' ἀνδρῶν. 534. Un. *victa;* hinc Hs coni. *Cui sit — victa.* Femina per calices senex facta Sibylla vocatur, quam IV, 875 *vivacem* appellat. Ipsa Sibylla Cumaea de se ap. nostr. M. XIV, 144. *iam mihi saecula septem Acta vides; superest, numeros ut pulveris aequem, tercentum messes, tercentum musta videri.* Noster, Ep. ex Pont. II, 8, 41. *Sic pater in Pylios, Cumaeos mater in annos Vivant.* 537. Multi *longas*, alii *laetas, lentas, iunctas.* Virg. G. I, 346. *Omnis quam* (hostiam) *chorus et socii comitentur ovantes, Et Cereri torta redimitus tempora quercu Det motus incompositos et carmina dicat.* 538. Unus *Multaque*, quod Hs rec., ego ceteror. lect. servavi. — Duo *cantat.* 539. Duo optimi *vulgo*, quod Hs rec., ceteri *vulgi.* 540. Unus ex opt. *vocant*, quod Hs rec., ceteri *vocat*, quod servavi. 541. Duo ex optim. *Occurri*, quod Hs rec. pro ceter. lect. *Occurrit.* Idem censet post hoc distichon monachos quaed. lasciviora resecuisse, quum addita verba *Visa* — longiorem narrationem promittant.

Quae tamen haec Dea sit, — quoniam rumoribus errat —
Fabula proposito nulla tacenda meo.
Arserat Aeneae Dido miserabilis igne:
Arserat exstructis in sua fata rogis:
Compositusque cinis, tumulique in marmore carmen
Hoc breve, quod moriens ipsa reliquit, erat:
Praebuit Aeneas et causam mortis et ensem:
Ipsa sua Dido concidit usa manu.
Protinus invadunt Numidae sine vindice regnum,
Et potitur capta Maurus Iarba domo;
Seque memor spretum, Thalamis tamen, inquit, Elissae
En ego, quem toties reppulit illa, fruor!
Diffugiunt Tyrii, quo quemque agit error, ut olim
Amisso dubiae rege vagantur apes.
Tertia nudandas acceperat area messes,
Inque cavos ierant tertia musta lacus;

---

543. Sex *errant*, quod Hs rec., ego c. Gier. servavi ceter. lect. Cf. I, 468. — Un. *sermonibus*. 544. Duodec. *tacenda*, quod Hs. rec., ceteri *tegenda*, un. *timenda*, alius *regenda*. Quam noster sequitur fabulam, eam copiosius persecutus est Silius Ital. VIII, 28—201. De Didonis morte Virg. A. IV, 630. ubi 645. *altos Conscendit furibunda rogos, ensemque recludit Dardanium.* 546. Quid. *instructis*, alii *extinctis*. Hs mav. *et structis*. 547. Alii *ignis*. — Un. *titulique*. 550. Un. *icta*. 551. Silius VIII, 54. *Despectus taedae regnis se imponit Iarbas, Et tepido fugit Anna rogo.* 552. Alii *Hiarba*. 554. Scripsi *reppuli*, ut alias *rettuli, relliquiae, relligio*, ut brevis syllaba longa fiat, consentiens cum Grammaticor. vett. effatis. Cf. Schneider Elementarlehre B. II, p. 584. 555. Virg. G. IV, 212. *Rege incolumi mens omnibus* (apibus) *una est; Amisso rupere fidem — et crates solvere favorum. — Olim*, ut ap. Horat. Serm. I, 1, 25. *ut pueris olim dant crustula blandi Doctores, elementa velint ut discere prima.* 557. Plurimi *nudatas*, un. *mandatas*; ex duob. melior. Hs rec. *nudandas*. Noster M. XIV, 146. *superest Tercentum messes, tercentum musta videri.* Silius VIII, 61. *dum flavas bis tondet messor aristas.* 558. Quat. *Inque cavo steterant — lacu*; duo *Inque cavo suberant — lacu*; un. *inerant*.

Pellitur Anna domo, lacrimansque sororia linquit
Moenia: germanae iusta dat ante suae.
Mixta bibunt molles lacrimis unguenta favillae,
Vertice libatas accipiuntque comas;
Terque, Vale, dixit: cineres ter ad ora relatos
Pressit, et est illis visa subesse soror.
Nacta ratem comitemque fugae pede labitur aequo,
Moenia respiciens, dulce sororis opus.
Fertilis est Melite sterili vicina Cosyrae
Insula, quam Libyci verberat unda freti.
Hanc petit hospitio regis confisa vetusto;
Hospes opum dives rex ibi Battus erat.
Qui postquam didicit casus utriusque sororis,
Haec, inquit, tellus quantulacumque tua est.

---

560. Tres *busta*, quat. *vota*, duo *iura*, un. *exta*. — Duo *dat Anna suae*. Cf. V, 452. 561. Horat. Od. II, 6, 22. *Ibi tu calentem Debita sparges lacrima favillam Vatis amici*. Homer. Il. XXIII, 170. de Patrocli rogo, ἐν δ' ἐτίθει (Achilles) μέλιτος καὶ ἀλείφατος ἀμφιφορῆας. Seneca Hippol. 1181. *Placemus umbras! Capitis exuvias cape Laceraeque frontis accipe abscissam comam*. Noster. Her. XI, 115. *Non mihi te licuit lacrimis perfundere iustis, In tua non tonsas ferre sepulcra comas*. 564. Scripti fere omnes *illi*, un. *illa*, pauci *illis*, quam vulg. lect. Hs servavit, etsi mav. *et his illi visa*. 565. E sex libr. Hs rec. *comitemque*, ceteri *comitesque*. Burm. coni. *f. perlabitur*, tutius tamen putat nihil mutare. Navis pedem sive pedes intelligit Noster, ut Catull. IV, 20. *sive utrumque Iuppiter Simul secundus incidisset in pedem*. Cic. Att. XVI, 6. *Utrumque sinum pedibus aequis transmisimus*. 567. Scaliger leg. *Melitae — — Cosura*. Cod. un. opt. *Melitae — Cosyre*. — Un. *Cyrenae*. Nihil mutat Hs. Diod. Sic. V, 12. Μελίτη Φοινίκων ἄποικος ἔχει τοὺς κατοικοῦντας ταῖς οὐσίαις εὐδαίμονας. Senec. Cons. Helv. 6. *asperrimas insulas, Sciathum et Seriphum, Gyarum et Cosyram pete*. — 568. Noster Trist. I, 4, 8. *et pictos verberat unda deos*. Priscian. Perieg. 422. *Hoc* (aequor) *Ephyren contra Zephyrus, sed verberat illud Eurus*. 569. Silius VIII, 57. Annam devertentem facit ad Battum, qui *Cyrenen molli tum forte fovebat Imperio*.

Et tamen hospitii servasset ad ultima munus,
Sed timuit magnas Pygmalionis opes.
Signa recensuerat bis sol sua: tertius ibat
Annus, et exsulibus terra petenda nova est.
Frater adest belloque petit, rex arma perosus,
Nos sumus imbelles, tu fuge sospes, ait.
Iussa fugit, ventoque ratem committit et undis.
Asperior quovis aequore frater erat.
Est prope piscosos lapidosi Crathidis amnes
Parvus ager: Cameren incola turba vocat.
Illuc cursus erat; nec longius abfuit inde,
Quam quantum novies mittere funda potest.
Vela cadunt primo, et dubia librantur ab aura.
Findite remigio, navita dixit, aquas.

573. Quid. *Et tamen aeternum.* Pro *munus* un. *foedus.* Hs mav. *Ne tamen h. servaret — Extimuit.* Heinz. Opusc. p. 228. totum distichon tollit. Equidem quondam conieci *Et tantum.* 574. De Pygmalione Virg. A. I, 346. *Sed regna Tyri germanus habebat Pygmalion, scelere ante alios immanior omnes.* Etiam ap. Sil. VIII, 63. Battus *ferre per aequor Exitium miserae iam Pygmaliona docebat.* 575. Ex melior. Hs rec. *recensuerat,* ceteri *recensebat.* 576. Hs e quat. leg. *exsulibus,* ceteri *exsilio.* — Octo *petenda* pro *paranda;* illud Hs rec. 577. Un. *belloque ferox,* quod Burm. placet. Edd. omn. post *petit* punctum habent: ego priora verba Batti regis esse censeo, quod Silii locus confirmare videtur. 579. Undecim *facit.* 580. Cf. II, 98. Ap. Nostr. M. XIII, 799. Polyphemus de sua Galatea *fallacior undis, His immobilior scopulis, violentior amne, Surdior aequoribus, calcato immitior hydro.* Ib. XIV, 711. *Surdior illa freto surgente cadentibus Hoedis.* 582. Duo tantum *Purus,* quod Hs rec., ego ceter. lect. praetuli. — Edd. quaed. *Cremeren.* — *Vocant* leg. Hs ex uno, ego servavi alterum *vocat.* — Nusquam prope Crathidem, fluvium Graeciae magnae, *Camere* memoratur. 584. Noster M. IV, 708. *Tantum aberat scopulis, quantum Balearica torto Funda potest plumbo medii transmittere coeli.* Id. M. VIII, 695. *Tantum aberant summo, quantum semel ire sagitta Missa potest.* 585. Septem melior. *et* non habent. Iidem *vibrantur.* Hs mav. *Vela cadunt. Primo dub. libr. ut tura, Findite.* — Burm. coni. *Vela cadant, et ne dub. librentur ab aura, Find.* — Un. *in aura.*

Dumque parant torto subducere carbasa lino,
Percutitur rapido puppis adunca Noto,
Inque patens aequor, frustra pugnante magistro,
Fertur, et ex oculis visa refugit humus.
Assiliunt fluctus, imoque a gurgite pontus
Vertitur, et canas alveus haurit aquas.
Vincitur ars vento, nec iam moderator habenis
Utitur, at votis is quoque poscit opem.
Iactatur tumidas exsul Phoenissa per undas,
Humidaque opposita lumina veste tegit.
Tum primum Dido felix est dicta sorori,
Et quaecumque aliquam corpore pressit humum.

---

587. Un. *submittere.* Copiosissima tempestatis descriptio est ap. Nostr. M. XI, 475 — 560. ubi 483. *Ardua iamdudum demittite cornua, rector Clamat, et antennis totum subnectite velum!* 588. Virg. A. I, 114. *ingens a vertice pontus In puppim ferit.* 592. Hs coni. *Verritur.* Noster Trist. I, 4, 7. *Monte nec inferior prorae puppique recurvae Insilit, et pictos verberat unda deos.* Id. M. XI, 499. Pontus, *quum fulvas ex imo vertit* (Hs. verrit) *arenas, Concolor est illis.* Virg. A. I, 43. Pallas *evertit aequora ventis.* Ib. II, 419. *imo Nereus ciet aequora fundo.* 594. Unus opt. *aut votis dis quoque,* alius *at votis dis,* quid. melior. *aut votis is,* unus a manu prima *a votis,* alii *ac* vel *et,* sex *his,* duo *hic,* ceteri *at votis is quoque poscit,* quam lect. servavi. Hs coniec. vel, *Utitur, at votis: hic q. p. o.,* quod rec., vel *vix q. poscit,* vel *ut votis usque reposcit o.* Burm. coni. *at votis: sic quoque,* aut, *Utitur; a votis disque reposcit.* Gierig. mav. *his quoque.* Cf. Virg. A. III, 260. *cecidere animi, nec iam amplius armis, Sed votis precibusque iubent exposcere pacem.* Noster M. XI, 493. *Ipse pavet, nec se, qui sit status, ipse fatetur Scire ratis rector, nec quid iubeatve, vetetve. Tanta mali moles, totaque potentior arte est.* Ib. 537. *Deficit ars, animique cadunt — — hic votis numen adorat Brachiaque ad coelum — irrita tollens Poscit opem.* Id. M. II, 185. navis, *cui victa remisit Frena suus rector, quam dis votisque reliquit.* 596. Quat. *apposita.* 597. Querelae, quales Aeneae ap. Virg. A. I, 94. *O terque quaterque beati, quis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis Contigit oppetere!* etc. 598. Horat. Od. I, 28, 23. *At tu nauta vagae ne parce malignus arenae Ossibus et capiti inhumato Particulam dare.* Ceterum Silius VIII. 65. de hac tempestate nihil nisi haec: *Ergo agitur pelago divis inimica sibique, Quod se non dederit comitem in su-*

Figitur ad Laurens ingenti flamine litus
  Puppis, et expositis omnibus hausta perit.
Iam pius Aeneas regno nataque Latini
  Auctus erat, populos miscueratque duos.
Litore dotali solo comitatus Achate
  Secretum nudo dum pede carpit iter,
Adspicit errantem, nec credere sustinet Annam
  Esse. Quid in Latios illa veniret agros?
Dum secum Aeneas, *Anna est!* exclamat Achates,
  Ad nomen vultus sustulit illa suos.
Quo fugiat? quid agat? quos terrae quaerat hiatus?
  Ante oculos miserae fata sororis erant.
Sensit et alloquitur trepidam Cythereïus heros:
  Flet tamen admonitu mortis, Elissa, tuae.
Anna, per hanc iuro, quam quondam audire solebas
  Tellurem fato prosperiore dari;
Perque deos comites, hac nuper sede locatos,
  Saepe meas illos increpuisse moras.

---

prema sorori, Donec iactatam laceris, miserabile! velis Futalis turbo in Laurentes expulit oras.

599. Ex duodec. potior. Hs c. Gronov. Obs. IV, 8. p. 599. rec. *Figitur*, ceteri *Ducitur*. 602. Un. *suos*. Cf. II, 56. Liv. I, 2. *Aeneas, ut animos Aboriginum sibi conciliaret, Latinos utramque gentem* (Aboriginum et Troianorum) *apellavit*. 607. Hs mav. *Anna en!* 608. Unus opt. c, aliis *sustinet*, alii *rettulit*, ut IV, 2. et M. III, 245. *Ad nomen caput ille refert*. Nostrum II, 824. VI, 754. et pluries. 609. Ex multis etiam potior. *Quo* Hs rec., un. *Quid*, ceteri *Heu*. Silius IV, 330. *fugere infixum est, terraeque optantur hiatus*. Virg. A. X, 675. *Quid ago? aut quae iam satis ima dehiscat Terra mihi?* Homer. Il. IV, 182. τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών. 611. Silius VIII, 73. *Qui* (Aeneas) *terrae defixam oculos et multa timentem, Ac deinde allapsam genibus lacrimantis Iuli Attollit, mitique manu intra limina ducit*. 612. Quinq. ex opt. *admonitus motus — tui*, nonn. *admonitu motus — tui* vel *tuo*, unus *admonitus mortis*. 613. Silius VIII, 105. *Tellurem hanc iuro, vota inter nostra frequenter Auditam vobis, iuro caput, Anna, tibique Germanaeque tuae dilectum mitis Iuli* — Similis verborum transpositio ap. Virg. A. II, 142. *Per si qua est, quae restat adhuc mortalibus usquam Intemerata fides, oro*.

Nec timui de morte tamen: metus abfuit iste.
Hei mihi! credibili fortior illa fuit.
Ne refer. Adspexi non illo pectore digna
Vulnera, Tartareas ausus adire domos.
At tu, seu ratio te nostris appulit oris,
Sive deus, regni commoda carpe mei.
Multa tibi memores, nil non debemus Elissae.
Nomine grata tuo, grata sororis, eris.
Talia dicenti — neque enim spes altera restat —
Credidit, errores exposuitque suos.
Utque domum intravit Tyrios induta paratus,
Incipit Aeneas: — cetera turba silet —
Hanc tibi cur tradam, pia causa, Lavinia coniux,
Est mihi: consumpsi naufragus huius opes.
Orta Tyro regnum Libyca possedit in ora:
Quam precor ut carae more sororis ames.
Omnia promittit, falsumque Lavinia vulnus
Mente premit tacita, dissimulatque fremens;

---

618. Optimi *Ei mihi!* — Duo *certior.* — *Credibili,* ut Trist. I, 5, 49. *Multaque credibili tulimus maiora.* Her. XVI, 143. *minor est tua gloria vero.* 619. Plures melior. *pectore,* quod Hs rec., ceteri *corpore.* Noster Virgilium sequitur, qui A. VI. Aeneam ad Inferos descendentem cumque Didone colloquentem (VI, 450.) facit. Aliter Silius, omnia sororis facta Aeneae primum renarrat. 621. Ap. Virg. A. VII, 216. Ilioneus ab Aenea ad Latinum missus quaerenti Latino, quid in Latium venissent, respondit: *Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem Afferimur.* Horat. Sat. I, 1, 1. *Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa Contentus vivat.* 622. Un. *sume.* 623. Quat. *multum deb.* 627. Noster M. VI, 451. *Magno dives Philomela paratu, Divitior forma.* Talem Didonis paratum describit Virg. A. IV, 137. *Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo — crines nodantur in aurum; Aurea purpuream subnectit fibula vestem.* 631. Edd. quaed. *Tyro est.* 633. Duo *tacitumque,* un. *captumque.* Hs coni. *cautumque.* Virg. A. I, 36. *Iuno aeternum servans sub pectore vulnus.* Ib. IV, 67. *et tacitum vivit sub pectore vulnus.* Ib. IV, 332. *curam sub corde premebat.* 634. Un. *gerit tac.* — Septem opt. *fremens,* quod Hs rec., unus *tacitos diss. metus,* ceteri *metus.*

Donaque quum videat praeter sua lumina ferri
Multa palam, mitti clam quoque multa putat.
Non tamen exactum, quid agat. Furialiter odit,
Et parat insidias, et cupit ulta mori.
Nox erat: ante torum visa est adstare sororis
Squalenti Dido sanguinolenta coma,
Et, Fuge, ne dubita, maestum fuge, dicere, tectum,
Sub verbum querulas impulit aura fores.
Exsilit, et velox humili super arva fenestra
Se iacit; — audacem fecerat ipse timor —

---

635. Sex melior. *vidit*, quod rectius esse censet Hs, non tamen rec. — Septem *limina* — Veter. fere omnes *ferri*, quod Hs rec. pro *mitti* ceteror. 636. *Multa tamen* edd. quaed. — Hs in his vss. ita distingui volebat, ut post *ferri* Colon, post *mitti* Comma poneret; hanc tamen distinctionem non rec. 637. Plurimi *Non habet*, quinq. *Non tamen*, quod Hs rec. 638. Plures etiam optimi *Praeparat*. 639. Tres, etiam optimus, *ante oculos*. — Un. *sorori*. Silius VIII, 164. *Tacito nox atra sopore Cuncta per et terras et lati stagna profundi Condiderat, tristi quum Dido aegerrima vultu Has visa in somnis germanae effundere voces: His, soror, in tectis longae indulgere quieti, Heu! nimium secura, potes? nec, quae tibi fraudes Tendantur, quae circumstent discrimina, cernis?* etc. 641. Ex optimo Hs rec. *Et*, ceteri *Effuge*. — Quinq. optimi et plurimi alii ita, ut Hs rec.; alii *maestum soror effuge tectum*, quid. *fuge, desere t.*, duo *fuge me duce t.*, un. *maesto discedere tecto*, alius *m. tibi linquere tectum*, alius *m. dimittere t.* Hs mav. *funestum, ait, heu fuge t.* Verba ordine perturbata, ut Virg. E. III, 93. *Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba*. 643. Alii *illinc super ausa fen.*, unus *alta fenestra*. Silius VIII, 187. *Tunc, ut erat tenui corpus velamine tecta, Prosiluit stratis, humilique egressa fenestra Per patulos currit plantis pernicibus agros, Donec arenoso (sic fama) Numicius illam Suscepit gremio vitreisque abscondidit antris.* — Ut Numicius, ita ap. Virg. A. VIII, 77. *Tiberis corniger*, G. IV, 371. Eridanus *gemina auratus taurino cornua vultu*, ap. Eurip. Orest. 1385. Oceanus ταυρόκρανος; ap. Soph. Trach. II, Achelous βούκρανος. De Numicii tacito cursu Noster M. XIV, 598. *ubi tectus arundine serpit In freta flumineis vicina Numicius undis*. 644. Alii *ille timor*.

Quaque metu rapitur tunica velata recincta,
Currit, ut auditis territa dama lupis.
Corniger hanc cupidis rapuisse Numicius undis
Creditur, et stagnis occuluisse suis.
Sidonis interea magno clamore per agros
Quaeritur. Apparent signa notaeque pedum.
Ventum erat ad ripas: inerant vestigia ripis.
Sustinuit tacitas conscius amnis aquas.
Ipsa loqui visa est, *Placidi sum Nympha Numici:*
Amne perenne latens Anna Perenna vocor.
Protinus erratis laeti vescuntur in agris,
Et celebrant largo seque diemque mero.
Sunt, quibus haec Luna est, quia mensibus impleat annum:
Pars Themin, Inachiam pars putat esse bovem.
Invenies, qui te Nymphen Atlantida dicant,
Teque Iovi primos, Anna, dedisse cibos.
Haec quoque, quam referam, nostras pervenit ad aures
Fama, nec a vera dissidet illa fide.

---

645. Plures optimi *Quaque*, quod rec. Hs, ceteri *Cumque metu*. Hs mav. *Quoque metus rapuit*. 647. Octo melior. *cupidis*, quod Hs rec., duo *rapidis*, ceteri *tumidis*, duo *timidis*. — Hs et Brouckh. coniecer. *ulnis* pro *undis*. 650. Duo optimi notata. 651. Duo *instant*. — Un. *ripae*. Silius VIII, 195. (Tres Annam quaerentes) *Vicini ad rivas fluvii manifesta sequuntur Signa pedum, dumque inter se mirantur, ab alto Amnis aquas cursumque rapit. Tum sedibus imis Inter caeruleas visa est residere sorores Sidonis, et placido Teucros affarier ore. Ex illo primis anni celebrata diebus Per totam Ausoniam venerando numine culta est.* 652. Quinq. melior. *tenues*, alii quinq. *rapidas*. 653. Novem ex optim. *Rapidi*, ceteri *Placidi*. Hs coni. *Placiti*. 654. Un. *loquor*. 655. Un. *errantes*. — Un. *pascuntur*. — Sex *arvis*. *Errati agri*, ut ap. alios *erratus orbis, errata litora*. Cf. IV, 573. 657. Un. *quae mens*. — Duo *orbem*. 658. *Inachia b*. Cf. I, 453. 659. Hs mav. *Invenias*. — Quid. *Athalantida*, un. *Nilanida*. — Un. *dicat*. 660. Hoc Amaltheam ope caprae fecisse dicunt mythologi. Cf. ad V, 113. Nec tamen usquam haec Atlantis fuisse fertur. 662. Hs rec. *vera* e sex opt. et septem aliis, ceteri *veri*.

Plebs vetus, et nullis etiam tunc tuta Tribunis,
Fugit, et in sacri vertice montis abit.
Iam quoque, quem secum tulerant, defecerat illos
Victus et humanis usibus apta Ceres.
Orta suburbanis quaedam fuit Anna Bovillis
Pauper, sed multae sedulitatis, anus.
Illa levi mitra canos redimita capillos
Fingebat tremula rustica liba manu.
Atque ita per populum fumantia mane solebat
Dividere. Haec populo copia grata fuit.
Pace domi facta signum posuere Perennae,
Quod sibi defectis illa tulisset opem.
Nunc mihi, cur cantent, superest, obscena puellae,
Dicere: nam coëunt certaque probra canunt.
Nuper erat dea facta; venit Gradivus ad Annam,
Et cum seducta talia verba facit:

---

663. Quat. *a nullis,* duo *ex nullis.* — Un. *etiam sat tuta,* alius *etiam tutata,* quinq. *etiam tum tuta,* multi *etiam tunc tuta,* quod servavi. Hs rec. *etiam num* sine cod. 664. Quat. opt. et alii *abit,* quod Hs rec., ceteri *erat.* Haec plebis secessio est facta a. U. 260. a. C. 494. Liv. II, 32. *Plebs, Sicinio quodam auctore in sacrum montem secessit (trans Anienem est) tria ab urbe millia passuum.* 665. Quat. optim. et tres alii *illos,* quod Hs rec., ceteri *illis.* Cf. 674. 666. Hs mav. *esibus.* 667. Quat. *quondam.* Schol. Pers. VI, 55. *Bovillae* sunt vicus ad undecimum lapidem Appiae viae. 668. Tres *mundae,* quod Hs rec., duo *mirae,* ceteri *multae,* quod reduxi. 669. Un. *brevi.* — Un. *vitta.* — Meliores *redimita,* quod Hs rec., un. *succincta,* ceteri *incincta.* 670. Duo *Frangebat,* totidem *Scindebat,* un. *Cingebat.* — Tres ex opt. et plures certe *tremula,* quod c. Ciof. rec. Hs, ceteri *trepida.* Similis nostrae *sedula Baucis* ap. nostr. M. VIII, 660. quae *mensam succincta tremensque Ponit.* 673. Quinq. *Perennae,* quod Hs rec., ceteri *perenne,* quod idem esse potest. 674. E melior. Hs *tulisset* rec., ceteri *ferebat.* 675. Alii scribunt *obscoena,* alii *obscaena.* — Cf. 695. et supra 523. 676. Octo *cunctaque,* tres *multaque.* 678. Nonn. *verba refert,* duo *voce refert.*

Mense meo coleris: iunxi mea tempora tecum:
Pendet ab officio spes mihi magna tuo.
Armifer armiferae correptus amore Minervae
Uror, et hoc longo tempore vulnus alo.
Effice, dì studio similes coëamus in unum.
Conveniunt partes hae tibi, comis anus.
Dixerat: illa deum promisso ludit inani,
Et stultam dubia spem trahit usque mora.
Saepius instanti, Mandata peregimus, inquit:
Evicta est precibus: vix dedit illa manus.
Gaudet amans thalamosque parat. Deducitur illuc
Anna tegens vultus, ut nova nupta, suos.
Oscula sumpturus subito Mars adspicit Annam;
Nunc pudor elusum, nunc subit ira, deum.
Ridet amatorem carae nova diva Minervae;
Nec res hac Veneri gratior ulla fuit.

---

679. Duo *mea numina.* — *Tempora,* ut supra 91. 681. Multi et edd. prim. *Armiger armigerae.* 682. Alii *et in longo,* un. *Vulneror et longo.* Virg. A. IV, 1. *At regina gravi iamdudum saucia cura Volnus alit venis, et caeco carpitur igni.* 683. Un. *nos studio.* — Hs mav. *simili.* — Un. *iaceamus.* — Septem *in uno.* 684. *Partes,* ut VI, 70. Rem. Am. 524. *En! etiam partes conciliantis ago.* 686. Tres *stultum d. speque moraque trahit.* 688. Hs e duob. vulgar. rec. *Evictas,* plurimi *Evicta est,* quod reduxi, alii multi *Et victa est. Manus dare,* ut VI, 800. Her. XXI, 240. *Doque libens victas in tua vota manus.* 689. Optimus quisque (septem) *Gaudet,* quod Hs rec., ceteri *Credit.* — Alii *istuc.* Festus: *Flammeo amicitur nubens ominis boni causa, quod eo assidue utebatur Flaminica id est Flaminis uxor, cui non licebat facere divortium.* 691. Unus *inspicit.* 692. Tale est Virgilii A. V, 454. *vim suscitat ira; Tum pudor incendit vires.* 693. Quinq. opt. et sex alii *Ridet,* quod Hs rec., ceteri *Ludis.* — Un. *canae.* Burm. et Francius coni. *castae.* 694. Un. *Nec Veneri res hac.* Alludit certe ad fabulam illam de Marte et Venere Vulcani arte captis, quam primus cecinit Homerus Od. VIII, 267 sqq. bis Noster M. IV, 171 sq. A. A. II, 561 sq. et Reposianus quidam de concubitu Martis et Veneris.

Inde ioci veteres obscenaque dicta canuntur,
Et iuvat hanc magno verba dedisse deo.
Praeteriturus eram gladios in principe fixos,
Quum sic a castis Vesta locuta focis:
Ne dubita meminisse: meus fuit ille sacerdos.
Sacrilegae telis me petiere manus.
Ipsa virum rapui, simulacraque nuda reliqui;
Quae cecidit ferro, Caesaris umbra fuit.
Ille quidem coelo positus Iovis atria vidit,
Et tenet in magno templa dicata foro.
At quicumque nefas ausi, prohibente deorum
Numine, polluerant Pontificale caput,
Morte iacent merita. Testes estote Philippi,
Et quorum sparsis ossibus albet humus.

---

695. Melior. pleriq. *dicta*, quod Hs rec., ceteri *verba*. — Tres *feruntur*. 696. Noster Remed. 95. *Verba dat omnis amans*. Cf. V, 690. 697. Duo *in Caesare*. Caedes facta a. U. 710. a. C. 44. Suet. Caes. 88. *Senatui placuit Idus Martias parricidium nominari, ac ne umquam eo die senatus ageretur*. 698. Un. *diva*, cuius *Vesta* sit interpretamentum, addit Hs. Ap. Dion. Cass. XLIV, 49. in Caesaris laudatione funebri ita Antonius: Ἀλλ' οὗτος ὁ πατὴρ, οὗτος ὁ ἀρχιερεὺς, ὁ ἄσυλος, ὁ ἥρως, ὁ θεὸς, τέθνηκεν. 700. Un. *rapuere*. 703. Duo vulgar. *servat*, quod Hs rec., un. *hausit*, ceteri omnes *vidit*, quod reduxi. Malo *visit*. Ad deos evectus est a. U. 712. a. C. 42. Virg. E. V, 56. *Candidus insuetum miratur limen Olympi, Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis* (Caesar) Suet. Caes. 84. *Funere* (Caesaris) *indicto — aurata aedes ad simulacrum templi Veneris Genetricis collocata, intraque lectus eburneus, auro ac purpura stratus*. De consecratione Dio Cass. XLVII, 18. et Noster M. XV, 746 sq. 705. Suet. Caes. 89. *Percussorum* (Caesaris) *fere neque triennio quisquam amplius supervixit, neque sua morte defunctus est. Damnati omnes, alius alio casu periit: pars naufragio, pars proelio; nonnulli semet eodem illo pugione, quo Caesarem violaverant, interemerunt*. Virg. G. I, 489. *Ergo inter sese paribus concurrere telis Romanas acies iterum videre Philippi — Scilicet et tempus veniet, quum finibus illis Agricola — Grandia effossis mirabitur ossa sepulcris*. 706. Hs leg. *polluerunt*, non tamen rec. Idem mav. ex uno *decus*, aut ex alio *sacrum*. 708. Cf. I, 558.

Ecce novae coëunt volucres tinnitibus actae,
Quaque movent sonitus aera, sequuntur apes.
Colligit errantes, et in arbore claudit inani
Liber: et inventi praemia mellis habet.
Ut Satyri levisque senex tetigere saporem,
Quaerebant flavos per nemus omne favos,
Audit in exesa stridorem examinis ulmo,
Adspicit et ceras dissimulatque senex;
Utque piger pandi tergo residebat aselli,
Applicat hunc ulmo corticibusque cavis.
Constitit ipse super ramoso stipite nixus,
Atque avide trunco condita mella petit.
Millia crabronum coëunt, et vertice nudo
Spicula defigunt, oraque summâ notant.
Ille cadit praeceps, et calce feritur aselli,
Inclamatque suos, auxiliumque rogat.
Concurrunt Satyri, turgentiaque ora parentis
Rident. Percusso claudicat ille genu.

---

741. Burm. mav. *ictae.* De apum examinibus Virg. praecipit G. IV, 64. *Tinnitusque cie et Matris quate cymbala circum: Ipsae consident — ipsae Intima more suo sese in cunabula condent.* Arist. H. An. IX, 40. Δοκοῦσι χαίρειν αἱ μέλιτται καὶ τῷ κρότῳ· διὸ καὶ κροτοῦντές φασιν ἀθροίζειν αὐτὰς εἰς τὸ σμῆνος, ὀσμῇ τε καὶ ψόφοις. 742. Un. ex opt. *Quaque,* quod Hs rec., sex *Quoque,* ceteri *quosque.* 745. Multi *lenisque,* tres *laetusque,* duo *graviorque,* un. *dulcemque.* Cf. I, 399. et infra 753. 746. Un. *dulces,* quod Hs plac., ut κακοφωνία vitetur; idem tamen mav. *niveos.* 747. Viginti fere *excelsa,* duo *extrema.* 748. Nonn. *Adiicit.* — Meliores *et ceras,* quod c. Neap. Hs rec., ceteri *et celat.* 749. Un. *resedit,* alius *consedit.* 751. Tres melior. *nexus.* Hs mav. *nexum.* 753. Un. *in vertice.* 754. Ex quinq. opt. et sex al. Hs rec. *summa,* ceteri *prima;* ille tamen mav. *sima.* 756. Tres opt. et alii *rogat,* quod Hs rec., ceteri *vocat.* 757. Quat. *Occurrunt,* quod Burm. plac. Hs mav. *Accurrunt.* 758. Nonn. *ille pede.* Similem iocum narrat Noster A. A. I, 543. *Ebrius, ecce! senex pando Silenus asello Vix sedet, et pressas continet ante iubas. Dum sequitur Bacchas, Bacchae fugiuntque petuntque. Quadrupedem ferula dum malus urget eques, In caput aurito cecidit delapsus asello. Clamarunt Satyri, Surge age, surge, pater!*

Ridet et ipse deus, limumque inducere monstrat.
Hic paret monitis et linit ora luto.
Melle pater fruitur, liboque infusa calenti
Iure repertori candida mella damus.
Femina cur praestet, non est rationis opertae.
Femineos thyrso concitat ille choros.
Cur anus hoc faciat, quaeris. Vinosior aetas
Haec est, et gravidae munera vitis amans.
Cur hedera cincta est; Hedera est gratissima Baccho.
Hoc, quoque cur ita sit, dicere nulla mora est.
Nysiades Nymphae, puerum quaerente noverca,
Hanc frondem cunis opposuere novis.
Restat, ut inveniam, quare toga libera detur
Lucifero pueris, candide Bacche, tuo;

---

759. Hs mav. *limoque.* 761. Un. *potitur.* — Duo melior. *recenti.* 762. Melior. omnes *candida,* quod Hs rec., ceteri *splendida,* duo *mella reperta d.* 763. Tres ex opt. *presset,* quod Hs rec., ceteri *pressit, praesit, praestat, praestet,* quod ex edd. vulg. servavi. Ap. Nostr. M. IV, 4. *Festum celebrare sacerdos Immunes operum dominas famulasque suorum Pectora pelle tegi, crinales solvere vittas, Serta comae, manibus frondentes sumere thyrsos Iusserat — parent matresque nurusque.* 765. Multi *haec.* De absoluto *quaeris* nulla addita coniunctione cf. ad I, 219. 766. Nonn. *est,* quod Hs rec., ceteri *erat.* — Sex opt. et alii *amans,* quod Hs rec., ceteri *amat.* 769. Codd. varie *Niliadas, Niseides, Nysiades, Nisiadas.* Sex opt. pro Accus. *Nysiadas Nymphas — opposuisse ferunt* leg. id, quod Hs rec., nisi quod Hs *apposuere* scr. pro *opposuere,* quod ego rec., septem leg. *apposuisse ferunt.* Noster M. III, 313. *Furtim illum primis Ino matertera cunis Educat; inde datum Nymphae Nyseides antris Occuluere suis, lactisque alimenta dedere.* Homer. Hymn. 25. Κισσοκόμην Διόνυσον — τρέφον ἠΰκομοι Νύμφαι παρὰ πατρὸς ἄνακτος Δεξάμεναι κόλποισι, καὶ ἐνδυκέως ἀτίταλλον, Νύσης ἐν γνάλοις. 771. Ovidii causas reiicit omnes C. A. Boettiger de origin. tirocinii p. 10, qui his Liberalibus censet adolescentes olim Bacchi sacris mysteriis initiatos novaque veste sive toga ornatos fuisse. 772. Ex quat. opt. et sex aliis nostr. lect. Hs rec., alii aliter, *Luciferis pueris — tuis,* aut *Luce geri pueris — tua,* aut *Luce feris p. — tua.*

Ecce novae coëunt volucres tinnitibus actae,
Quaque movent sonitus aera, sequuntur apes.
Colligit errantes, et in arbore claudit inani
Liber: et inventi praemia mellis habet.
Ut Satyri levisque senex tetigere saporem,
Quaerebant flavos per nemus omne favos,
Audit in exesa stridorem examinis ulmo,
Adspicit et ceras dissimulatque senex;
Utque piger pandi tergo residebat aselli,
Applicat hunc ulmo corticibusque cavis.
Constitit ipse super ramoso stipite nixus,
Atque avide trunco condita mella petit.
Millia crabronum coëunt, et vertice nudo
Spicula defigunt, oraque summâ notant.
Ille cadit praeceps, et calce feritur aselli,
Inclamatque suos, auxiliumque rogat.
Concurrunt Satyri, turgentiaque ora parentis
Rident. Percusso claudicat ille genu.

---

741. Burm. mav. *ictae.* De apum examinibus Virg. praecipit G. IV, 64. *Tinnitusque cie et Matris quate cymbala circum: Ipsae consident — ipsae Intima more suo sese in cunabula condent.* Arist. H. An. IX, 40. Δοκοῦσι χαίρειν αἱ μέλιτται καὶ τῷ κρότῳ· διὸ καὶ κροτοῦντες φασιν ἀθροίζειν αὐτὰς εἰς τὸ σμῆνος, ὀσπράκοις τε καὶ ψόφοις. 742. Un. ex opt. *Quaque,* quod Hs rec., sex *Quoque,* ceteri *quosque.* 745. Multi *lenisque,* tres *laetusque,* duo *graviorque,* un. *dulcemque.* Cf. I, 399. et infra 753. 746. Un. *dulces,* quod Hs plac., ut κακοφωνία vitetur; idem tamen mav. *niveos.* 747. Viginti fere *excelsa,* duo *extrema.* 748. Nonn. *Adiicit.* — Meliores *et ceras,* quod c. Neap. Hs rec., ceteri *et celat.* 749. Un. *resedit,* alius *consedit.* 751. Tres melior. *nexus.* Hs mav. *nexum.* 753. Un. *in vertice.* 754. Ex quinq. opt. et sex al. Hs rec. *summa;* ceteri *prima;* ille tamen mav. *sima.* 756. Tres opt. et alii *rogat,* quod Hs rec., ceteri *vocat.* 757. Quat. *Occurrunt,* quod Burm. plac. Hs mav. *Accurrunt.* 758. Nonn. *ille pede.* Similem iocum narrat Noster A. A. I, 543. *Ebrius, ecce! senex pando Silenus asello Vix sedet, et pressas continet ante iubas. Dum sequitur Bacchas, Bacchae fugiuntque petuntque. Quadrupedem ferula dum malus urget eques, In caput aurito cecidit delapsus asello. Clamarunt Satyri, Surge age, surge, pater!*

Ridet et ipse deus, limumque inducere monstrat.
Hic paret monitis et linit ora luto.
Melle pater fruitur, liboque infusa calenti
Iure repertori candida mella damus.
Femina cur praestet, non est rationis opertae.
Femineos thyrso concitat ille choros.
Cur anus hoc faciat, quaeris. Vinosior aetas
Haec est, et gravidae munera vitis amans.
Cur hedera cincta est; Hedera est gratissima Baccho.
Hoc quoque cur ita sit, dicere nulla mora est.
Nysiades Nymphae, puerum quaerente noverca,
Hanc frondem cunis opposuere novis.
Restat, ut inveniam, quare toga libera detur
Lucifero pueris, candide Bacche, tuo;

---

759. Hs mav. *limoque.* 761. Un. *potitur.* — Duo melior. *recenti.* 762. Melior. omnes *candida,* quod Hs rec., ceteri *splendida,* duo *mella reperta d.* 763. Tres ex opt. *presset,* quod Hs rec., ceteri *pressit, praesit, praestat, praestet,* quod ex edd. vulg. servavi. Ap. Nostr. M. IV, 4. *Festum celebrare sacerdos Immunes operum dominas famulasque suorum Pectora pelle tegi, crinales solvere vittas, Serta comae, manibus frondentes sumere thyrsos Iusserat — parent matresque nurusque.* 765. Multi *haec.* De absoluto *quaeris* nulla addita coniunctione cf. ad I, 219. 766. Nonn. *est,* quod Hs rec., ceteri *erat.* — Sex opt. et alii *amans,* quod Hs rec., ceteri *amat.* 769. Codd. varie *Niliadas, Niseides, Nysiades, Nisiadas.* Sex opt. pro Accus. *Nysiadas Nymphas — opposuisse ferunt* leg. id, quod Hs rec., nisi quod Hs *apposuere* scr. pro *opposuere,* quod ego rec., septem leg. *apposuisse ferunt.* Noster M. III, 313. *Furtim illum primis Ino matertera cunis Educat; inde datum Nymphae Nyseides antris Occuluere suis, lactisque alimenta dedere.* Homer. Hymn. 25. Κισσοκόμην Διόνυσον — τρέφον ἠΰκομοι Νύμφαι παρὰ πατρὸς ἄνακτος Δεξάμεναι κόλποισι, καὶ ἐνδυκέως ἀτίταλλον, Νύσης ἐν γυάλοις. 771. Ovidii causas reiicit omnes C. A. Boettiger de origin. tirocinii p. 10, qui his Liberalibus censet adolescentes olim Bacchi sacris mysteriis initiatos novaque veste sive toga ornatos fuisse. 772. Ex quat. opt. et sex aliis nostr. lect. Hs rec., alii aliter, *Luciferis pueris — tuis,* aut *Luce geri pueris — tua,* aut *Luce feris p. — tua.*

Ecce novae coëunt volucres tinnitibus actae,
Quaque movent sonitus aera, sequuntur apes.
Colligit errantes, et in arbore claudit inani
Liber: et inventi praemia mellis habet.
Ut Satyri levisque senex tetigere saporem,
Quaerebant flavos per nemus omne favos,
Audit in exesa stridorem examinis ulmo,
Adspicit et ceras dissimulatque senex;
Utque piger pandi tergo residebat aselli,
Applicat hunc ulmo corticibusque cavis.
Constitit ipse super ramoso stipite nixus,
Atque avide trunco condita mella petit.
Millia crabronum coëunt, et vertice nudo
Spicula defigunt, oraque summâ notant.
Ille cadit praeceps, et calce feritur aselli,
Inclamatque suos, auxiliumque rogat.
Concurrunt Satyri, turgentiaque ora parentis
Rident. Percusso claudicat ille genu.

---

741. Burm. mav. *ictae.* De apum examinibus Virg. praecipit G. IV, 64. *Tinnitusque cie et Matris quate cymbala circum: Ipsae consident — ipsae Intima more suo sese in cunabula condent.* Arist. H. An. IX, 40. Δοκοῦσι χαίρειν αἱ μέλιτται καὶ τῷ κρότῳ· διὸ καὶ κροτοῦντές φασιν ἀθροίζειν αὐτὰς εἰς τὸ σμῆνος, ὀσφράκοις τε καὶ ψόφοις. 742. Un. ex opt. *Quaque,* quod Hs rec., sex *Quoque,* ceteri *quosque.* 745. Multi *lenisque,* tres *laetusque,* duo *graviorque,* un. *dulcemque.* Cf. I, 399. et infra 753. 746. Un. *dulces,* quod Hs plac., ut κακοφωνία vitetur; idem tamen mav. *niveos.* 747. Viginti fere *excelsa,* duo *extrema.* 748. Nonn. *Adiicit.* — Meliores *et ceras,* quod c. Neap. Hs rec., ceteri *et celat.* 749. Un. *resedit,* alius *consedit.* 751. Tres melior. *nexus.* Hs mav. *nexum.* 753. Un. *in vertice.* 754. Ex quinq. opt. et sex al. Hs rec. *summa,* ceteri *prima;* ille tamen mav. *sima.* 756. Tres opt. et alii *rogat,* quod Hs rec., ceteri *vocat.* 757. Quat. *Occurrunt,* quod Burm. plac. Hs mav. *Accurrunt.* 758. Nonn. *ille pede.* Similem iocum narrat Noster A. A. I, 543. *Ebrius, ecce! senex pando Silenus asello Vix sedet, et pressas continet ante iubas. Dum sequitur Bacchas, Bacchae fugiuntque petuntque. Quadrupedem ferula dum malus urget eques, In caput aurito cecidit delapsus asello. Clamarunt Satyri, Surge age, surge, pater!*

Ridet et ipse deus, limumque inducere monstrat.
Hic paret monitis et linit ora luto.
Melle pater fruitur, liboque infusa calenti
Iure repertori candida mella damus.
Femina cur praestet, non est rationis opertae.
Femineos thyrso concitat ille choros.
Cur anus hoc faciat, quaeris. Vinosior aetas
Haec est, et gravidae munera vitis amans.
Cur hedera cincta est; Hedera est gratissima Baccho.
Hoc, quoque cur ita sit, dicere nulla mora est.
Nysiades Nymphae, puerum quaerente noverca,
Hanc frondem cunis opposuere novis.
Restat, ut inveniam, quare toga libera detur
Lucifero pueris, candide Bacche, tuo;

---

759. Hs mav. *limoque*. 761. Un. *potitur*. — Duo melior. *recenti*. 762. Melior. omnes *candida*, quod Hs rec., ceteri *splendida*, duo *mella reperta d*. 763. Tres ex opt. *presset*, quod Hs rec., ceteri *pressit, praesit, praestat, praestet*, quod ex edd. vulg. servavi. Ap. Nostr. M. IV, 4. *Festum celebrare sacerdos Immunes operum dominas famulasque suorum Pectora pelle tegi, crinales solvere vittas, Serta comae, manibus frondentes sumere thyrsos Iusserat — parent matresque nurusque*. 765. Multi *haec*. De absoluto *quaeris* nulla addita coniunctione cf. ad I, 219. 766. Nonn. *est*, quod Hs rec., ceteri *erat*. — Sex opt. et alii *amans*, quod Hs rec., ceteri *amat*. 769. Codd. varie *Niliadas, Niseides, Nysiades, Nisiadas*. Sex opt. pro Accus. *Nysiadas Nymphas — opposuisse ferunt* leg. id, quod Hs rec., nisi quod Hs *apposuere* scr. pro *opposuere*, quod ego rec., septem leg. *apposuisse ferunt*. Noster M. III, 313. *Furtim illum primis Ino matertera cunis Educat; inde datum Nymphae Nyseides antris Occuluere suis, lactisque alimenta dedere*. Homer. Hymn. 25. Κισσοκόμην Διόνυσον — τρέφον ἠΰκομοι Νύμφαι παρὰ πατρὸς ἄνακτος Δεξάμεναι κόλποισι, καὶ ἐνδυκέως ἀτίταλλον, Νύσης ἐν γυάλοις. 771. Ovidii causas reiicit omnes C. A. Boettiger de origin. tirocinii p. 10, qui his Liberalibus censet adolescentes olim Bacchi sacris mysteriis initiatos novaque veste sive toga ornatos fuisse. 772. Ex quat. opt. et sex aliis nostr. lect. Hs rec., alii aliter, *Luciferis pueris — tuis*, aut *Luce geri pueris — tua*, aut *Luce feris p. — tua*.

Sive, quod ipse puer semper iuvenisque videris,
Et media est aetas inter utrumque tibi:
Seu, quia tu pater es, patres sua pignora natos
Commendant curae numinibusque tuis;
Sive, quod es Liber, vestis quoque libera per te
Sumitur, et vitae liberioris iter;
An quia, quum prisci colerent studiosius agros,
Et patrio faceret rure senator opus,
Et caperet fasces a curvo consul aratro,
Nec crimen duras esset habere manus,
Rusticus ad ludos populus veniebat in urbem:
Sed dis, non studiis ille dabatur honos.
Luce sua ludos uvae commentor habebat:
Quos cum taedifera nunc habet ipse dea.
Ergo, ut tironem celebrare frequentia posset,
Visa dies dandae non aliena togae.

---

773. Noster M. IV, 17. de Baccho: *Tibi inconsumpta iuventas, Tu puer aeternus, tu formosissimus alto Conspiceris coelo; tibi, quum sine cornibus adstas, Virgineum caput est.* 774. Un. ex melior. *utramque.* 775. Patris nomen honorificum. Lactant. Inst. IV, 3, 11. *Omnem deum necesse est inter sollemnes ritus et precationes patrem nuncupari. Itaque et Iuppiter a precantibus pater vocatur et Saturnus et Ianus et Liber et ceteri deinceps.* Serv. Virg. G. II, 4. *Pater licet generale sit omnium deorum, tamen proprium Libero semper cohaeret.* 776. Unus melior *nominibusque*, quod Neap. placet. 778. Plutarch. de audiendo I. Τῶν προστατ]όντων ἀπήλλαξαι, ὦ Νίκανδρε, τὸ ἀνδρεῖον ἀπειληφὼς ἱμάτιον· ἔνιοι δὲ τῶν νέων ἅμα τῷ τὸ παιδικὸν ἱμάτιον ἀποθέσθαι συναπέθεντο τὸ αἰδεῖσθαι καὶ φοβεῖσθαι καὶ εὐθὺς ἐμπίπλανται τῆς ἀναγωγίας. 780. Cf. I, 204 sq. 781. Colum. R. R. I, Praef. 13. *Apud antiquos nostros fuit gloriae cura rusticationis; ex qua Quintius Cincinnatus ab aratro vocatus ad dictaturam venit, ac rursus fascibus depositis ad eosdem iuvencos et avitum herediolum rediit. Proceres civitatis in agris morabantur, et quum consilium publicum desiderabatur, e villis arcessebantur in senatum.* Cf. I, 204. 786. Cf. IV, 417. 787. Quat. opt. *tironem*, quod c. Gronov. Obs. II, 21. p. 305. Hs. rec., ceteri *tironum*. — Edd. quaed. *posset*, quod recepi, cet. *possit*, un. cod. *pos-*

Mite, Pater, caput huc placataque cornua vertas,
Et des ingenio vela secunda meo!
Itur ad Argeos — qui sint, sua pagina dicet —
Hac, si commemini, praeteritaque die.
Stella Lycaoniam vergit proclinis ad Arcton
Miluus. Haec illa nocte videnda venit.
Quid dederit volucri, si vis cognoscere, coelum:
Saturnus regnis ab Iove pulsus erat.
Concitat iratus validos Titanas in arma,
Quaeque fuit fatis debita, poscit opem.

---

sint. — Cic. Att. IV, 1. *Frequentia me usque ad Capitolium celebravit.* Hinc *celebritas* magnus comitatus. Id. Att. VI, 1. *Quinto* (fratris filio) *togam puram Liberalibus cogitabam dare; mandavit enim pater.* Id. Att. IX, 19. *Ego meo Ciceroni, quoniam Roma caremus, Arpini togam puram dedi, idque municipibus nostris fuit gratum.* Suet. Claud. 2. *Togae virilis die circa mediam noctem sine sollemni officio lectica in Capitolium latus est.* Id. Aug. 26. *Consulatum tertium decimum petiit, ut Caium et Lucium filios amplissimo praeditus magistratu, suo quemque tirocinio deduceret in forum.* Valer. Max. V, 4, 4. *Cotta eo ipso die, quo togam sumpsit virilem, protinus ut e Capitolio descendit, Cn. Carbonem, a quo pater damnatus fuerat, postulavit.*

789. Hs mav. *pacataque.* Cf. 500. 790. Propert. III, 15, (IV, 16), 2. *Da mihi bacchato vela secunda, Pater!* 791. Decem *mea.* Liv. I, 22. *Numa multa alia sacrificia locaque sacris faciundis, quae Argeos pontifices vocant, dedicavit.* Varro L. L. IV, p. 14. *Reliqua urbis loca olim discreta, ut Argeorum sacraria in septem et viginti partes urbis sunt disposita. Argeos dictos putant a principibus, qui cum Hercule Argivo venerunt Romam et in Saturnia subsederunt.* Cf. ad V, 621. 792. Pleriq. melior. ita, ut Hs rec., alii *Hac, sicut memini,* alii *si quid memini.* 793. Multi *declinis,* alii *declivis,* quinq. opt. *proclivis,* duo ex opt. *proclinis,* quod Hs rec. 794. Libri melior. *Miluus,* quod c. Ciof. et Neap. rec. Hs, ceteri *Milvius.* Τριορλλαβῶς *miluus* (milvus), ut *Iambus, Iason, silva, Suevos,* alia. Ceterum Milvi stella a Graecis astronomis ante Ovidium nondum memoratur. Unde suam fabulam habeat Ovidius, nescimus. — Scaliger coni. *ima nocte.* 795. Tres *agnoscere.* 796. Meliores *ab,* quod Hs rec., ceteri *a.* 797. Quat. melior. et alii quat. *ad arma.* 798. Duo *sit in f.* Quat. *dedita.* Hinc Hs mav. *sibi f. debita* aut *f. edita.* — Quinq. melior. *poscit,* quod Hs rec., ceteri *tentat.*

Matre satus Terra, monstrum mirabile, taurus
Parte sui serpens posteriore fuit.
Hunc triplici muro lucis incluserat atris
Parcarum monitu Styx violenta trium.
Viscera qui tauri flammis adolenda dedisset,
Sors erat, aeternos vincere posse deos.
Immolat hunc Briareus facta ex adamante securi:
Et iam iam flammis exta daturus erat.
Iuppiter alitibus rapere imperat. Attulit illi
Miluus, et meritis venit in astra suis.

Una dies media est, et fiunt sacra Minervae,
Nomina quae a iunctis quinque diebus habent.
Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro.
Causa, quod est illa nata Minerva die.
Altera tresque super strata celebrantur arena.
Ensibus exsertis bellica laeta dea est.

---

801. Un. *induxerat*. Ap. Virg. A. VI, 549. Aeneas *sub rupe sinistra Moenia lata videt, triplici circumdata muro, Quae rapidus flammis ambit torrentibus amnis Tartareus Phlegethon.* De monstro illo nihil ap. alios. 802. Duo *monitis*. 805. Homer. Il. I, 402. ὃν ἑκατόγχειρον — ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοί, ἄνδρες δέ τε πάντες Αἰγαίωνα. — Plin. H. N. XXVII. 4. *Adamas lapis durissimus, qui nec ferro cedere dicitur.* Ap. Horat. Od. I, 6, 13. *Martem tunica tectum adamantina.* 809. Un. *post fiunt*, non male, addit Hs; idem tamen mav. *ut fiant*. 810. Reduxi plurimor. lect.; multi *Numinaque adiunctis — habet* vel *habes*, un. *Muneraque adiunctis — habet*, alius *Nominaque admotis*. Hs nullo cod. scr. *Nomina quae iunctis — habent* aut *Munera quae iunctis — habet;* edidit autem *Nominaque a iunctis — habent*. Varro L. L. V. p. 55. *Quinquatrus: hic dies unus a nominis errore observatur, proinde ut sint quinque dies, dictus ab Tusculanis; post diem sextum Idus similiter vocatus Sexatrus, et post diem septimum Septimatrus; sic hic, quod erat post diem quintum Idus Quinquatrus.* 812. Duo *illo*. 813. Pro *strata* septem melior. *rasa*, quod Neap. et Cioť. placet. Hs e sex opt. et quindec. aliis rec. *strata*, tres *fusa*, quat. *sparsa*, duo *plana*. 814. Plurimi *expertis*. Noster Trist. IV, 10, 13. de natali suo: *Haec est armiferae festis de quinque Minervae, quae fieri pugna prima cruenta solet.*

Pallada nunc pueri teneraeque ornate puellae.
Qui bene placarit Pallada, doctus erit.
Pallade placata, lanam mollite, puellae:
Discite iam plenas exonerare colos.
Illa etiam stantes radio percurrere telas
Erudit, et rarum pectine denset opus.
Hanc cole, qui maculas laesis de vestibus aufers:
Hanc cole, velleribus quisquis ahena paras.
Nec quisquam invita faciet bene vincula plantae
Pallade, sit Tychio doctior ille licet;
Et licet antiquo manibus collatus Epeo
Sit prior, irata Pallade mancus erit.

---

815. Edd. mult. *orate.* 816. Iuvenal. X, 14. *Eloquium ac famam Demosthenis aut Ciceronis Incipit optare, et totis Quinquatribus optat, Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam.* Diod. Sic. III, 70. Μυθολογοῦσι δὲ τὴν Θεὸν ταύτην σωφροσύνῃ διενεγκεῖν καὶ τὰς πλείστας τῶν τεχνῶν ἐξευρεῖν. Arnob. adv. gent. III. p. 137. *mentis filia, magisteriis artium et disciplinarum varietatibus erudita.* Hinc proverbium, *Invita Minerva,* quo Cic. Fam. XII, 25. ipsis Quinquatribus scribens utitur: *Quinquatribus frequenti senatu causam tuam egi non invita Minerva.* Ead. ap. Graecos Ἐργάνη. Isidor. Origg. 20. *Hanc primam praedicant lanificii usum monstrasse, hanc etiam telam ordisse et colorasse lanas perhibent. Multarum quoque artium hanc dicunt repertricem, ideoque illi vulgo opifices supplicant.* 817. Ante Hs *mollire puellae Discant et pl.;* ille e codd. sex melior. nostr. rec. 818. Un. *Discite et plen.* Hs mav. *et enetas,* aut *et impletas.* 820. Vetustior. magno numero *denset,* quod Hs rec., ceteri *densat.* Noster M. VI, 1 sqq. describit Palladis certamen cum Arachne, *Quam sibi lanificae non cedere laudibus artis Audierat.* 823. Quat. *faciat,* quod Hs rec., ceteri *faciet,* quod servavi. Ita postea *erit.* 824. Nomen varie scribitur, *Titio, Pitio, Pithio, Phitio, Phytio,* un. *Tychio,* quod e. Neap. Hs rec. Cf. Homer. Il. VII, 221. Τυχίος — σκυτοτόμων ὄχ' ἄριστος. 825. Homer. Od. VIII, 492. ἵππου κόσμον ἄεισον Δουρατέου, τὸν Ἐπειὸς ἐποίησεν σὺν Ἀθήνῃ. 826. Quinq. opt. et decem alii *invita,* quod nisi iam praecessisset, Hs placeret. Marmor antiquum ap. Gruter. Inscr. p. 1067. dedicatum est: *Minervae Medicae. Phoebus* ap. Graecos ἰατρὸς, ἰήϊος, παίων, οὔλιος, ἤπιος, σωτήρ, ἀκέσιωρ.

Hoc opus, haec pietas, haec prima elementa fuerunt
Caesaris, ulcisci iusta per arma patrem.

Postera quum teneras Aurora refecerit herbas,
Scorpios a prima parte videndus erit.

Tertia post Idus lux est celeberrima Baccho.
Bacche, fave vati, dum tua festa cano.
Nec referam Semelen; ad quam nisi fulmina secum
Iuppiter afferret, parvus inermis erat:
Nec, puer ut posses maturo tempore nasci,
Expletum patrio corpore matris onus.
Sithonas et Scythicos longum est narrare triumphos,
Et domitas gentes, turifer Inde, tuas.
Tu quoque Thebanae mala praeda tacebere matris,
Inque tuum furiis acte, Lycurge, genu.
Ecce libet subitos pisces Tyrrhenaque monstra
Dicere; sed non est carminis huius opus.

---

709 Tres *alimenta*, unus *haec praemia grata f.* — Tres *fuere*, un. *feruntur*. Suet. Aug. 10. *Nihil convenientius duxit, quam necem avunculi vindicare.* 710. Un. *maesta*, quat. *rata*. 712. Ex uno meliore Hs rec. *Scorpios*, ceteri *Scorpius*. — Un. *a media*. — Un. *erat*, alius *eat*. 715. Un. melior *refero*. 716. Quidam ex melior. *erat*, quod recepi, ceteri *eras*. Hs mav. *partus inermis eras*. Sententia verbor. esse videtur: *Iuppiter, nisi in summa maiestate sua cum fulminibus apparuisset, qualem eum videre Semele optabat, deus parvus inermis fuisset*. Cf. 440. 717. Quinq. *Nam puer*. 718. Duo *femore*. Hs mav. *femine*. — Quat. *onus*, quod Hs rec., ceteri *opus*. Ovid. M. III, 310. de Baccho: *Imperfectus adhuc infans genitricis ab alvo Eripitur, patrioque tener — Insuitur femori, maternaque tempora complet*. — De Bacchi *triumphis* agunt Nonni Dionysiaca; de *Pentheo* Thebarum rege, cf. Ovid. M. III, 514; de *Lycurgo*, ibid. IV, 22. et de *Tyrrhenis monstris* ibid. III, 597. 719. Multi *Bistonas*. — Plurimi *longum est narrare*, quod servavi, duo *long. enumerare*, quod Hs rec. 721. Tres melior. *male praeda*, quod Hs rec., Burm. nostr. vulg. lect. restituit. 723. Un. ex opt. *Tyrrhenia*.

Carminis huius opus, causas expromere, quare
  Vilis anus populos ad sua liba vocet.
Ante tuos ortus arae sine honore fuerunt,
  Liber, et in gelidis herba reperta focis.
Te memorant, Gange totoque Oriente subacto,
  Primitias magno seposuisse Iovi.
Cinnama tu primus captivaque tura dedisti,
  Deque triumphato viscera tosta bove.
Nomine ab auctoris ducunt Libamina nomen,
  Libaque, quod sacris pars datur inde focis.
Liba deo fiunt, succis quia dulcibus ille
  Gaudet, et a Baccho mella reperta ferunt.
Ibat arenoso Satyris comitatus ab Hebro:
  — Non habet ingratos fabula nostra iocos —
Iamque erat ad Rhodopen Pangaeaque florida ventum:
  Aeriferae comitum concrepuere manus.

---

725. Tres ex opt. et septem alii *expromere*, quod Hs rec., ceteri *exponere*. 726. Quat. optimi et tres alii *Vitisator*. — Varro L. L. V. p. 55. ed. Bip. *Liberalia dicta, quod per totum oppidum eo die sedent sacerdotes Liberi, hedera coronatae anus cum libis et foculo pro emptore sacrificantes.* 728. Un. *calidis*. — Un. *recepta*, alius *herbaque rapta*. Propert. II, 5, 28. *Et mala desertos occupat herba deos*. Cf. I, 337. 730. Pleriq. *supposuisse*. 733. Plutarch. Quaest. Rom. 104. Διὰ τί τὸν Διόννσον Λίβερονμ πάτρεμ καλοῦσι; πότερον ὅτι τὴν λοιβὴν παρέσχεν; 734. Multi *sacris*, quod Hs rec., cet. *sanctis*. 735. Pro *ille* scripti et editi plurimi *idem*, un. *Idus*. Athen. III, p. 125. Ἐξῆς ἐπειςενέχθη πλακοῦς ἐκ γάλακτος, ἰτρίων τε καὶ μέλιτος, ὃν Ῥωμαῖοι λίβον καλοῦσι 738. Un. *ignaros* — Un. *grata ioc.*, duo *sera*. 739. Duo opti. et tres alii *florida*, quod Hs rec., alius *flamina*, plurimi *flumina*, quat. *Gangeaque flumina*. *Pangaea* plurali numero, ut *Maenala, Taygeta, Gargara, Dindyma, Ismara*, alia multa, etiam ap. Graecos. 740. Duo opt. et alii *cum crepuere*. Copiosius Noster M. IV, 28. *Quacumque ingrederis, clamor iuvenilis et una Femineae voces, impulsaque tympana palmis, Concavaque aera sonant, longoque foramine buxus.*

Hic quoque corruptus cum semine nuntiat Helles
Et iuvenis Phrixi funera sorte peti.
Usque recusantem cives, et tempus, et Ino
Compulerant regem iussa nefanda pati;
Et soror, et Phrixus velati tempora vittis
Stant simul ante aras iunctaque fata gemunt.
Adspicit hos, ut forte pependerat aethere, mater,
Et ferit attonita pectora nuda manu:
Inque draconigenam nimbis comitantibus urbem
Desilit, et natos eripit inde suos;
Utque fugam capiant, aries nitidissimus auro
Traditur. Ille vehit per freta longa duos.

---

857. Un. *corrupto*, alius *corruptos*. — Un. *cum sanguine nuntia bella*, septem *cum sanguine*, quat. *cum munere*, unus *pro semine*, quod Burm. rec. Equidem veter. ceteror. lect. *cum semine* servavi, h. e. *ut semen corruptum erat*. Schol. Apollon. in praef. Argon. ἡ Ἰνὼ πέμπει πρὸς αὐτοὺς (τοὺς μάντεις) δῶρα. 858. Edd. quaed. *forte*. 859. Duo *Utque*, quod Hs rec., ego reduxi ceter. lect. *Usque*. 860. Un. *compulerint*, alius *Compulerunt*, quod Hs rec., ego secutus sum ceter. omn. lect. 861. Septem opt. *ramis*, quod Hs rec., ceteri nostr., quod reduxi. Ita semper mactandi. Noster M. VII, 429. (boves) *vincti cornua vittis*. Ib. XV, 131. *vittis praesignis et auro Sistitur* (iuvencus) *ante aras*. Apollod. I, 9, 4. simpliciter haec: τοῦτο ἀκούσας Ἀθάμας συναναγκαζόμενος ὑπὸ τῶν τὴν γῆν κατοικούντων τῷ βωμῷ παρέστησε Φρίξον· Νεφέλη δὲ μετὰ τῆς θυγατρὸς αὐτὸν ἁνήρπασε. 863. Duo *pependit in aethere*. Pro *forte* Mitsch. *Sorte*. 864. Cf. IV, 454. 865. Quid. *draconigeram* Scaliger. leg. *Draconigenûm*. Apollod. I, 9, 1. Ἀθάμας ἐθυνάσθενσε Βοιωτίας. Thebani ap. Nostr. M. III, 531. vocantur *anguigenae, proles Mavortia*; ap. Graecos Σπαρτοί. Eurip. Herc. fur. 4. Θῆβαι, ἔνθ' ὁ γηγενὴς σπαρτῶν στάχυς γ' ἔβλαστεν, οἳ Κάδμον πόλιν πυργοῦσι παίδων παισίν. 867. E tribus Burm. rec. *rapiant*, ut huic loco convenientius; ego retinui ceter. *capiant*. Hic aries ap. Graecos κριὸς χρυσόμαλλος.

Dicitur infirma cornu tenuisse sinistra
  Femina, quum de se nomina fecit aquae.
Paene simul periit, dum vult succurrere lapsae,
  Frater, et extentas porrigit usque manus.
Flebat, ut amissa gemini consorte pericli,
  Caeruleo iunctam nescius esse deo.
Litoribus tactis aries fit sidus: at huius
  Pervenit in Colchas aurea lana domos.

Tres ubi Luciferos veniens praemiserit Eos,
  Tempora nocturnis aequa diurna feres.

Inde quater pastor saturos ubi clauserit hoedos,
  Canuerint herbae rore recente quater;
Ianus adorandus, cumque hoc Concordia mitis,
  Et Romana Salus, araque Pacis erit.

---

869. Schol. Apoll. l. c. Ὁ κριὸς ἐλθὼν εἰς τὸ Τρωϊκὸν πέλαγος ἀποβάλλει τὴν Ἕλλην· ὅθεν καὶ ἀπ' αὐτῆς Ἑλλήςποντος ὠνομάσθη. 870. Un. *densae*. Hs corr. *saevae* vel *caecae*. 872. Multi *extensas*, un. *exactas*, alius *externas*. — Duo *illa m.*, totidem *ille m.*, un. *ipse m.* Eratosth. Catast. 19. Ποσειδῶν σώσας τὴν Ἕλλην καὶ μιχθεὶς ἐγέννησεν ἐξ αὐτῆς παῖδα ὀνόματι Παίωνα. 875. Sex opt. et quat. alii *captis*. 876. Plures opt. *ad C.* 877. Duo *oriens*, totidem *aries emisit Eoos*, quat. *dimisit Eous*, un. *praemisit Eoo*. 878. Quat. opt. et octo alii *feres*, quod Hs rec., tres opt. *ferens*, quinq. *ferunt*, ceteri omnes *feret*. 879. Un. *pastor pastos ubi*. Virg. E. X, 77. *Ite domum saturae, venit Hesperus, ite, capellae*. 881. Plurimi *cum quo*, sex *quocum*. — Anno urbis 743 Dione auctore LIV, 35. Αὔγουστος εἰκόνας Ὑγιείας δημοσίας καὶ προσέτι καὶ Ὁμονοίας, Εἰρήνης τε ἔστησεν. Quibus templis haec signa conservaverit, non additur. Certe Iunius Bubulcus dedicavit Saluti aedem in colle Quirinali Nonis Sextilibus a. U. 452. a. C. 302. Cf. Liv. X, 1. Aedes Lunae, eiusdem deae ac Dianae, a Servio Tullio communiter cum populo Latino in Aventino exstructa est. Liv. I, 45. Tacit. A. XV, 41. de urbe a Nerone incensa: *Domuum et insularum et templorum, quae amissa sunt, numerum inire haud promptum fue-*

Luna regit menses. Huius quoque tempora mensis
Finit Aventino Luna colenda iugo.

---

rit: sed vetustissima religione, quod Servius Tullius Lunae, et magna ara fanumque, quae praesenti Herculi Arcas Euander sacraverat, aedesque Statoris Iovis vota Romulo, Numaeque regia et delubrum Vestae cum Penatibus pop. Romani exusta. Lunam et Dianam eandem esse deam testatur Horat. Carm. Saec. 1. *Phoebe silvarumque potens Diana, Lucidum coeli decus.* Ib. 34. *Supplices audi pueros, Apollo, Siderum regina bicornis audi, Luna puellas.* Ib. 69. *Quaeque Aventinum tenet Algidumque Quindecim Diana preces virorum Curat.*

LIBER QUARTUS.

Alma, fave, dixi, geminorum mater Amorum.
Ad vatem vultus rettulit illa suos.
Quid tibi, ait, mecum? certe maiora canebas.
Num vetus in molli pectore vulnus habes?
Scis dea, respondi, de vulnere. — Risit, et aether
Protinus ex illa parte serenus erat. —
Saucius, an sanus, numquid tua signa reliqui?
Tu mihi propositum, tu mihi semper opus.

---

1. Quat. *vati*, quod Hs rec., ceteri omnes *dixi*, quod restitui. Senec. Oedip. 500. *Concutit taedas geminus Cupido.* Quis intelligatur, dissentiunt. *Duos* ex Venere natos *Cupidines* memorat Cic. N. D. III, 23. quorum alterum *Anterota* appellat. Horat. Od I, 2, 33. *Quam* (Venerem) *Iocus circumvolat et Cupido.* 2. Duo *sustulit.* Cf. III, 608. — Unus *vultum — suum.* 3. Plurimi *certe modo festa*, nostr. meliores. Cf. ad III, 633. 5. Duo *Sic dea.* Hs mav. *Scin'dea.* In edd. vett. interpungitur: *respondi; de vulnere risit;* Hs e melior. *aether*, ceteri *aër.* — Qualis vultus ille Iovis ap. Virg. A. I, 225. *quo coelum tempestatesque serenat.* Cf. ad 15. 7. Hs e melior. rec. *an sanus, numquid*, ceteri *aut s., numquam.* Noster Her. 19, 157. *In tua castra redi, socii desertor Amoris!* Id. Amor. I, 2, 32. *castris quidquid Amoris obest.* Ib. I, 9, 1. *Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido.* Id. Amor. III, 15, 16. *Aurea de campo vellite* (Amor et Venus) *signa meo.* 8. Plurimi *onus*, un. *honus*, alius ex opt. *honos*, quod Hs mav., idem tamen ex melior. rec. *opus.* Virg. E. VIII, 11. *A te principium* (carminis), *tibi desinet.* Homer. Il. IX, 97. ἐν σοὶ μὲν λήξω, σέο δ' ἄρξομαι. Theocr. Id. XVII, 3. Ἀνδρῶν δ' αὖ Πτολεμαῖος ἐνὶ πρώτοισι λεγέσθω, καὶ πνύματος, καὶ μέσσος.

Quae decuit, primis sine crimine lusimus annis:
Nunc teritur nostris arca maior equis.
Tempora cum causis annalibus eruta priscis,
Lapsaque sub terras ortaque signa cano.
Venimus ad quartum, quo tu celeberrima, mensem;
Et vatem, et mensem scis, Venus esse tuos.
Mota Cytheriaca leviter mea tempora myrto
Contigit, et, Coeptum perfice, dixit, opus.
Sensimus, et subito causae patuere dierum.
Dum licet, et spirant flamina, navis eat.
Si qua tamen pars te de fastis tangere debet,
Caesar, in Aprili, quo tenearis, habes.
Hic ad te magna descendit imagine mensis,
Et fit adoptiva nobilitate tuus.

---

9. Duo opt. *Qua,* un. *Quam,* alius *Ut,* novem *Quod,* ceteri etiam melior. *Quae,* quod Hs rec. 10. Cf. II, 360. Amor. III, 15, 18. *Pulsanda est magnis arca maior equis.* 11. Un. *eruta veris.* Cf. I, 1. 12. Plurimi *canam.* 13. Un. *mense.* 14. Sex *tuum.* 15. E quinq. melior. Hs *Cytheriaca* scr., alii *Cytherea* aut *Cytheraea.* Edd. vett. ante *leviter* inserunt *est.* — Libri opt. *timpora.* Virg. E. VII, 61. *Populus Alcidae gratissima, vitis Iaccho, Formosae myrtus Veneri, sua laurea Phoebo.* — Noster A. A. III, 53. (Venus ipsa poetae) *Dixit, et e myrto* (*myrto nam vincta capillos constiterat*) *folium granaque pauca dedit. Sensimus acceptis numen quoque; purior aether fulsit, et e toto pectore cessit onus.* 20. Tres opt. et sex alii nostr. habent, quod Hs rec., un. *quo ten. habe,* duo *quo tuearis,* ceteri *quod tucaris.* Cf. I, 10. — Noster Trist. IV, 10, 49. *Et tenuit nostras numerosus Horatius aures.* Horat. Epist. I, 1, 81. *Esto aliis alios rebus studiisque teneri. Iidem eadem possunt horam durare probantes?* 21. Plurimi ex melior. *imagine,* quod Hs rec., ceteri *origine.* Horat. Sat. I, 6, 17. Populus *stupet in titulis et imaginibus.* Plin. H. N. XXXV, 2. *Apud maiores in atriis imagines erant, quae spectarentur; expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quae comitarentur gentilitia funera, semperque defuncto aliquo, totus aderat familiae eius, qui unquam fucrat, populus.* Cf. I, 591.

Hoc pater Iliades, quum longum scriberet annum,
Vidit, et auctores rettulit ipse suos.
Utque fero Marti primam dedit ordine sortem,
Quod sibi nascenti proxima causa fuit;
Sic Venerem gradibus multis in gente repertam
Alterius voluit mensis habere locum;
Principiumque sui generis revolutaque quaerens
Saecula, cognatos venit ad usque deos.
Dardanon Electra nesciret Atlantide cretum?
Scilicet Electran concubuisse Iovi?
Huius Erichthonius: Tros est generatus ab illo:
Assaracon creat hic, Assaracusque Capyn.
Proximus Anchisen, cum quo commune parentis
Non dedignata est nomen habere Venus.
Hinc satus Aeneas, pietas spectata per ignes,
Sacra, patremque humeris altera sacra, tulit.

---

23. Duo *duceret*. 24. Duo melior. *Sensit*. — Un. pro var. lect. *praetulit*, quod Burm. elegantius videtur. — Multi etiam opt. *ille*. — Septem etiam melior. *tuos*. Cf. 57. 26. Plerique vet. *nascenti*, quod Hs rec., alii *nascendi*. 27. E melior. Hs rec. *repertam*, ceteri *receptam*. 29. Un. *revoluta requirens*. Virg. A. II, 101. *Sed quid ego haec autem nequidquam ingrata revolvo*. 31. Plurimi *quis nescit*, optim. quisque *nesciret*, quod Hs rec. — Quat. *cretum*, quod Hs rec. cet. *natum*. Post *cretum* interrogationis signum posui, et *scilicet* c. seqq. iunxi, quum antea c. prioribus coniunctum esset. Illa partic. illis praeponitur, ad quae attentos faciat lectores Cf. I, 29. II, 241. IV, 626 — Virg. G. III, 35. *Assaraci proles, demissaeque ab Iove gentis Nomina, Trosque parens*. 32. Un. *Electran*, quod Hs rec., ceteri *Electram*. 34. Duo melior. *Assaracon*, quod Hs rec., ceteri *Assaracum*. Hs item mav. *Assaracosque*. 35. Un. *Protinus*. — Duo melior. *Anchisen*, quod pro *Anchises* Hs. rec. — Un. *quocum*. Ap. Homer. Il. XX, 208. ipse Aeneas: Αὐτὰρ ἐγὼν υἱὸς μεγαλήτορος Ἀγχίσαο Εὔχομαι ἐκγεγάμεν, μήτηρ δέ μοί ἐστ' Ἀφροδίτη. 37. Un. mel. *Hoc*, quod sive *Huic* Hs mav. Cf. I, 527. Virg. A. III, 148. *Phrygii Penates, quos mecum a Troia mediisque ex ignibus urbis Extuleram*.

Et iam Telegoni, iam moenia Tiburis udi
Stabant, Argolicae quod posuere manus.
Venerat Atridae fatis agitatus Halesus,
A quo se dictam terra Falisca putat.
Adiice Troianae suasorem Antenora pacis,
Et generum Oeniden, Appule Daune, tuum.
Serus ab Iliacis, et post Antenora, flammis
Attulit Aeneas in loca nostra deos.
Huius erat Solymus Phrygia comes unus ab Ida:
A quo Sulmonis moenia nomen habent,
Sulmonis gelidi, patriae, Germanice, nostrae.
Me miserum! Scythico quam procul illa solo est!

---

bent. Homer. Od X, 135. Αἰαίην δ'ἐς νῆσον ἀφίκομεθ' · ἔνθα ἔναιε Κίρκη. Cf. Met. XIV, 244. Plin. H. N. III, 5, 9. *Circeii, insula quondam immenso mari circumdata, at nunc planitie.*

71. Cf. III, 92. — Horat. Od. II, 6, 5. *Tibur Argeo positum colono.* Id. I, 7, 13. *uda mobilibus pomaria rivis.* Virg. A. VII, 670. *Tum gemini fratres Tiburtia moenia linquunt, Fratris Tiburti dictam cognomine gentem, Catillusque acerque Coras, Argiva iuventus.* 72. E quat. melior. et decem al. Hs rec. *quod,* cet. *quae.* 73. Un. opt. et alii multi *Atrides,* quod Hs rec., ego ceter. melior. lect. recepi. Ap. Virg. A. VII, 723. *Agamemnonius, Troiani nominis hostis — Halesus.* 75. Liv. I, 1. *Aeneas et Antenor pacis reddendaeque Helenae semper auctores fuerant.* Virg. A. I, 247. (Antenor) *urbem Patavi sedesque locavit Teucrorum.* 76. Plurimi *genus.* Virg. A. XI, 246. *Ille* (Diomedes) *Argyripam patriae cognomine gentis Victor Gargani condebat Iapygis arvis.* Festus: *Diomedis campi in Apulia appellantur, qui ei in divisione regni, quam cum Dauno fecit, cesserunt.* 78. Un. *loca tuta,* venuste, ait Burm. 79. Duo *Cuius* — Alii *Solemus,* alii *Solymus,* quod recepi; Hs *Solimus.* — Omnes fere *unus,* quod servavi; unus tantum ex vulg. *exul,* quod Hs rec. Hunc Virgilius nusquam memorat. Glossae vero in duob. codd. haec: *Aeneas quatuor ex Creusa filias susceperat: quartam Solymo uxorem dedit. Quum autem victor esset in Latio, Solymum cum parte copiarum ad Marsos misit, qui urbem fundavit.* 80. Un. *Ex quo,* alius *E quo.* 81. Quinque *Moenia Sulm., patriae.* — Tredecim *gelidae.* Noster Trist. IV, 10, 3. *Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis.*

Ergo ego tam longe? — sed supprime, Musa, querelas;
Non tibi sunt maesta sacra canenda lyra.
Quo non livor abit? Sunt qui tibi mensis honorem
Eripuisse velint, invideantque, Venus.
Nam, quia ver aperit tunc omnia, densaque cedit
Frigoris asperitas, fetaque terra patet;
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum,
Quem Venus iniecta vindicat alma manu.
Illa quidem totum dignissima temperat orbem:
Illa tenet nullo regna minora deo:
Iuraque dat coelo, terrae, natalibus undis,
Perque suos initus continet omne genus.
Illa deos omnes — longum est narrare — creavit:
Illa satis causas arboribusque dedit:

---

83. Hanc lect. ex duob. mel. recepi; plurimi *Ergo age tam longas*, alii *Euge age t. longas*, quinq. *longas et supprime*, un. *iam supprime*, Hs ex plurib. rec. *Ergo ego? tam longas sed* — 85. Tres opt. et quinq. alii *abit*, quod Hs rec., cet. *adit*. Ita Varro L. L. V. p. 60. *Huius mensis nomen ego magis puto dictum, quod ver omnia aperit.* 88. Hs ex trib. vett. rec. *parit*, Burm. ceter. lect. *patet* retinuit. 90. Serv. Virg. A. X, 419. *Manus iniectio, quoties, nulla iudicis auctoritate exspectata, rem nobis debitam vindicamus.* 91. Optimus quisq. et alii plurimi *orbem*, quod Hs rec., cet. *annum*. 92. Un. *nulla — dea* — Duo *membra min.*, un. *templa m.* 93. Duo et edd. qnaed. *et natal.* De magno Veneris regno ac potestate canit Lucret. I, 1. sq. *Alma Venus, coeli subter labentia signa Quae mare navigerum, quae terras frugiferentes Concelebras; per te quoniam genus omne animantum Concipitur, visitque exortum lumina solis: Te, dea, te fugiunt venti, te nubila coeli, Adventumque tuum; tibi suaves daedala tellus Summittit flores; tibi rident aequora ponti, Placatumque nitet diffuso lumine coelum. Aëriae primum volucres te, diva, tuumque Significant initum, perculsae corda tua vi. Inde ferae, pecudes persultant pabula laeta, Et rapidos tranant amnes* —. 94. Opt. codd. *initus*, quod c. Ciof. et Neap. rec. Hs, duo *motus*, tredec. *nutus*, un. *numerus*, alius *arcus*, ceteri *coitus*. 95. Duo *numerare*, quat. *memorare*, unus melior *longum enumerare*, quod Hs rec., ceteri nostr., quod servavi.

Et iam Telegoni, iam moenia Tiburis udi
Stabant, Argolicae quod posuere manus.
Venerat Atridae fatis agitatus Halesus,
A quo se dictam terra Falisca putat.
Adiice Troianae suasorem Antenora pacis,
Et generum Oeniden, Appule Daune, tuum.
Serus ab Iliacis, et post Antenora, flammis
Attulit Aeneas in loca nostra deos.
Huius erat Solymus Phrygia comes unus ab Ida:
A quo Sulmonis moenia nomen habent,
Sulmonis gelidi, patriae, Germanice, nostrae.
Me miserum! Scythico quam procul illa solo est!

---

bent. Homer. Od X, 135. Αἰαίην δ'ἐς νῆσον ἀφίκομεθ' · ἔνθα ἔναιε Κίρκη. Cf. Met. XIV, 244. Plin. H. N. III, 5, 9. *Circeii, insula quondam immenso mari circumdata, at nunc planitie.*

71. Cf. III, 92. — Horat. Od. II, 6, 5. *Tibur Argeo positum colono.* Id. I, 7, 13. *uda mobilibus pomaria rivis.* Virg. A. VII, 670. *Tum gemini fratres Tiburtia moenia linquunt, Fratris Tiburti dictam cognomine gentem, Catillusque acerque Coras, Argiva iuventus.* 72. E quat. melior. et decem al. Hs rec. *quod,* cet. *quae.* 73. Un. opt. et alii multi *Atrides,* quod Hs rec., ego ceter. melior. lect. recepi. Ap. Virg. A. VII, 723. *Agamemnonius, Troiani nominis hostis — Halesus.* 75. Liv. I, 1. *Aeneas et Antenor pacis reddendaeque Helenae semper auctores fuerant.* Virg. A. I, 247. (Antenor) *urbem Patavi sedesque locavit Teucrorum.* 76. Plurimi *genus.* Virg. A. XI, 246. *Ille* (Diomedes) *Argyripam patriae cognomine gentis Victor Gargani condebat Iapygis arvis.* Festus: *Diomedis campi in Apulia appellantur, qui ei in divisione regni, quam cum Dauno fecit, cesserunt.* 78. Un. *loca tuta,* venuste, ait Burm. 79. Duo *Cuius* — Alii *Solemus,* alii *Solymus,* quod recepi; Hs *Solimus.* — Omnes fere *unus,* quod servavi; unus tantum ex vulg. *exul,* quod Hs rec. Hunc Virgilius nusquam memorat. Glossae vero in duob. codd. haec: *Aeneas quatuor ex Creusa filias susceperat: quartam Solymo uxorem dedit. Quum autem victor esset in Latio, Solymum cum parte copiarum ad Marsos misit, qui urbem fundavit.* 80. Un. *Ex quo,* alius *E quo.* 81. Quinque *Moenia Sulm., patriae.* — Tredecim *gelidae.* Noster Trist. IV, 10, 3. *Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis.*

Ergo ego tam longe? — sed supprime, Musa, querelas;
Non tibi sunt maesta sacra canenda lyra.
Quo non livor abit? Sunt qui tibi mensis honorem
Eripuisse velint, invideantque, Venus.
Nam, quia ver aperit tunc omnia, densaque cedit
Frigoris asperitas, fetaque terra patet;
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum,
Quem Venus iniecta vindicat alma manu.
Illa quidem totum dignissima temperat orbem:
Illa tenet nullo regna minora deo:
Iuraque dat coelo, terrae, natalibus undis,
Perque suos initus continet omne genus.
Illa deos omnes — longum est narrare — creavit:
Illa satis causas arboribusque dedit:

---

83. Hanc lect. ex duob. mel. recepi; plurimi *Ergo age tam longas*, alii *Euge age t. longas*, quinq. *longas et supprime*, un. *iam supprime*, Hs ex plurib. rec. *Ergo ego? tam longas sed* — 85. Tres opt. et quinq. alii *abit*, quod Hs rec., cet. *adit*. Ita Varro L. L. V. p. 60. *Huius mensis nomen ego magis puto dictum, quod ver omnia aperit.* 88. Hs ex trib. vett. rec. *parit*, Burm. ceter. lect. *patet* retinuit. 90. Serv. Virg. A. X, 419. *Manus iniectio, quoties, nulla iudicis auctoritate exspectata, rem nobis debitam vindicamus.* 91. Optimus quisq. et alii plurimi *orbem*, quod Hs rec., cet. *annum*. 92. Un. *nulla — dea* — Duo *membra min.*, un. *templa m.* 93. Duo et edd. qnaed. *et natal.* De magno Veneris regno ac potestate canit Lucret. I, 1. sq. *Alma Venus, coeli subter labentia signa Quae mare navigerum, quae terras frugiferentes Concelebras; per te quoniam genus omne animantum Concipitur, visitque exortum lumina solis: Te, dea, te fugiunt venti, te nubila coeli, Adventumque tuum; tibi suaves daedala tellus Summittit flores; tibi rident aequora ponti, Placatumque nitet diffuso lumine coelum. Aëriae primum volucres te, diva, tuumque Significant initum, perculsae corda tua vi. Inde ferae, pecudes persultant pabula laeta, Et rapidos tranant amnes* —. 94. Opt. codd. *initus*, quod c. Ciof. et Ncap. rec. Hs, duo *motus*, tredec. *nutus*, un. *numerus*, alius *arcus*, ceteri *coitus*. 95. Duo *numerare*, quat. *memorare*, unus melior *longum enumerare*, quod Hs rec., ceteri nostr., quod servavi.

Illa rudes animos hominum contraxit in unum,
Et docuit iungi cum pare quemque sua.
Quid genus omne creat volucrum, nisi blanda voluptas?
Nec coëant pecudes, si levis absit amor.
Cum mare trux aries cornu decertat: at idem
Frontem dilectae laedere parcit ovis.
Deposita taurus sequitur feritate iuvencam,
Quem toti saltus, quem nemus omne tremit.
Vis eadem, lato quodcumque sub aequore vivit,
Servat, et innumeris piscibus implet aquas.
Prima feros habitus homini detraxit: ab illa
Venerunt cultus mundaque cura sui.
Primus amans carmen vigilatum nocte negata
Dicitur ad clausas concinuisse fores;
Eloquiumque fuit duram exorare puellam:
Proque sua causa quisque disertus erat.

---

97. Un. *animas*. — Duo *convertit*, un. *construxit*. 98. Un. *Edocuit*. — Un. *quaeque suo*. 100. Pleriq. *coëunt*. 101. Un. *mas aries*. — C. melior. Hs leg *at*, ceteri *et*. 104. Codd. fere omnes *tremit*, quod reduxi, quat. *timet*, unus mel. *tremunt*, quod Hs rec. Cf. Bentlei. Horat. Od. IV, 11, 9. et Sat. II, 5, 106. Taurorum in tauros pugnam describit Virg. G. III, 209. ubi 220. *Illi alternantes multa vi proelia miscent Vulneribus crebris; lavit ater corpora sanguis, Versaque in obnixos urgentur cornua vasto Cum gemitu; reboant silvaeque et longus Olympus.* 108. Quat. opt. et octo alii ita, ut Hs rec., alii quat. opt. et plurimi alii *mundaque cura solo*, ceteri *multaque cura solo*. Hoc de Mercurio Horat. Od. I, 10, 2. *Qui feros cultus hominum recentum Voce formasti.* 109. Duo melior. et decem al. *modulatum*, un; *iugulatum*. Auct. Ciris 46. *Accipe dona meo multum vigilata labore.* — Κλαυσίθυρον. Propert. I, 17 (16), 17. *Ianua, vel domina penitus crudelior ipsa, Quid mihi tam duris clausa taces foribus?* Tibull. I, 1, 55. *Me retinent vinctum formosae vincla puellae, Et sedeo duras ianitor ante fores.* Ib. I, 2, 6. *Clauditur et dura ianua fulta sera.* Ib. I, 5, 67. *Heu canimus frustra, nec verbis victa fatiscit Ianua, sed plena est percutienda manu.* 111. Un. *fuit dulce*, alius *duras orare puellas*.

Mille per hanc artes motae, studioque placendi,
Quae latuere prius, multa reperta ferunt.
Hanc quisquam titulo mensis spoliare secundi
Audeat? a nobis sit procul iste furor.
Quid? quod ubique potens, templisque frequentibus aucta,
Urbe tamen nostra ius dea maius habet?
Pro Troia, Romane, tua Venus arma ferebat;
Quum gemuit teneram cuspide laesa manum,
Coelestesque duas Troiano iudice vicit;
— Ah! nolim victas hoc meminisse deas! —
Assaracique nurus dicta est, ut scilicet olim
Magnus Iuleos Caesar haberet avos.
Nec Veneri tempus, quam ver, erat aptius ullum.
Vere nitent terrae: vere remissus ager.
Nunc herbae rupta tellure cacumina tollunt;
Nunc tumido gemmas cortice palmes agit.
Et formosa Venus formoso tempore digna est,
Utque solet, Marti continuata suo.

---

113. Tres opt. et duo alii *motae*, quod Hs rec., un. *initae*, cet. *notae*. Hs coni. *natae*. 115. Duo melior. et quinq. alii *secundo*. Hs versum esse corruptum suspicatur. 117. Un. *recentibus*. 120. Historiam v. in Homeri Il. V, 335 sq. μεγαθύμου Τυδέος υἱὸς Ἄρηνα οὔτασε χεῖρα μετάλμενος ὀξέϊ δουρὶ Ἀβληχρήν· — Ἡ δὲ μέγα ἰάχουσα —. 122. Tres *Has nol.*, un. *Hanc n.*, alius *At n.* Hs mav. *Quam n.* — Tres opt. *dictas hoc meruisse*. 125. Duo *erit*, unus mel. *eat*. 126. Alii *virent* — Un. *remittit*. Cf. III, 235 sqq. Virg. G. II, 324. *Vere tument terrae et genitalia semina poscunt, Avia tum resonant avibus virgulta canoris, Et Venerem certis repetunt armenta diebus. Parturit almus ager, Zephyrique tepentibus auris Laxant arva sinus: superat tener omnibus humor, Inque novos soles audent se germina tuto Credere, nec metuit surgentes pampinus Austros, Sed trudit gemmas, et frondes explicat omnes.* 127. Multi hic et vers. sq. *Tunc*, ut Douza volebat. — Duo *herbae veteres tell.* 129. Un. *tempore gaudet*. 130. Edd. *suo est*, Hs *suo*, quibus codd. auctoribus, nescio; un. *viro est*.

Vere monet curvas materna per aequora puppes
Ire, nec hibernas iam timuisse minas.
Rite deam Latiae colitis matresque nurusque;
Et vos, quis vittae longaque vestis abest.
Aurea marmoreo redimicula solvite collo,
Demite divitias: tota lavanda dea est.
Aurea siccato redimicula reddite collo:
Nunc alii flores, nunc nova danda rosa est.
Vos quoque sub viridi myrto iubet illa lavari;
Causaque, cur iubeat, — discite — certa subest.

---

131. Plurimi *movet*, un. *movent*, alius *iubet*. Hinc Horat. Od. I, 4, 1. *Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni, Trahuntque siccas machinae carinas. Materna* cf. 62, 93. 132. Quat. opt. *meminisse*. Lucret. V, 745. *Tandem bruma nives affert, pigrumque rigorem Reddit; hiems sequitur, crepitans ac dentibus algu.* 134. Alii *adest*. Ceterum *quis* in edd. nonn. scribitur *quis*, quasi sit contracta forma. Quid? quod tum etiam scribendum erit, *tauris, templis, nobis*. — Noster Ep. ex Pont. III, 3, 54. *Scripsimus haec illis, quarum nec vitta pudicos Attingit crines, nec stola longa pedes.* Contra A. A. I, 31. *Este procul vittae tenues, insigne pudoris, Quaeque tegis medios, instita longa, pedes.* Tibull. I, 6 (7), 67. *Sit modo casta, doce, quamvis non vitta ligatos Impediat crines, nec stola longa pedes.* Cic. Phil. II, 18. de Antonio, *Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem reddidisti* — ad quem loc. multa interpretes. 135. Meliores *solvite*, quod Hs rec., alii *demite*, un. *tollite*. 136. Hunc et seq. vers. omittunt multi; meliores et multi alii eos legunt, ex quibus Hs rec. — Multi *iuvanda* vel *videnda*. 139. Quid. *usque lavari*, alii *ipsa lavari*, quod Ciof. placet, duo *latere*. Plutarch. Num. 19. δεύτερον (μῆνα) τὸν Ἀπρίλιον, ἐπώνυμον ὄντα τῆς Ἀφροδίτης, ἐν ᾧ θύουσί τε τῇ θεῷ, καὶ ταῖς καλάνδαις ἐστεφανωμέναι αἱ γυναῖκες μυρσίνῃ λούονται. Io. Laurent. Lyd. de mens. p. 91. Ταῖς καλάνδαις ἀπριλλίαις αἱ σεμναὶ γυναικῶν ἐτίμων τὴν Ἀφροδίτην, αἱ δὲ τοῦ πλήθους γυναῖκες ἐν τοῖς τῶν ἀνδρῶν βαλανείοις ἐλούοντο πρὸς θεραπείαν αὐτῆς μυρσίνῃ ἐστεμμέναι.

Litore siccabat rorantes nuda capillos:
Viderunt Satyri, turba proterva, deam.
Sensit, et opposita texit sua corpora myrto.
Tuta fuit facto: vosque referre iubet.
Discite nunc, quare Fortunae tura Virili
Detis eo, calida qui locus humet aqua.
Aspicit ille locus posito velamine cunctas,
Et vitium nudi corporis omne patet.
Ut tegat hoc, celetque viros, Fortuna Virilis
Praestat, et hoc parvo ture rogata facit.
Nec pigeat niveo tritum cum lacte papaver
Sumere, et expressis mella liquata favis.
Quum primum cupido Venus est deducta marito,
Hoc bibit; ex illo tempore nupta fuit.
Supplicibus verbis illam placate: sub illa
Et forma, et mores, et bona fama manet.

---

141. Melior. omnes *rorantes nuda*, quod Hs rec., alii *rorantes rore*, alii *sudantes rore*, quod Ciof. placet. — Noster M. V, 489. *Rorantesque comas a fronte removit ad aures.* 143. Ex duob. melior. et novem aliis Hs rec., *apposita*, cet. *oppos.*, quod servavi, ut III, 770. — Melior. omn. *corpora*, quod Hs rec., cet. *tempora*. 144. Duo *ref. pudet*, un. *iuvat*. 145. Dion. Hal. Antiq. IV. p. 232. Τύλλιος ναοὺς δύο κατεσκευάσατο Τύχης, τὸν μὲν ἐν ἀγορᾷ τῇ καλουμένῃ Βοαρίᾳ, τὸν δὲ ἕτερον ἐπὶ τοῖς ἠϊόσι τοῦ Τιβέριος, ἣν Ἀνδρείαν προσηγόρευσεν, ὡς καὶ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίων καλεῖται. Varro L. L. V. p. 56. *Dies Fortis Fortunae appellatus ab Servio Tullio rege, quod is fanum Fortis Fortunae secundum Tiberim extra urbem Romam dedicavit Iunio mense.* 146. Tres opt. et duodec. alii *calida*, quod Hs rec., cet. *gelida*. 147. Tredec. vulgar. *Accipit*, quod Hs rec., ceteri omnes *Aspicit*, quod servavi. 148. Libri melior. plurimique alii *patet*, quod recepi, cet. *videt*. 149. Quinq. melior. *viris*. 150. Hs mav. *parco*. 153. Un. *adducta*, alius *conducta*. 155. Ita meliores et plurimi, quod c. Ciof. et Neap. rec. Hs, ceteri *Illam suppl. verbis*. 156. Ex uno meliore Hs rec. *manent*, ego ceter. lect. recepi. Cf. 104.

Quaque metu rapitur tunica velata recincta,
Currit, ut auditis territa dama lupis.
Corniger hanc cupidis rapuisse Numicius undis
Creditur, et stagnis occuluisse suis.
Sidonis interea magno clamore per agros
Quaeritur. Apparent signa notaeque pedum.
Ventum erat ad ripas: inerant vestigia ripis.
Sustinuit tacitas conscius amnis aquas.
Ipsa loqui visa est, *Placidi sum Nympha Numici:*
Amne perenne latens Anna Perenna vocor.
Protinus erratis laeti vescuntur in agris,
Et celebrant largo seque diemque mero.
Sunt, quibus haec Luna est, quia mensibus impleat annum:
Pars Themin, Inachiam pars putat esse bovem.
Invenies, qui te Nymphen Atlantida dicant,
Teque Iovi primos, Anna, dedisse cibos.
Haec quoque, quam referam, nostras pervenit ad aures
Fama, nec a vera dissidet illa fide.

---

645. Plures optimi *Quaque*, quod rec. Hs, ceteri *Cumque metu*. Hs mav. *Quoque metus rapuit*. 647. Octo melior. *cupidis*, quod Hs rec., duo *rapidis*, ceteri *tumidis*, duo *timidis*. — Hs et Brouckh. coniecer. *ulnis* pro *undis*. 650. Duo optimi notata. 651. Duo *instant*. — Un. *ripae*. Silius VIII, 195. (Tres Annam quaerentes) *Vicini ad rivas fluvii manifesta sequuntur Signa pedum, dumque inter se mirantur, ab alto Amnis aquas cursumque rapit. Tum sedibus imis Inter caeruleas visa est residere sorores Sidonis, et placido Teucros affarier ore. Ex illo primis anni celebrata diebus Per totam Ausoniam venerando numine culta est.* 652. Quinq. melior. *tenues*, alii quinq. *rapidas*. 653. Novem ex optim. *Rapidi*, ceteri *Placidi*. Hs coni. *Placiti*. 654. Un. *loquor*. 655. Un. *errantes*. — Un. *pascuntur*. — Sex *arvis*. *Errati agri*, ut ap. alios *erratus orbis*, *errata litora*. Cf. IV, 573. 657. Un. *quae mens*. — Duo *orbem*. 658. *Inachia b*. Cf. I, 453. 659. Hs mav. *Invenias*. — Quid. *Athalantida*, un. *Nilanida*. — Un. *dicat*. 660. Hoc Amaltheam ope caprae fecisse dicunt mythologi. Cf. ad V, 113. Nec tamen usquam haec Atlantis fuisse fertur. 662. Hs rec. *vera* e sex opt. et septem aliis, ceteri *veri*.

...onis alumnae,
... sono.
Cythereïus illi
...oris habet. —
Optime regum,

erat edita, prolem
...que tenet.
...nda, nec umquam
...
teste vetustas
...ere fidem.
...ure sedit.
erat.
...ibus Ide,
...nor.

Graecos Ἔρως, ἐράω, ἐρατός.
...πρωτο ἐῷ ὑπὸ παιδὶ δαμῆναι
Ῥέην δ' ἔχε πένθος ἄλαστον.
...ῇ ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν Τέξεσθαι,
... Μῆτιν συμφράσσασθαι —
...πιονα δῆμον — κρύψεν δὲ ἑ
... — Τῷ δὲ σπαργανίσασα μέ-
...λῶν χείρεσσιν ἑὴν ἐγκάτθετο
... *edita.* — Tres *proles.* 203. Un.
...ri *magno*, quod restituere non
...*tis est vetustas*, aliud nostrum.
...ravi, unus tantum ex opt. *viscere*,
...*ture* est i. q. devorare, deglutire,
Saturnus eum malis mandaret adeptus.
...*dudum*, ut in illo Virg. A. II, 103.
... XVII. *Sapiens iamdudum exibit e vita.*
...ρηνές σε περὶ πρύλιν ὠρχήσαντο
...ς οὔασιν ἠχὴν Ἀσπίδος εἰςαΐοι,
G. IV, 150. (Apes) *canoros Curetum*
Thetaeo coeli regem pavere sub antro.

Roma pudicitia proavorum tempore lapsa est:
Cumaeam, veteres, consuluistis anum.
Templa iubet Veneri fieri: quibus ordine factis,
Inde Venus verso nomina corde tenet.
Semper ad Aeneadas placido, pulcherrima, vultu
Respice, totque tuas, diva, tuere nurus.
Dum loquor, elatae metuendus acumine caudae
Scorpios in virides praecipitatur aquas.

Nox ubi transierit, coelumque rubescere primo
Coeperit, et tactae rore querentur aves,
Semustamque facem vigilata nocte viator
Ponet, et ad solitum rusticus ibit opus;

---

157. In codd. nonn. deest *est*, in aliis *pudicitia est pr.* Withof. Praemet. cruc. crit. p. 132. leg. *Namque pud. — lapsa Cumaeam.* Burm. leg. aut: *Roma, pud. — lapsa, Cum. haud temere consul. —* aut *Cum., ut fas est,* aut *C., ut res est, cons.* 158. Cumaeum carmen, libri Sibyllini, libri fatales in cura primum Duumvirum, deinde Decemvirum, tum Quindecimvirum sacris faciundis. Gell. N. A. I, 19. *Anus hospita atque incognita* (Cumaea) *ad Tarquinium Superbum* (Al. *Priscum*) *regem adiit, novem libros ferens, quos esse dicebat divina oracula. — + Libri tres* (quos mercatus est) *Sibyllini appellati. Ad eos quasi ad oraculum Quindecimviri adeunt, quum dii immortales publice consulendi sunt.* 160. Vett. pleriq. *numine corda* vel *nomine corda*, un. *numina corde patet*, alius *nomine templa tenet.* Templum *Veneris Verticordiae* dedicatum a U. 640. a. C. 114. Ap. Graecos Ἀφροδίτη Ἀποστροφία, ἵνα ἐπιθυμίας τε ἀνόμιον καὶ ἔργων ἀνοσίων ἀποστρέφῃ τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων, Pausan. Boeot. 16. Alia erat Ἐπιστροφία. Iul. Obs. 97. (35). *Tres uno tempore virgines Vestales nobilissimae cum aliquot equitibus Romanis incesti poenas subierunt. Aedes Veneri Verticordiae facta.* 161. Tres ex opt. *dignissima.* 162. Un. *t. manus.* 163. Ovid. M. II, 199. (idem) *vulnera curvata minitatur cuspide.* 164. Un. *Scorpio*, alius *Scorpios*, quod Hs rec., ut III, 712. — Duo ex opt. *liquidas* — Un. *praecipitatus.* 166. Un. *tutae*, quat. *tectae*, tres *tacitae* — Plurimi *queruntur.* Horat. Epod. 2, 20. *Queruntur in silvis aves.* 167. Ovid. M. I, 493. *Ut facibus saepes ardent, quas forte viator Vel nimis admovit, vel iam sub luce reliquit.*

Pliades incipiunt humeros relevare paternos,
  Quae septem dici, sex tamen esse solent;
Seu, quod in amplexum sex hinc venere deorum:
  Nam Steropen Marti concubuisse ferunt:
Neptuno Halcyonen, et te, formosa Celaeno:
  Maian, et Electran, Taygetenque Iovi:
Septima mortali Merope tibi, Sisyphe, nupsit:
  Poenitet, et facti sola pudore latet;
Sive, quod Electra Troiae spectare ruinas
  Non tulit, ante oculos opposuitque manum.

Ter sine perpetuo coelum versetur in axe;
  Ter iungat Titan, terque resolvat equos;
Protinus inflexo Berecyntia tibia cornu

---

169. Codd., ut videntur, omnes *Pliades*, ut etiam hic Hs recepit, alibi non item. Edd. quaed. *Pleiades*. Cf. III, 105. Editores in scriptura inconstantes sunt. — Eratosth. Catast. 23. Πλειάς, ἀστέρες ἑπτὰ, λέγουσιν εἶναι τῶν Ἀτλαντος θυγατέρων· οὐχ ὁρῶνται δὲ αἱ ἑπτὰ, ἀλλ' αἱ ἕξ. Meliores *incipiunt*, quod Hs rec., cet. *incipient*. — Un. *numeros*. 171. Meliores *amplexum*, quod Hs rec., duo *amplexu*, cet. *amplexus*. 174. Ex script. melior. graecam formam Hs rec. pro *Electram Taygetamque*. 175. Quat. *Tantale*. 176. Un. *laesa pudore*. 177. Cf. 31. Idem Schol. Arati Phaen. 259. Ἄρατος αὐτός φησι ἐν ἄλλῳ ποιήματι φεύγειν τὴν Ἠλέκτραν, καὶ μὴ ὑπομεῖναι τὴν Ἴλιον (Ita scribe pro τὸν ἥλιον) ἁλισκομένην, καὶ τοὺς ἐκγόνους δυσλυχοῦντας· τὸν γὰρ Δάρδανον παῖδα Διὸς καὶ Ἠλέκτρας εἶναι. 178. Tres *apposuitque* — Quat. *manus*. 179. Un. *vertatur* — Un. *in arce*. Ovid. M. II, 70. *Adde, quod assidua rapitur vertigine coelum*. — Id. II, 153. *Interea volucres Pyroeis, Eous et Aethon, Solis equi, quartusque Phlegon hinnitibus auras Flammiferis implent*. 180. *Titan* ut *Hyperion*. Un. *reiungat eq.* 181. Un. *tympana cornu*. Liv. XXIX, 14. *In aedem Victoriae, quae est in Palatio, pertulere deam pridie Idus* (Neap. aliiq. scribunt *Nonas*) *Aprilis; isque dies festus fuit. Populus frequens dona deae in Palatium tulit, lectisterniumque et ludi fuere, Megalesia appellata*. — *Tibia Ber., cornu Berecyntium*,

Flabit, et Idaeae festa Parentis erunt.
Ibunt semimares et inania tympana tundent,
Aeraque tinnitus aere repulsa dabunt.
Ipsa sedens molli comitum cervice feretur
Urbis per medias exululata vias.
Scena sonat, ludique vocant. Spectate, Quirites!
Et fora Marte suo litigiosa vacent.
Quaerere multa libet: sed me sonus aeris acuti
Terret, et horrendo lotos adunca sono.
Da, dea, quas sciter, doctas, Cybeleïa, neptes.
Audit, et has curae iussit adesse meae.

κέρας. Horat. Od. I, 18, 13. *saeva tene cum Berecyntio Cornu tympana.* Pollux IV, 10. Αὐλὸς ἔλυμος, τὴν μὲν ὕλην πύξινος (Alii addunt λώτινος), τὸ δ'εὕρημα Φρυγῶν· κέρας ἀνανεῦον πρόσεσθι αὐτῷ. — Virg. A. X, 252. *Alma parens Idaea deum, cui Dindyma cordi, Turrigeraeque urbes, biiugique ad frena leones.* — Deae nomina sunt: *Cybele* (Cybebe), *Rhea, Ops, Magna mater, Mater deum, Gaea, Vesta,* al.

182. Un. *Flevit,* duo *Flarit,* un. *Ibit.* — Lucret. II, 611. *Hanc variae gentes antiquo more sacrorum Idaeam vocitant matrem, Phrygiasque catervas dant comites — Tympana tenta tonant palmis et cymbala circum Concava, raucisonoque minantur cornua cantu, Et Phrygio stimulat numero cava tibia mentes. — Ululare, exululare,* ὀλύζειν, ὀλολύγη et similia quid significent, cf. Spanhem. Callim. in Del. 258. in Pallad. 139. Brunck Apoll. Rh. III, 1217. et Iacobs Anth. gr. T. I. P. I. p. 138. Catull. 63, 24. *Ubi sacra sancta acutis ululatibus agitant.* 187. Multi *vacant.* — Multi *Spectare.* Liv. XXXVI, 36. *Aedem dedicavit M. Iunius Brutus, ludique ob dedicationem eius facti, quos primos scenicos fuisse Antias Valerius est auctor, Megalesia appellatos.* 188. Cf. I, 73. 190. Plin. H. N. XIII, 17, 32. *Lotus ad tibiarum cantus expetitur.* Theophr. Hist. plant. IV, 3. ξύλῳ (τοῦ λωτοῦ) εἰς τοὺς αὐλοὺς χρῶνται. Virg. A. IX, 617. *ite per alta Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum. Tympana vos buxusque vocant Berecyntia matris Idaeae.* 191. Un. ex melior. *quas sciter,* quod Hs rec., plurimi *quam scite,* tres *quem sciter,* un. *quae scitor.* 192. Quat. melior. *Audit,* quod Hs rec., cet. *Vidit.*

Pandite mandati memores, Heliconis alumnae,
Gaudeat assiduo cur dea Magna sono.
Sic ego. Sic Erato: — mensis Cythereïus illi
Cessit, quod teneri nomen Amoris habet. —
Reddita Saturno sors haec erat: *Optime regum,*
A nato sceptris excutiere tuis.
Ille suam metuens, ut quaeque erat edita, prolem
Devorat, immersam visceribusque tenet.
Saepe Rhea questa est toties fecunda, nec umquam
Mater, et indoluit fertilitate sua.
Iuppiter ortus erat. Pro magno teste vetustas
Creditur; acceptam parce movere fidem.
Veste latens saxum coelesti gutture sedit.
Sic genitor fatis decipiendus erat.
Ardua iam dudum resonat tinnitibus Ide,
Tutus ut infanti vagiat ore puer.

---

196. Tres *quae,* quat. *nam.* Ap. Graecos Ἔρως, ἐράω, ἐρατός. 197. Hesiod. Th. 464. οὔνεκά οἱ πέπρωτο ἑῷ ὑπὸ παιδὶ δαμῆναι — δυκεέων Παῖδας ἑοὺς κατέπινε· Ῥείην δ' ἔχε πένθος ἄλαστον. Ἀλλ' ὅτε δὴ Δί' ἔμελλε θεῶν πατέρ' ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν Τέξεσθαι, τότ' ἔπειτα φίλους λιτάνευε τοκῆας Μῆτιν συμφράσσασθαι — Πέμψαν δ'ἐς Λύκτον, Κρήτης ἐς πίονα δῆμον — κρύψεν δέ ἑ χερσὶ λαβοῦσα Οὐρανῷ ἐν ἠλιβάτῳ — Τῷ δὲ σπαργανίσασα μέγαν λίθον ἐγγυάλιξεν· Τὸν τόθ' ἑλὼν χείρεσσιν ἓὴν ἐγκάτθετο νηδύν. *Sors* cf. ad 261. 199. Un. *est edita.* — Tres *proles.* 203. Un. ex opt. *magna,* quod Hs rec., ceteri *magno,* quod restituere non dubitavi; aliud est enim *magna testis est vetustas,* aliud nostrum. 205. Omnes fere *gutture,* quod servavi, unus tantum ex opt. *viscere,* quod Hs rec., tres *gurgite. Sedere gutture* est i. q. devorare, deglutire, ingurgitare. Lucret. II, 638. *Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus.* 207. Quat. *resonant — Idae. Iam dudum,* ut in illo Virg. A. II, 103. *iamdudum sumite poenas.* Senec. Ep. XVII. *Sapiens iamdudum exibit e vita.* Callim. Iov. 52. Οὖλα δὲ Κούρητές σε περὶ πρύλιν ὠρχήσαντο Τεύχεα πεπλήγοντες, ἵνα Κρόνος οὔασιν ἠχὴν Ἀσπίδος εἰςαίοι, καὶ μή σεο κουρίζοντος. Virg. G. IV, 150. (Apes) *canoros Curetum sonitus crepitantiaque aera secutae, Dictaeo coeli regem pavere sub antro.*

Pars clypeos rudibus, galeas pars tundit inanes:
Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.
Res latuit patrem: priscique imitamina facti
Aera deae comites raucaque terga movent.
Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant:
Tibia dat Phrygios, ut dedit ante, modos.
Desierat: coepi: Cur huic genus acre leonum
Praebeat insolitas ad iuga curva iubas?
Desieram: coepit: Feritas mollita per illam
Creditur. Id curru testificata suo est.

---

209. Plurimi *manibus*, quat. melior. *sudibus*, quod Hs rec., duo ex opt. *rudibus*, quod Burm. rec. Lobeck in Progr. de Idaeis Dactylis leg. *tudibus*. Graeci illos dicunt sonitum in clypeis excitasse ὑπὸ τῶν ἐγχειριδίων. — Tres optimi *pulsat*. — Un. *inermes*, alius *acutas*. Hygin. Fab. 139. *Ne pueri vagitus exaudiretur, impuberes convocavit, eisque clypeola aenea et hastas dedit, et iussit eos circum arborem* (Fbrt. *antrum*) *euntes crepare, qui gracce Curetes sunt appellati, aliis Corybantes dicuntur.* Diomedes de metris: *Idaei Dactyli, quos Curetas sive Corybantas poetae appellabant, in insula Creta Iovem custodiendo, ne vagitu se parvulus proderet, clypeolis aeneis inter se concurrentes tinnitu aeris celavere vocem infantis.* De iisdem Apoll. Arg. I, 1136. καὶ σάκεα ξιφέεσσιν ἐπέκλυπον — ἔνθεν ἐσαιεὶ Ῥόμβῳ (i. e. κυμβάλῳ) καὶ τυπάνῳ Ῥείην Φρύγες ἱλάσκονται. 210. Quinq. *agunt*. 211. Septem ex opt. et Lactantius *Res latuit, priscique manent im. f.* 212. Un. *raraque* — Un. *sonant*. De Atti Catull. 63, 10. *Quatiensque terga tauri teneris cava digitis*. Ib. 29. *Leve tympanum remugit, cava cymbala recrepunt.* 215. Tres opt. *leones*, quod cum aliis Hs rec., ego ceteror. lect. servavi. Lucret. II, 601. *Hanc veteres Graiûm docti cecinere poetae Sedibus in curru biiugos agitare leones. Adiunxere feras, quod quamvis effera proles Officiis debet molliri victa parentum.* Cf. ad 181. Ceterum etiam Lucret. V, 860. *genus acre leonum*. 216. Fere quadraginta *Praebeat*, quod Hs rec., cet. *Praebent*. — Multi *comas*. 218. Un. *testificante*. — Duo non leg. *est*.

At cur turrita caput est ornata corona?
An primis turres urbibus illa dedit?
Annuit. Unde venit, dixi, sua membra secandi
Impetus? Ut tacui, Pieris orsa loqui:
Phryx puer in silvis facie spectabilis Attis
Turrigeram casto vinxit amore deam.
Hunc sibi servari voluit, sua templa tueri:
Et dixit, *Semper fac puer esse velis.*
Ille fidem iussis dedit; et, *Si mentiar*, inquit,
Ultima, qua fallam, sit Venus illa mihi.
Fallit, et in Nympha Sagaritide desinit esse,
Quod fuit. Hinc poenas exigit ira deae.
Naïda vulneribus succidit in arbore factis.
Illa perit. Fatum Naïdos arbor erat.
Hic furit: et credens thalami procumbere tectum,
Effugit et cursu Dindyma summa petit.

---

219. Ex nonn. Hs rec. *turrita*, duo *turrifica*, cet. *turrifera*. — Un. ex opt. c. mult. al. *ornata*, quod Hs rec., cet. *onerata*. Virg. A. VI, 785. *Qualis Berecyntia mater Invehitur curru Phrygias turrita per urbes.* Lucret. II, 607. *Muralique caput summum cinxere corona, Eximiis munita locis quod sustinet urbes: Quo nunc insigni per magnas praedita terras Horrifice fertur divinae Matris imago.* 220. Duo opt. *Phrygiis*, quod Hs rec., cet. *primis*, quod retinui. 223. Plurimi *spect. altis*, quod Hs servavit, un. *atris*, alius ex melior. *Atis*, tres ex opt. et duodec. al. *Atthys*; hinc Burm. rec. *Attis*. Graece scribitur Ἄτλις sive Ἄτλης. De hoc Catulli carmen LXIII. *de Attine* (Al. *Aty*) inscriptum. Hesych. Ἄτλης, ὃν λέγουσιν Ἄτλιν οἱ Λάκωνες. 224. Tres opt. et quinq. alii *vinxit*, quod Hs rec., cet. *iunxit*. 225. Un. *teneri*, alii *tenere*. 226. Un. *fac meus esse*. 227. Un. *iussus*. 228. Un. ex opt. et octo al. *quam*, quod Hs rec., ego servavi *qua*. 229. Alii *Sangaride*. Solin. 43. *Sagaris fluvius Phrygiae, dictus a plerisque Sangarius*. 230 Tres opt. c. trib. al. *Huic*, quod Hs rec., cet. *Hinc*, quod reduxi. 233. Tres ex opt. et tres alii *tecta*, un. *tegnam*. Hs mav. *tigna*. Talis Dryas illa quoque quercus, quam Erisichthon ap. Ovid. M. VIII, 771. succidit, ac caesa clamavit: *Nympha sub hoc ego sum Cereri gratissima ligno*. 234. Quat. *Et fugit*.

Et modo, *Tolle faces! Remove*, modo, *verbera!* clamat.
Saepe Palaestinas iurat adesse deas.
Ille etiam saxo corpus laniavit acuto,
Longaque in immundo pulvere tracta coma est;
Voxque fuit, Merui: meritas do sanguine poenas:
Ah pereant partes, quae nocuere mihi!
Ah pereant! dicebat adhuc: onus inguinis aufert;
Nullaque sunt subito signa relicta viri.
Venit in exemplum furor hic, mollesque ministri
Caedunt iactatis vilia membra comis.
Talibus Aoniae facunda voce Camenae
Reddita quaesiti causa furoris erat.
Hoc quoque, dux operis, moneas, precor, unde petita
Venerit, an nostra semper in urbe fuit?
Dindymon, et Cybelen, et amoenam fontibus Iden
Semper, et Iliacas Mater amavit opes.

---

235. Tres *modo verbera summore, cl.* Hs hic nescio quid mendi latere censet. Virg. A. VI, 570 *Continuo sontes ultrix accincta flagello Tisiphone quatit insultans.* Vetus poeta ap. Cic. Acad. II, 28. de Furiis: *Caerulcae incinctae igni incedunt, Circumstant cum ardentibus taedis.* 236. Un *Palestrinas,* alius *Palatinas* — Un. *clamat.* 237. Burm. mav. *Inde etiam.* 239. Un. *fuit talis, nostro do* — Un. *meritam* — *poenam* — Novem *de,* nn. *dum,* hinc Hs scr. et rec. *dem,* ego vulg. ceter. lect. servavi. 241. Burm. mav. *dicebat: ad hoc* vel *ad haec onus* — 243. Hs mav. *Ieit.* — Un. *in assuetum.* — Unus opt. *hinc,* quod Hs rec., ceteri omnes *hic,* quod restitui. 244. Quat. *mollia.* Hinc inscriptio antiqua ap. Gruter. p. 308. n. 5. L. Vettio Syntropho religioso a Matre magna capillato. 245. Alii scribunt *Camonae.* Varro L. L. VI, p. 86. *Casmenarum priscum vocabulum.* — *Quare Casmena, Carmena: inde carmina; r postea extrito Camena factum.* 247. Historiam huius Romam deductionis a. U. 549. a. C. 205. simulacri Matris deum vide ap. Livium XXIX, 10. 11. 14. 249. Quat. *frondibus,* — Meliores *Iden,* alii *Idam.* Hic mons iam ap. Homer. Il. VIII, 47, πολυπίδαξ vocatur. Strabo XII, 8. Ὄρος Δίνδυμον μονοφυὲς, ἱερὸν ἔχον τῆς Δινδυμήνης μητρὸς θεῶν. *Idam* ne cogita, quam supra memoravit.

Quum Troiam Aeneas Italos portaret in agros,
  Est dea sacriferas paene secuta rates.
Sed nondum fatis Latio sua numina posci
  Senserat, assuetis substiteratque locis.
Post, ut Roma potens opibus iam saecula quinque
  Vidit, et edomito sustulit orbe caput;
Carminis Euboïci fatalia verba sacerdos
  Inspicit. Inspectum tale fuisse ferunt:
Mater abest; Matrem iubeo, Romane, requiras.
  Quum veniet, casta est accipienda manu.
Obscurae sortis Patres ambagibus errant,
  Quaeve parens absit, quove petenda loco.
Consulitur Paean, *Divûm* que *arcessite Matrem,*
  Inquit, *et Idaeo est invenienda iugo.*

---

251. Un. *Latios.* — Nonn. *portavit.* 252. Edit. Dan. Hs *pone,* quod, etsi mendum typogr. videtur, tamen Taubnero placet. 253. Quid. *nomina,* alii *munera.* 254. Multi *constiteratque.* 255. Quid. *Post ubi,* un. *Post quod.* — Un. *bis saec.* 256. Multi *e dom.* 257. Un. *signa.* Cf. 158. Strabo V, 4. Κύμη Χαλκιδέων καὶ Κυμαίων παλαιότατον κτίσμα. Hinc Virg. A. VI, 2. *Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.* Liv. VIII, 22. *Cumam ab Chalcide Euboica originem trahunt* — ubi iam Aeneas auctore Virgilio l. c. *horrendae secreta Sibyllae Antrum immane petit.* — De nostra re Livius XXIX, 10. *Inventum est carmen in libris Sibyllinis, propter crebrius eo anno de coelo lapidatum inspectis: Quandoque hostis alienigena terrae Italiae bellum intulisset, eum pelli Italia vincique posse, si mater Idaea a Pessinunte Romam advecta foret. Id carmen ab decemviris inventum est.* — 258. Un. *f. refert.* Mater κατ' ἐξόχην, ut in Fragm. Pindari p. 70. Σοὶ μὲν καταρχαὶ, Μᾶτερ, πάρα μεγάλοι ῥόμβοι κυμβάλων. — 261. Hs mav. *haerent. Errare* ut *error* ap. Liv. I, 24. *in re tam clara nominum error manet, utrius populi Horatii, utrius Curiatii fuerint.* Cf. I, 468. II, 47. III, 155. IV, 669. *Sors,* ut II, 713. III, 804. 855. IV, 197 263. Vetustiores *arcessite,* quod Hs rec., cet. *accersite.* Liv. l. c. 11. *Legati Delphis oraculum adieruut. — Responsum esse ferunt, Per Attalum regem compotes eius fore, quod peterent. Quum Romam deam devexissent, tum curarent, ut eam, qui vir optimus Romae esset, hospitio exciperet.*

Mittuntur proceres. Phrygiae tum sceptra tenebat
Attalus: Ausoniis rem negat ille viris.
Mira canam: longo tremuit cum murmure tellus,
Et sic est adytis diva locuta suis:
Ipsa peti volui. Ne sit mora: mittite volentem.
Dignus Roma locus, quo deus omnis eat.
Ille soni terrore pavens, Proficiscere, dixit;
Nostra eris: in Phrygios Roma refertur avos.
Protinus innumerae caedunt pineta secures
Illa, quibus fugiens Phryx pius usus erat.
Mille manus coëunt: et picta coloribus ustis
Coelestum Matrem concava puppis habet.
Illa sui per aquas fertur tutissima nati,
Longaque Phrixeae stagna sororis adit,
Rhoeteumque rapax, Sigeaque litora transit,
Et Tenedum, et veteres Eëtionis opes.

---

265. Tres *regna*. Aliter Liv. l. c. *Pergamum ad regem venerunt. Is legatos comiter acceptos Pessinuntem in Phrygiam deduxit, sacrumque iis lapidem, quem Matrem deum esse incolae dicebant, tradidit ac deportare Romam iussit.* — Qualis ille lapis, refert Arnob. adv. gent. VII. p. 285. *Allatum ex Phrygia nihil aliud scribitur missum ab rege Attalo, nisi lapis quidam non magnus, qui ferri manu hominis sine ulla impressione posset: coloris furvi atque atri, angulis prominentibus inaequalis.* 266. Hs nullo cod. edidit. *ex adytis*, Burm. alter. restituit. 270. Hs mav. *eant*. 273. Un. *scindunt*. 274. Quat. *puer usus*. Douza mav. *prius u*. Virg. A. III, 5. *classemque sub ipsa Antandro et Phrygiae molimur montibus Idae*. 275. Plin. H. N. XXXV, 11, 41. *Tertium genus accessit, resolutis igni ceris, penicillo utendi; quae pictura in navibus nec sole, nec sale, nec ventis corrumpitur*. 276. Alii *Coelestem*. 277. Quat. opt. et duo al. *iustissima*, totidem *cultissima*, quod Hs placet. Burm. mav. *laetissima*. Cf. III, 869. 279. Duo ex opt. et multi alii *rapax*, quod Hs rec., ceteri *capax*. 280. Nonn. codd. et edd. vett. *Tenedon veteres*, quod Hs retinuit, ipse tamen mav. *Et Theben, veter.* — Politian. leg. *Emathionis* aut *Oenopionis*. Burm. rec. *Tenedum, veteres* et intelligit: *transit Tenedum et Thebe*n. Ego ex edd. vett. recepi *et*. — Hom. Il. I, 366. ἐς Θήβην, ἱερὴν πόλιν Ἠετίωνος.

Cyclades excipiunt, Lesbo post terga relicta,
  Quaque Carysteis frangitur unda vadis.
Transit et Icarium, lapsas ubi perdidit alas
  Icarus, et vastae nomina fecit aquae.
Tum laeva Creten, dextra Pelopeïdas undas
  Deserit, et Veneri sacra Cythera petit.
Hinc mare Trinacrium, candens ubi tingere ferrum
  Brontes, et Steropes, Acmonidesque solent:
Aequoraque Afra legit, Sardoaque regna sinistris
  Prospicit a remis, Ausoniamque tenet.
Ostia contigerat, qua se Tiberinus in altum
  Dividit, et campo liberiore natat:
Omnis eques, mixtaque gravis cum plebe senatus
  Obvius ad Tusci fluminis ora venit;

---

282. Un. *Carystois.* Hs et Burm. *Caristeis,* ego ex edd. vett. nostr. restitui. 283. Plurimi *lassas,* quod Mitsch. rec., Bersm, *laxas.* 284. Icari fata v. ap. Ovid. M. VIII, 195, ubi 225. *Altius egit iter. Rapidi vicinia solis Mollit odoratas pennarum vincula ceras, Oraque caerulea patrium clamantia nomen Excipiuntur aqua, quae nomen traxit ab illo.* 287. Duo *fingere.* Virg. A. VIII, 449. *Alii* (Cyclopes) *ventosis follibus auras Accipiunt redduntque: alii stridentia tingunt Aera lacu.* 288. Ex duob. melior. Hs rec. *Brontesque et St.,* ego ceteror. lect. servavi. Malo, *Brontesque, Steropesque.* — Edd. quaed. mendose *Aemonides.* Virg. A. VIII, 425. *Brontesque, Steropesque, et nudus membra Pyracmon.* Hesiod. Th. 139. Γείνατο δ' αὖ Κύκλωπας ὑπέρβιον ἦτορ ἔχοντας Βρόντην τε, Στερόπην τε, καὶ Ἄργην ὀβριμόθυμον, Οἳ Ζηνὶ βροντήν τ' ἔδοσαν, τεῦξάν τε κεραυνόν. 289. Duo *Littora.* Liv. XXIX, 14. *P. Cornelius* (de quo ad 347) *cum omnibus matronis Ostiam ire iussus obviam deae, isque eam de nave accipere, et in terram elatam tradere ferendam matronis. Postquam navis ad ostium amnis Tiberini accessit, in salum nave evectus ab sacerdotibus deam accepit extulitque in terram.* 290. Alii *Respicit,* alii *Despicit,* un. opt. *Adspicit.* — Un. *tenent.* 291. Nonn. *Hostia.* 292. Un. *fluit.* Noster M. I. 41. (Flumina) *In mare perveniunt partim, campoque recepta Liberioris, aquae pro ripis litora pulsant.*

Procedunt pariter matres, nataeque, nurusque,
Quaeque colunt sanctos virginitate focos.
Sedula fune viri contento brachia lassant.
Vix subit adversas hospita navis aquas.
Sicca diu tellus fuerat: sitis usserat herbas:
Sedit limoso pressa carina vado.
Quisquis adest operi, plus quam pro parte laborat,
Adiuvat et fortes voce sonante manus.
Illa velut medio stabilis sedet insula ponto.
Attoniti monstro stantque paventque viri.
Claudia Quinta genus Clauso referebat ab alto:
Nec facies impar nobilitate fuit.

---

295. Quat. *nataeque*, duo opt. *natique nurusque*, hinc Hs rec. nostr., cet. *natique virique*. Eadem de re Ovid. M. XV, 729. *Huc omnis populus passim, matresque nurusque, Obvia turba ruit, quaeque ignes, Troïa, servant, Vesta, tuos.* 296. Un. mel. *castos*, quod Hs plac., quat. *sacros*. 298. Alii *Vix tulit*. — Duo *adversis — aquis*. 299. Virg. G. IV, 402. *Quum sitiunt herbae*. Id. E. VII, 57. *Aret ager, vitio moriens sitit aëris herba*. 300. Un. mel. *arenoso*. — Tres et edd. vett. *fessa*. De Tiberi prope Ostiam Strabo V, 3. παραχινδύνως ὁρμίζονται μετέωρα ἐν τῷ σάλῳ τὰ ναυκλήρια — quapropter addit naves, priusquam Tiberin ingrederentur, exoneratas esse. Hic *pressa* gravi deae simulacro. Cf. III, 330. 301. Un. ex opt. *operis*. 302. Un. *tonante*. Ut in certamine Horatiorum et Curiatiorum ap. Liv. I, 25. *clamore, qualis ex insperato faventium solet, Romani adiuvant militem suum*. 305. Neap. leg. *ab Atta*. Liv. II, 16. *Attus Clausus, cui postea Appio Claudio fuit Romae nomen*. Cf. V, 155. Virg. A. VII, 706. *Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar, Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis*. De Claudia nostra haec Liv. XXIX, 14. *Matronae primores civitatis, inter quas unius Claudiae Quintae insigne est nomen*, (deam) *accepere: cui dubia antea fama clariorem ad posteros tam religioso ministerio pudicitiam fecit. Eae per manus, succedentes deinceps aliae aliis, omni effusa civitate obviam — in aedem Victoriae, quae est in Palatio, pertulere deam*. 306. *Impar* c. Ablat. ut VI, 804.

Casta quidem, sed non et credita. Rumor iniquus
Laeserat, et falsi criminis acta rea est.
Cultus et ornatis varie prodisse capillis
Obfuit, ad rigidos promptaque lingua senes.
Conscia mens recti famae mendacia risit:
Sed nos in vitium credula turba sumus.
Haec ubi castarum processit ab agmine matrum,
Et manibus puram fluminis hausit aquam,
Ter caput irrorat, ter tollit in aethera palmas;
— Quicumque adspiciunt, mente carere putant. —
Submissoque genu vultus in imagine divae
Figit, et hos edit crine iacente sonos:
Supplicis, alma, tuae, genitrix fecunda deorum,
Accipe sub certa conditione preces.
Casta negor. Si tu damnas, meruisse fatebor;
Morte luam poenas iudice victa dea.
Sed, si crimen abest, tu nostrae pignora vitae
Re dabis, et castas casta sequere manus.

---

307. Meliores *et credita*, quod Hs rec., cet. *est cred.* Ap. nostr. M. XV, 74. (Pythagorae) *ora Docta quidem — sed non et credita.* 309. Un. opt. *ornatos v. prodisse capillos*, alii *ornatus variis pr. capillis*, omnes melior. et edd. leg. nostr., quod e. Ciof. Hs rec., quid. *fudisse* aut *posuisse*, Hs tamen mav. *ornato v. pr. capillo.* Noster monet A. A. III, 131. *Ne prodite graves insuto vestibus auro!* Idem 165. *Femina procedit densissima crinibus emptis, Proque suis alios efficit aere suos.* 310. Alii *linguaque prompta* — Multi *sonos.* 311. Quid. melior. *veri* — Alii *ridet.* Cf. I, 485. 313. Un. ex opt. *procedit.* — Duo ex opt. *ad agmina.* 314. Duo *haurit.* Cf. II, 46. IV, 778. 315. Alii *ad aethera.* 318. Alii pauci *Fixit et hos dixit*, un. *et edit eos*, quid. *egit*, un. *reddit.* Hs coni. *peragit*, ut III, 26. Noster A. A. III, 145. *Huic decet inflatos laxe iacuisse capillos, Illa sit adstrictis impediенda comis.* — Omnis autem ornatus in sacris vetitus erat. Hinc *crines* soluti. Virg. A. IV, 509. *effusa crines sacerdos.* Liv. XXVI, 9. *Undique matronae circa deum templa discurrunt crinibus passis aras verrentes.* 319. Un. *facunda.* 322. Un. *indice.* 323. Un. *curae.* Gronov. Obs. II, 21. p. 306. leg. *vittae*, et confer III, 30 et de A. A. I, 33. *Este procul vittae tenues, insigne pudoris.* 324. Un. opt. et septem alii *Reddas, et — sequare*, duo *Reddes, et — sequare.*

Dixit, et exiguo funem conamine traxit.
Mira, sed et scena testificata loquar.
Mota dea est, sequiturque ducem, laudatque sequendo.
Index laetitiae fertur in astra sonus.
Fluminis ad flexum veniunt: Tiberina priores
Ostia dixerunt, unde sinister abit.
Nox aderat: querno religant a stipite funem,
Dantque levi somno corpora functa cibo.
Lux aderat: querno solvunt a stipite funem;
Ante tamen posito tura dedere foco:
Ante coronatam puppim sine labe iuvencam
Mactarunt operum coniugiique rudem.
Est locus, in Tiberin qua lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit ab amne minor.

---

326. Alii *sed in*, alii *sed ex*. Hs mav. *sed et scenae*. — Alii *loquor*. 330. Quat. opt. et sex alii *Hostia* h. e. *Ostia*, quod Hs rec., cet. *Alfia*. Κατ' ἐξόχην sinistra dividui Tiberis ostia ita appellata sunt. Rutil. Itin. I, 181. *Laevus inaccessis fluviis vitatur arenis*. Cf. supra 300. 331. Quat. *Nox erat, et q.* — Un. ex mel. *quernoque lig.* — Quat. opt. et quinq. al. *stipite*, cet. *in stip.* 333. Quat. *Lux erat, et q.* 335. Un. ex mel. *coronarum*, quinq. *coronatam*; hinc Hs coni. et rec. *coronata puppi sine*, cet. omnes *coronarunt puppim, et*; quid. *puppem*, meliores *puppim*. Ego c. Mitsch. et Gierig. recepi *coronatam p. sine*. — In initio leg. Francius *Arte*. Coronatur puppis in re laeta. Virg. A. IV, 418. (Aeneas ab Carthagine discedente) *Puppibus et laeti nautae imponere coronas*. Propert. III, (IV), 24, 15. *Ecce coronatae portum tetigere carinae*. Plat. Phaed. p. 4. ed. Beck. Ἀρχὴ δ' ἐστὶ τῆς θεωρίας, ἐπειδὰν ὁ ἱερεὺς τοῦ Ἀπόλλωνος στέψῃ τὴν πρύμναν τοῦ πλοίου. 336. Noster M. III, 10. (Bos) *Nullum passa iugum curvique immunis aratri — iuvencam Nullum servitii signum cervice gerentem*. Schol. Arist. Acharn. 704. Ὅπερ ἢ μὴ τέλειον καὶ ὑγιὲς, οὐ θύεται τοῖς θεοῖς. Lucian. de sacrif. p. 92. Στεφανώσαντες τὸ ζῶον, καὶ πολύγε πρότερον ἐξετάσαντες, εἰ εὐτελὲς εἴη, ἵνα μηδὲ τῶν ἀχρήστων τι κατασφάττωσι, προσάγουσι τῷ βωμῷ. 337. Sept. *Tiberi*. — Un. *quo*, alius *quem*. — Sex *Almon*. Noster M. XIV, 329. *cursuque brevissimus Almo*. — Hic annua sacrorum Cybeles lotio. Cf. 135. Lucan. I, 600. *Qui lotam parvo revocant* (renovant) *Almone Cybeben*. 338. Pleriq. melior. *ab*, quod Hs rec., cet. *in*.

Illic purpurea canus cum veste sacerdos
Almonis dominam sacraque lavit aquis.
Exululant comites, furiosaque tibia flatur,
Et feriunt molles taurea terga manus.
Claudia praecedit, laeto celeberrima vultu;
Credita vix tandem teste pudica dea.
Ipsa sedens plaustro porta est invecta Capena:
Sparguntur iunctae flore recente boves.
Nasica accepit. Templi non perstitit auctor;
Augustus nunc est; ante Metellus erat.
Substitit hic Erato. Mora fit, si cetera quaeram.
Dic, inquam, parva cur stipe quaerat opes?

339. Septem *castus*. De hoc Archigallo haec Lucian. de dea Syria p. 789. Ὁ ἀρχιερεὺς ἄλλος ἑκάστου ἔτεος ἐπιγίγνεται· πορφυρέην δὲ μοῦνος οὗτος φορέει, καὶ τιάρῃ χρυσέῃ ἀναδέεται. 341. In his ululationibus (Cf. 186.) frequentes hi soni erant: εὐοῖ, σαβοῖ, ὗης Ἄττης Ἄττης ὗης. Cf. 181. 189. 212. 343. Un. *procedit*. 346. Un. *iuncti*, duo *vinctae*, tres *victae*. — Octo *rore*. De Cybele Orph. H. 13, 2. Ἥ τ' ἐπὶ ταυροφόρον ἱερύτροχον ἅμμα τιταίνεις. De hominibus deae cultoribus Lucret. II, 628. *ninguntque rosarum Floribus umbrantes Matrem comitumque catervam*. 347. Un. *suscepit*. Hs mav. *excepit*. — Quat. praestant. et tres alii *tunc exstitit*, quod Hs rec., sex opt. aliiq. et edd. vett. *non perstitit*, quod reduxi, alii *non exstitit, non praestitit, non substitit, nam praestitit, tunc perstitit*. Burm. mav. *Templi pater* (Claudiae) *exstitit auctor*. Primi templi dedicatio facta per M. Iunium Brutum a. U. 563. a. C. 191. Cf. Liv. XXXVI, 36. — *Nasica* est P. Cornel. Scipio, Cn. filius, eius qui in Hispania ceciderat, adolescens nondum quaestorius, *quem*, ait Livius XXIX, 14. *iudicaverunt in tota civitate virum bonorum optimum esse. — Is oraculi iussu deae signum a sacerdotibus accepit et in terram extulit.* — Augustus ipse de se in Monum. Ancyr. *Aedem Iuventatis, aedem Matris Mag. in Palatio feci. Metelli* nulla usquam mentio. 349. B. Crus. corruptum esse censet *fit*, pro quo rec. *sit*. — Quinq. opt. et tres alii *si cet. quaeram*, quod Hs rec. multi *si cet. quaero*, alii *dum c. quaero*, ceteri omnes, etiam melior. *sic c. quaero*, quod Ciof. placet. In scriptura verbi *cetera* an *caetera* dissentiunt. 350. Sacerdotes

Contulit aes populus, de quo delubra Metellus
Fecit, ait; dandae mos stipis inde manet.
Cur vicibus factis ineant convivia, quaero,
Tum magis, indictas concelebrentque dapes.
Quod bene mutarit sedem Berecyntia, dixit,
Captant mutatis sedibus omen idem.
Institeram, quare primi Megalesia ludi
Urbe forent nostra, quum dea, — sensit enim —
Illa deos, inquit, peperit. Cessere parenti,
Principiumque dati Mater honoris habet.
Cur igitur Gallos, qui se excidere, vocamus,
Quum tanto Phrygia Gallica distet humus?
Inter, ait, viridem Cybelen altasque Celaenas,
Amnis it insana, nomine Gallus, aqua.

---

stipem deae suae quaerentes ap. Graecos Μητραγύρται; de re ipsa v. Ruhnk. Tim. Lex. p. 10. Lucret. II, 627. (Homines) *Aere atq. argento sternunt iter omne viarum Largifica stipe ditantes.* Noster Ep. ex Pont. I, 1, 39. *Ante deum Matrem cornu tibicen adunco Quum canit, exiguae quis stipis aera negat?*

353. Alii pleriq. *ineunt*, et post *concelebrantque*, un. *coeant*. Hs coniunctiv. rec. 354. Alii *Tunc m.* — Hs mav. *incunt conv., quaeso, Mutuita, ind. concelebrantq.* Similiter Fogginius ad Verrii fastos Praen. *Mutita.* — Un. *cur celebrentque.* Cato ap. Cic. Sen. 13. *Sodalitates me Quaestore* (a. U. 549.) *constitutae sunt, sacris Idaeae Magnae Matris acceptis. Epulabar igitur cum sodalibus modice.* Gell. N. A. II, 24. *Principes civitatis* (XVIII, 2. Patricii) *ludis Megalensibus antiquo ritu mutitabant, id est mutua inter sese dominia* (convivia) *agitabant.* — In Verrii Fastis Praen. huic Aprilis diei adscriptum etiam: *Nobilium mutitationes cenarum solitae sunt frequenter fieri.* 362. Tres opt. *tanto a*, ceteri *tantum a*, tres opt. et duo al. non habent *a*; hinc Hs rec. nostr. — Un. *Gallia*, quod Hs placet. 363. Edd. vett. *Cybelem.* 364. Duo *in Scythicas, n. G. aquas.* Vibius Seq. h. v. *Gallus in Phrygia, unde qui bibit, insanit more fanatico.* Item Plin. H. N. XXXI, 2, 5. *Ibi in potando necessarius modus, ne lymphatos agat.* Steph. Byz. h. v. addit. ἀπὸ ἐκείνου τοὺς τεμνομένους τὰ αἰδοῖα Γάλλους καλοῦσι.

Qui bibit inde, furit. Procul hinc discedite, quis est
  Cura bonae mentis. Qui bibit inde, furit.
Non pudet herbosum, dixi, posuisse moretum
  In dominae mensis? an sua causa subest?
Lacte mero veteres usi memorantur et herbis,
  Sponte sua si quas terra ferebat, ait.
Candidus elisae miscetur caseus herbae,
  Cognoscat priscos ut dea prisca cibos.

Postera quum coelo motis Pallantias astris
  Fulserit, et niveos Luna levarit equos;
Qui dicet, Quondam sacrata est colle Quirini
  Hac Fortuna die Publica, verus erit.

Tertia lux — memini — ludis erat. At mihi quidam
  Spectanti senior contiguusque loco,

---

366. Verborum lusus Ovidio familiaris, quem versum lyricum dicunt. Am. I, 9, 1. *Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido, Attice, crede mihi, militat omnis amans.* 367. Un. *Nam pudet.* Tale moretum, τρίμμα, μυσσωτόν, describit Auctor Moreti inter Virgilii carmina minora. 368. Quinq. *cura subest,* duo *cura iubet.* 369. Duo *Lacte novo* — Hs e melior. rec. *memorantur,* cet. *narrantur.* — Duo *herba.* 370. Un. mel. et sept. al. *ferebat opes.* 371. Quat. opt. et alii multi *elisae,* quod Hs rec., cet. *elixae.* 372. Al. *Agnoscat.* — Al. *primos.* 373. Hesiod. Th. 376. Εὐρυβίη τίκτεν — Ἀστραῖόν τε μέγαν, Πάλλαντά τε — Ἀστραίῳ δ' Ἠὼς ἀνέμους τέκε καρτεροθύμους — 374. Sex *lavarit,* ut Passerat. ad Propert. volebat. 375. Multi melior. *valle.* — Hs mav. *Quirino.* 376. Cf. V, 729. A. U. 549. a. C. 205. *Sempronius consul,* auct. Liv. XXIX, 36. *principio pugnae aedem Fortunae Primigeniae vovit, composq. eius voti fuit.* Dedicata a. U. 560. a. C. 194. Liv. XXXIV, 53. *Aedem Fortunae Primigeniae in colle Quirinali dedicavit Q. Marcius Ralla.* 377. Optim. quisq. et multi alii *erat,* quod Hs rec., cet. *erit,* un. *eat.* — Duo opt. et novem al. *at,* alii *ac,* alii *hac,* quod Hs rec. — Sex *quondam.* Liv. XXXIV, 54. *Megalensia ludos scenicos C. Atilius Serranus, L. Scribonius Libo Aediles Curules primi fecerunt* a. U. 560. a. C. 194. Iidem, auctore Valer. Max. II, 4. *quum hucusque senatus populo mixtus spectaculo ludorum interfuisset, senatus et populi locos discreverunt.* 378. Pleriq. *continuus.*

Haec, ait, illa dies, Libycis qua Caesar in oris
Perfida magnanimi contudit arma Iubae.
Dux mihi Caesar erat, sub quo meruisse Tribunus
Glorior. Officio praefuit ille meo.
Hanc ego militia sedem, tu pace parasti,
Inter bis quinos usus honore Viros.
Plura locuturi subito seducimur imbre;
Pendula coelestes Libra movebat aquas.
Ante tamen, quam summa dies spectacula sistat,
Ensifer Orion aequore mersus erit.

Proxima victricem quum Romam inspexerit Eos,
Et dederit Phoebo stella fugata locum;
Circus erit pompa celeber, numeroque deorum:
Primaque ventosis palma petetur equis.
Hinc Cereris Ludi. Non est opus indice causae;
Sponte deae munus promeritumque patet.

---

380. Pugna facta a. U. 708. a. C. 46., de qua Hirtius B. Afr. 79. 94. *Contudere* cf. IV, 628. 381. Tres opt. et tres alii *Tribunal.* 382. Un. *Gratulor* — Pauci *Officiis* — *meis,* ex aliis plerisq. Hs nostr. rec. 384. *Decemviri,* auctore Pompon. de orig. iuris, *litibus iudicandis sunt instituti.* Hoc munere functi in orchestra theatri inter senatores sedebant, quae sedes etiam Tribunis militum fuit. 385. Quat. opt. et sept. alii *seducimur,* quod Hs rec., cet. *subducimur.* 386. Duo *equos.* 387. Un. *fulva dies.* 388. Meliores *Ensiger.* 391. Novem et quaed. edd. *celebris.* Illud confirmat Prisc. III, 3. *Ovidius saluber dixit et celeber.* — Ludi Circenses Cereales. Tacit. A. XV, 53. *Circensium ludorum die, qui Cereri celebratur.* Pompam hanc Cerealem describit noster Am. III, 2, 43. *Sed iam pompa venit* etc. 392. Virg. A. XII, 848. *ventosas alas.* Homer. Il. X, 437. de Rhesi equis Θείειν ἀνέμοισιν ὁμοῖοι. 393. Omnes fere *Hinc,* quod servavi; un. opt. et tres al. *Hic.* Hs ex suo ingenio rec. *Hi.* — Plurimi *indice causae,* quod reduxi; praestantiores omnes, ut ait Hs, *indice causa,* quod ille rec. Cf. I, 91. 465. IV, 191. 394. Un. ex opt. *patent,* quod Hs rec., ego ceteror. lect. servavi. Cf. IV, 104.

Messis erant primis virides mortalibus herbae,
  Quas tellus nullo sollicitante dabat;
Et modo carpebant vivaci cespite gramen,
  Nunc epulae tenera fronde cacumen erant.
Postmodo glans nata est. Bene erat iam glande reperta,
  Duraque magnificas quercus habebat opes.
Prima Ceres homini ad meliora alimenta vocato
  Mutavit glandes utiliore cibo.
Illa iugo tauros collum praebere coëgit;
  Tum primum soles eruta vidit humus.
Aes erat in pretio: chalybeïa massa latebat.
  Heu heu perpetuo debuit illa tegi!

---

395. Duo opt. *Messis erat*, duo alii *M. erant*, quod Hs rec., cet. *Panis erant*, tres *Panis erat primus*. 396. Virg. G. II, 418. *Sollicitanda tamen tellus, pulvisque movendus*. Ovid. M. XV, 96. *At vetus illa aetas, cui fecimus aurea nomen, Fetibus arboreis et, quas humus educat, herbis Fortunata fuit*. Cf. II, 293. — 397. Duo opt. et alii nonn. *vivaci cesp.*, quod Hs rec., octodec. *vivax de c.*, duo *vivax ex c.*, totidem *vivax in c.*, alii plurimi *vivax e c.*, un. *vivo de c.* 398. Plurimi *erat*. 399. Quat. *orta est*. 400. Un. *Puraque*. Hs mav. *munificas*. 401. E quinq. opt. et trib. al. Hs rec. *homini*, cet. *homine*. Hs mav. *hominum victu ad m. vocato*. Unus *Pabula prima Ceres homine ad m. voc.* — duo *Pabula p. C. hominem ad meliora vocavit*. Virg. G. I, 147. *Prima Ceres ferro mortales vertere terram Instituit, quum iam glandes atq. arbuta sacrae Deficerent silvae, et victum Dodona negaret*. Lucret. V, 937. *Glandiferas inter curabant corpora quercus Plerumque, et, quae nunc hiberno tempore cernis, Arbuta puniceo fieri matura colore, Plurima tum tellus, etiam maiora, ferebat*. 403. Un. mel. *iugis*. Virg. G. I, 47. *Illa seges demum votis respondet avari Agricolae, bis quae solem, bis frigora sensit*. 405. Duo ex opt. *pretium*. — Plurimi *chalybis*, un. *chalybe iam*, duo *chalybaeaque*, optim. quisq. *chalybeia*, quod Hs rec. — Idem ex plurib. opt. rec. *latebat* pro lect. ceteror. *placebat*, un. *patebat*. Hesiod. Ἔργ. 150. χαλκῷ δ' ἐργάζοντο· μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος. Ammian. XXII, 8. *Chalybes, per quos erutum et domitum est primitus ferrum*. 406. Plurimi *Heu heu*, quod servavi; duo opt. et alii *Eheu*, alii *Heu*, (bisyllabum) *perp.*, duo mel. et tres al. *Heu quam*, quod Hs rec.

Pace Ceres laeta est, et vos optate, coloni,
Perpetuam pacem, perpetuumque ducem.
Farra deae, micaeque licet salientis honorem
Detis, et in veteres turea grana focos;
Et, si tura aberunt, unctas accendite taedas.
Parva bonae Cereri, sint modo casta, placent.
A bove succincti cultros removete ministri.
Bos aret: ignavam sacrificate suem.
Apta iugo cervix non est ferienda securi.
Vivat, et in dura saepe laboret humo!
Exigit ipse locus, raptus ut virginis edam.
Plura recognosces: pauca docendus eris.
Terra tribus scopulis vastum procurrit in aequor
Trinacris, a positu nomen adepta loci.
Grata domus Cereri. Multas ibi possidet urbes,
In quibus est culto fertilis Henna solo.

---

407. Duo mel. et tres alii *at vos*, quod Hs rec., omnes cet. *et vos*, quod servavi. — Meliores *optate*, quod Hs rec., cet. *orate*. Tibull. I, 11 (10), 45. *Interea Pax arva colat. Pax candida primum Duxit araturos sub iuga panda boves. Pax aluit vites, et succos condidit uvae, Funderet ut nato testa paterna merum. Pace bidens vomerque vigent* (nitent); *at tristia duri Militis in tenebris occupat arma situs.* 408. Plurimi *pacificumque*, duo opt. et multi alii *perpetuumque*, quod Hs rec. Cf. I, 289. Un. *paciferumque*. 410. Un. *tura liquata*, alius melior *taurea dona*. Cf. I, 338. 411. Un. mel. *At si* — Quat. *iunctas* — Tres *acc. faces*, un. *acc. pinus*, cuius glossas esse *tacdas* et *faces* censet Burm. Cf. 494. 412. Un. *Pauca*. — Un. mel. *si modo*, alius mel. *dummodo*. 413. Quinq. *cultrum*. — Un. *prohibete*. 414. Duo ex opt. et multi al. *ignavum*. Cf. I, 349. Aelian. H. var. V, 14. Νόμος Ἀττικός, βοῦν ἀρότην καὶ ὑπὸ ζυγὸν πονήσαντα σὺν ἀρότρῳ ἢ καὶ σὺν τῇ ἀμάξῃ μὴ θύειν. 415. Quat. *et non fer.* 418. Tres melior. et septem al. *recognoscens*, quod Burm. plac., nonn. *recognoscas*. Hs mav. *recognoscis*. 419. Un. *praecurrit*, tres *descendit*. 420. Sex *appositum*, un. *appositi*, quatuord. *apposita*. Plin. H. N. III, 7, 14. *Sicilia, Sicania Thucydidi dicta, Trinacria pluribus, Triquetra a triangula specie*. Cf. 479. 421. Un. mel. *Multas dea p.* 422. Quid. *celso*. Liv. XXIV, 37. *Enna*

Frigida coelestum matres Arethusa vocarat.
Venerat ad sacras et dea flava dapes.
Filia, consuetis ut erat comitata puellis,
Errabat nudo per sua prata pede.
Valle sub umbrosa locus est, adsperginc multa
Humidus ex alto desilientis aquae.
Tot fuerant illic, quot habet natura, colores,
Pictaque dissimili flore nitebat humus.
Quam simul adspexit, Comites accedite, dixit,
Et mecum plenos flore referte sinus.
Praeda puellares animos oblectat inanis,
Et non sentitur sedulitate labor.
Haec implet lento calathos e vimine textos,
Haec gremium, laxos degravat illa sinus,

---

in excelso loco ac praerupto undique sita. Meliores *Henna,* quod Hs rec., cet. *Enna.* Cic. Verr. IV, 48. *Vetus est opinio, insulam Siciliae totam esse Cereri et Liberae consecratam. Nam et natas esse has in his locis deas, et fruges in ea terra primum repertas arbitrantur, et raptam esse Liberam ex Ennensium nemore.* Cf. ad 429. —

423. Cic. Verr. IV, 52. *In parte oppidi, quae appellatur insula, extrema est fons aquae dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus piscium.* 424. *Flava* cf. 616. — 425. Homer. H. Cer. 5. παίζουσαν κούρῃσι σὺν Ὠκεανοῦ βαθυκόλποις. 428. Un. ex mel. et alius a manu sec. *Uvidus,* quod c. Ciof. Hs rec.; ego servavi ceter. lect. 429. Un. optim. *Tot florent,* hinc Hs mav. *Tot vernant.* Cic. Verr. IV, 48. *Enna est loco praecelso atq. edito; quo in summo est aequata agri planities, et aquae perennes; tota vero ab omni aditu circumcisa atq. dirempta est, quam circa lacus lucique sunt plurimi et laetissimi flores omni tempore anni.* Noster M. V, 390. *Frigora dant rami, Tyrios humus humida flores; perpetuum ver est.* 430. Un. ex mel. *ridebat,* alius *virebat.* Hs mav. *flore renidet h.* 431. Duo *Quos,* totid. *Quod,* un. *Quas,* alius *Quem,* alius *Quae.* 432. Multi *vestros fl. referte,* plurimi etiam opt. nostr. leg., quod reduxi. Hs ex aliis rec. *vestros fl. replete sinus.* 433. Duo ex opt. et quat. alii *proiectat,* duo opt. *prolectat,* quod Hs rec., alii ex melior. *delectat,* cet. omnes *oblectat,* quod reduxi. 434. Hs coni. *sentitus.* 435. Optim. quisq. et multi alii *textos,* quod Hs rec, un. *factos,* cet. *nexos.* 436. Alii *lapsos.*

Pace Ceres lacta est, et vos optate, coloni,
Perpetuam pacem, perpetuumque ducem.
Farra deae, micaeque licet salientis honorem
Detis, et in veteres turea grana focos;
Et, si tura aberunt, unctas accendite taedas.
Parva bonae Cereri, sint modo casta, placent.
A bove succincti cultros removete ministri.
Bos aret: ignavam sacrificate suem.
Apta iugo cervix non est ferienda securi.
Vivat, et in dura saepe laboret humo!
Exigit ipse locus, raptus ut virginis edam.
Plura recognosces: pauca docendus eris.
Terra tribus scopulis vastum procurrit in aequor
Trinacris, a positu nomen adepta loci.
Grata domus Cereri. Multas ibi possidet urbes,
In quibus est culto fertilis Henna solo.

---

407. Duo mel. et tres alii *at vos*, quod Hs rec., omnes cet. *et vos*, quod servavi. — Meliores *optate*, quod Hs rec., cet. *orate*. Tibull. I, 11 (10), 45. *Interea Pax arva colat. Pax candida primum Duxit araturos sub iuga panda boves. Pax aluit vites, et succos condidit uvae, Funderet ut nato testa paterna merum. Pace bidens vomerque vigent* (nitent); *at tristia duri Militis in tenebris occupat arma situs.* 408. Plurimi *pacificumque*, duo opt. et multi alii *perpetuumque*, quod Hs rec. Cf. I, 289. Un. *paciferumque*. 410. Un. *tura liquata*, alius melior *taurea dona*. Cf. I, 338. 411. Un. mel. *At si* — Quat. *iunctas* — Tres *acc. faces*, un. *acc. pinus*, cuius glossas esse *tacdas* et *faces* censet Burm. Cf. 494. 412. Un. *Pauca*. — Un. mel. *si modo*, alius mel. *dummodo*. 413. Quinq. *cultrum*. — Un. *prohibete*. 414. Duo ex opt. et multi al. *ignavum*. Cf. I, 349. Aelian. H. var. V, 14. Νόμος Ἀττικός, βοῦν ἀρότην καὶ ὑπὸ ζυγὸν πονήσαντα σὺν ἀρότρῳ ἢ καὶ σὺν τῇ ἀμάξῃ μὴ θύειν. 415. Quat. *et non fer*. 418. Tres melior. et septem al. *recognoscens*, quod Burm. plac., nonn. *recognoscas*. Hs mav. *recognoscis*. 419. Un. *praecurrit*, tres *descendit*. 420. Sex *appositum*, un. *appositi*, quatuord. *appositu*. Plin. H. N. III, 7, 14. *Sicilia, Sicania Thucydidi dicta, Trinacria pluribus, Triquetra a triangula specie*. Cf. 479. 421. Un. mel. *Multas dea p.* 422. Quid. *celso*. Liv. XXIV, 37. *Enna*

Frigida coelestum matres Arethusa vocarat.
Venerat ad sacras et dea flava dapes.
Filia, consuetis ut erat comitata puellis,
Errabat nudo per sua prata pede.
Valle sub umbrosa locus est, adspergine multa
Humidus ex alto desilientis aquae.
Tot fuerant illic, quot habet natura, colores,
Pictaque dissimili flore nitebat humus.
Quam simul adspexit, Comites accedite, dixit,
Et mecum plenos flore referte sinus.
Praeda puellares animos oblectat inanis,
Et non sentitur sedulitate labor.
Haec implet lento calathos e vimine textos,
Haec gremium, laxos degravat illa sinus,

---

in excelso loco ac praerupto undique sita. Meliores *Henna,* quod Hs rec., cet. *Enna.* Cic. Verr. IV, 48. *Vetus est opinio, insulam Siciliae totam esse Cereri et Liberae consecratam. Nam et natas esse has in his locis deas, et fruges in ea terra primum repertas arbitrantur, et raptam esse Liberam ex Ennensium nemore.* Cf. ad 429. —

423. Cic. Verr. IV, 52. *In parte oppidi, quae appellatur insula, extrema est fons aquae dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus piscium.* 424. *Flava* cf. 616. — 425. Homer. H. Cer. 5. παίζουσαν κούρῃσι σὺν Ὠκεανοῦ βαθυκόλποις. 428. Un. ex mel. et alius a manu sec. *Uvidus,* quod c. Ciof. Hs rec.; ego servavi ceter. lect. 429. Un. optim. *Tot florent,* hinc Hs mav. *Tot vernant.* Cic. Verr. IV, 48. *Enna est loco praecelso atq. edito; quo in summo est aequata agri planities, et aquae perennes; tota vero ab omni aditu circumcisa atq. direpta est, quam circa lacus lucique sunt plurimi et laetissimi flores omni tempore anni.* Noster M.V, 390. *Frigora dant rami, Tyrios humus humida flores; perpetuum ver est.* 430. Un. ex mel. *ridebat,* alius *virebat.* Hs mav. *flore renidet h.* 431. Duo *Quos,* totid. *Quod,* un. *Quas,* alius *Quem,* alius *Quae.* 432. Multi *vestros fl. referte,* plurimi etiam opt. nostr. leg., quod reduxi. Hs ex aliis rec. *vestros fl. replete sinus.* 433. Duo ex opt. et quat. alii *proiectat,* duo opt. *prolectat,* quod Hs rec., alii ex melior. *delectat,* cet. omnes *oblectat,* quod reduxi. 434. Hs coni. *sentitus.* 435. Optim. quisq. et multi alii *textos,* quod Hs rec, un. *factos,* cet. *nexos.* 436. Alii *lapsos.*

Illa legit calthas, huic sunt violaria curae,
Illa papavereas subsecat ungue comas,
Has, hyacinthe, tenes, illas, amarante, moraris,
Pars thyma, pars rorem, pars meliloton amant.
Plurima lecta rosa est, et sunt sine nomine flores.
Ipsa crocos tenues, liliaque alba legit.
Carpendi studio paullatim longius itur,
Et dominam casu nulla secuta comes.
Hanc videt, et visam patruus velociter aufert,
Regnaque caeruleis in sua portat equis.
Illa quidem clamabat, *Io, carissima mater,*
Auferor! ipsa suos abscideratque sinus.

---

439. Duo ex opt. *Narcisse, mor.* Alii scribunt *amaranthe.* Plin. H. N. XXI, 8, 23. *Summa amaranti natura in nomine est, appellato, quoniam non marcescat.* — Ceterum utrumq. nomen hyacinthi et amaranti minore littera scripsi. 440. Ex duob. opt. Hs rec. *casiam,* un *violas,* alius *crorem,* tres *rosas,* multi *rores,* plurimi *rorem,* quod reduxi. De *rore* cf. Voss. Virg. G. II, 213. 441. Potiores *et sunt,* quod Hs rec., cet. *sunt et.* Hs tamen mav. *lecti sine.* Homerid. H. Cer. 8. ipsam maxime legisse ait νάρκισσον — θαυμασΙὸν γανόωντα, σέβας δέ τε πᾶσιν ἰδέσθαι ἀθανάτοις τε θεοῖς ἠδὲ θνητοῖς ἀνθρώποις. Idem, auctore Paus. Boet. (IX), 31. dixerat Pamphus, antiquissimus ἀοιδός, Κόρην τὴν Δήμητρος ἁρπασθῆναι οὐκ ἴοις ἀπατηθεῖσαν, ἀλλὰ νάρκίσσοις. 445. Cic. Verr. IV, 48. *Locus ipse raptum illum virginis declarare videtur. Etenim propter est spelunca quaedam, conversa ad aquilonem, infinita altitudine, qua Ditem patrem ferunt repente cum curru exstitisse, abreptamque ex eo loco virginem secum absportasse, et subito non longe a Syracusis penetrasse sub terras, lacumque in eo loco repente exstitisse.* Idem fere Aristot. de mirab. ausc. 83. Ἐν τῆς Σικελίας τῇ καλουμένῃ Ἐννῃ σπήλαιόν τι λέγεται εἶναι, περὶ ὃ κύκλῳ πεφυκέναι φασὶ τῶν τε ἄλλων, ἀνθέων πλῆθος ἀνὰ πᾶσαν ὥραν, πολὺ δὲ μάλισΙα τῶν ἴων ἀπέραντόν τινα τόπον συμπεπληρῶσθαι, ἃ τὴν σύνεγγυς χώραν εὐωδίας πληροῖ. — Διὰ δὲ τούτου τοῦ χάσματος ἀσυμφανής ἐσΙιν ὑπόνομος, καθ' ὃν φασι τὴν ἁρπαγὴν ποιήσασθαι τὸν Πλούτωνα τῆς Κόρης. 447. Un. *clamat, Io, Io, car. m.,* alius *clamat iamiam car. m.,* alius *Io, comitesque parentes.* 448. Multi

Panditur interea Diti via; namque diurnum
  Lumen inassueti vix patiuntur equi.
At chorus aequalis, cumulatis flore canistris,
  Persephone, clamant, ad tua dona veni.
Ut clamata silet, montes ululatibus implent,
  Et feriunt maesta pectora nuda manu.
Attonita est plangore Ceres, — modo vencrat Hennam —
  Nec mora, *Me miseram! filia,* dixit, *ubi es?*
Mentis inops rapitur, quales audire solemus
  Threïcias fusis Maenadas ire comis.
Ut vitulo mugit sua mater ab ubere rapto,
  Et quaerit fetus per nemus omne suos;
Sic dea: nec retinet gemitus, et concita cursu
  Fertur, et e campis incipit, Henna, tuis.

---

excideratque, un. ex opt. *abstuleratque.* — Raptum Proserpinae Claudianus carmine descripsit, Noster Met. V, 341, et Homerides in Hymno Cereris.

449. Un. ex vulg. *iamque,* quod Hs rec., ego ceter. omn. lect. reduxi. 450. Alii *non pat.* Ita discissa terra ap. Virg. A. VIII, 246. *trepidant immisso lumine Manes.* — De Orco Ennius: *Acherusia templa alta Orci, pallida Leti obnubila, obsita tenebris loca.* 451. Edd. prim. et quinq. codd. nostr. leg. quod Hs retinuit, octo *cumulato flore ministrae,* septem *cumulatae — ministrae.* 452. Un. ex opt. *tua vota,* venuste, ait Hs. 453. Hs e melior. *Ut* rec., cet. *Et.* 454. Tres opt. *moestae — manu,* hinc Hs fec. et rec. *moestae — manus;* ut Trist. I, 3, 78. hic versus sine scripturae diversitate legitur; ceteri omnes *moesta — manu,* quod retinui. Cf. III, 864. 456. Alii *clamat, ubi es?* 457. Praestantiores *quales,* quod Hs rec., cet. *ut quas.* Homer. H. Cer. 40. Ὀξὺ δέ μιν κραδίην ἄχος ἔλλαβεν — Σείατο δ' ὥστ' οἰωνὸς, ἐπὶ τραφερήν τε καὶ ὑγρὴν Μαιομένη. 458. Alii *passis,* alii *fusis,* illud Hs, hoc Burm. rec., un. ex mel. *sparsis.* 460. Un. ex opt. *queritur.* Lucret. II, 355. *At mater* (vituli) *viridis saltus orbata peragrans Linquit humi pedibus vestigia pressa bisulcis, Omnia convisens oculis loca, si queat usquam Conspicere amissum fetum, completque querelis Frondiferum nemus assistens.* — 461. Alii *non retin.,* quod Neap. placet. 462. Plurimi *a campis.*

Inde puellaris nacta est vestigia plantae,
Et pressam noto pondere vidit humum.
Forsitan illa dies erroris summa fuisset,
Si non turbassent signa reperta sues.
Iamque Leontinos Amenanaque flumina cursu
Praeterit, et ripas, herbifer Aci, tuas:
Praeterit et Cyanen, et fontem lenis Anapi,
Et te, vorticibus non adeunde Gela.
Liquerat Ortygien, Megareaque, Pantagienque,
Quaque Symaetheas accipit aequor aquas,
Antraque Cyclopum, positis exusta caminis,
Quique locus curvae nomina falcis habet:
Himeraque, et Didymen, Acragantaque, Tauromenonque,
Sacrorumque Melan pascua laeta boum.

---

464. Alii *natae*. 465. Un. *ille* —. Un. ex opt. *errori*, quod Hs rec., ego revocavi ceter. lect., un. ex opt. *errorum*. 466. Duo ex opt. et quinq. alii *repente*. 467. Alii *Anisenaque, Antenaque, Amasenaque, Anienaq., Asininaq, Armenaq., Amenaque, Amenenaq.*, unde Fulv. Ursinus nostr. fec., quod c. Ciof. Hs rec. 469. Duodec. *fontem*, quod Hs rec., cet. *fontes*. — Un. *levis*. 471. Plurimi *Ortygiam*, un. *Ortygian*, melior. *Ortygien*, quod Hs rec. 472. Duo *Quodque*. Hs *Simetheas*. Graeci Σύμαιθος; hinc nostr. recepi. 473. Virg. A. VIII, 418. *Cyclopum exesa caminis Antra Aetnaea tonant*. 474. Thucyd. VI, 4. Ὄνομα τὸ μὲν πρῶτον Ζάγκλη ἦν ὑπὸ τῶν Σικελῶν κληθεῖσα, ὅτι δρεπανοειδὲς τὸ χωρίον τὴν ἰδέαν ἐστί, τὸ δὲ δρέπανον οἱ Σικελοὶ ζάγκλον καλοῦσιν· ὕστερον δὲ — τὴν πόλιν Ἀναξίλας Μεσσήνην ὠνόμασε. 375. Edd. quaed. *Himeram, et*, quod Gierig. praefert; tum vero scribendum erat *Himeran, et*. At noster genus et declinationem nominis *Himerae* more suo mutavit, codd. quidem illam correctionem respuunt. Idem Gierig. *Hieram* legi posse censet. — Alii *Agrigentaq., Acracantaq., Agragantaq.*, nostr. scr. et rec. Hs. — Idem mav. c. uno mel. *Tauromenenque*. 476. Pleriq. *Sacrarumq.*, quat. *Sacratumq.* — Plurimi *Melam*. Plin. H. N. II, 98. *Circa Messanam, et Mylas simo similia exspuuntur in litus purgamenta, unde fabula, Solis boves ibi stabulari*. De Solis bobus Homer. Od. XII, 262.

Hinc Camerinan adit, Thapsonque et Heloria tempe,
  Quaque patet Zephyro semper apertus Eryx.
Iamque Peloriaden, Lilybaeaque, iamque Pachynon
  Lustrarat, terrae cornua prima suae.
Quacumque ingreditur, miseris loca cuncta querelis
  Implet, ut amissum quum gemit ales Ityn;
Perque vices modo, *Persephone*, modo, *Filia*, clamat,
  Clamat, et alternis nomen utrumque ciet.
Sed neque Persephone Cererem, neque filia matrem
  Audit, et alternis nomen utrumque perit.
Unaque, pastorem vidisset an arva colentem,
  Vox erat, *Hac gressus si qua puella tulit?*
Iam color unus inest rebus, tenebrisque teguntur
  Omnia; iam vigiles conticuere canes.
Alta iacet vasti super ora Typhoëos Aetne,
  Cuius anhelatis ignibus ardet humus.
Illic accendit geminas pro lampade pinus:
  Hinc Cereris sacris nunc quoque taeda datur.

---

477. Alii *Camarinan.* — Alii *Thapsumq.* — Alii *Oloria*, al. *Eloria.* 478. Meliores *patet*, quod Hs rec., cet. *iacet.* 480. Burm. rec. Ian. Ulitii coniecturam *trina*, quam Hs, etsi ei placet, non rec. Ego lect. omnium revocavi. *Cornua* sunt tantum *montes, iuga; corn. prima* sunt *promontoria.* 482. Un. *congemit.* Quem cantum pulchre describit Homer. Od. XIX, 521. ἥ τε Θαμὰ τρωπῶσα χέει πολυηχέα φωνήν, Παῖδ' ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον — 483. Duo *vicem.* — Edd. vett. quaed. *Filia mater*, quod non male conveniens esse sequentibus ait Burm. Repetitum *clamat*, in quo nulla vis sit, Gierig. non placet, nec tamen quidquam mutat. 484. Un. *Vocibus alternis.* 487. Edd. vett. et un. cod. *Vinaque.* — Tres *in arva*, un. *ut arva.* 488. Edd. quaed. *ecqua*, codd. omnes *si qua*, quod Hs rec. Virg. A. I, 322. *Heus iuvenes monstrate, mearum Vidistis si quam hic errantem forte sororum.* 489. Similiter Virg. A. VI, 272. *rebus nox abstulit atra colorem.* 491. Meliores *Aetne*, quod Hs rec., cet. *Aetna.* 492. Un. *ab elatis.* Cf. I, 573. 493. Homer. Cer. 47. Ἐννῆμαρ μὲν ἔπειτα κατὰ χθόνα πότνια Δηὼ Σἰρωφᾶτ', αἰθομένας δαΐδας μετὰ χερσὶν ἔχουσα. Cic. Verr. IV, 48. *Filiam quum investigare et conquirere Ceres vellet, dicitur inflammasse taedas iis ignibus, qui ex Aetnae vertice erumpunt, quas sibi quum ipsa praeferret, orbem omnium peragrasse terrarum.* 494. Un. *Cereri.*

Est specus exesi structura pumicis asper;
Non homini regio, non adeunda ferae.
Quo simul ac venit, frenatos curribus angues
Iungit, et aequoreas sicca pererrat aquas.
Effugit et Syrtes, et te, Zanclaea Charybdi,
Et vos, Nisaei, naufraga monstra, canes;
Hadriacumque patens late, bimaremque Corinthon.
Sic venit ad portus, Attica terra, tuos.
Hic primum sedit gelido maestissima saxo.
Illud Cecropidae nunc quoque *triste* vocant.
Sub Iove duravit multis immota diebus,
Et lunae patiens, et pluvialis aquae.
Fors sua cuique loco est. Quo nunc Cerealis Eleusin,
Dicitur hoc Celei rura fuisse senis.

---

496. Optim. quisq. et multi alii *regio*, quod Hs rec., cet. *facilis*. 497. Pleriq. melior. *simul advenit*. Orph. H. 39, 14. de Cerere Ἅρμα δρακοντείοισιν ὑποζεύξασα χαλινοῖς. 498. Hs e melior. *Iungit* rec., cet. *Iunxit*. 499. Meliores *et S.*, quod Hs rec., cet. *ad S.* — Un. ex opt. *Charybdi*, quod Hs rec., cet. *Charybdis*. Ovid. M. VII, 63. *ratibus inimica Charybdis, Nunc sorbere fretum, nunc reddere; cinctaque saevis Scylla* (Nisi filia) *rapax canibus Siculo latrare profundo*. De Scyllae transformatione cf. M. XIII, 900. et Vossium Virg. E. VI, 74. 500. Alii *Scyllaei*, un. ex opt. *Phorbei*. — Quid. ex melior. *turba, canes*. 501. Hs ex quibusd. rec. *Corinthon*, cet. *Corinthum*. 504. Graeci ἀγέλαστος πέτρα ad puteum *Callichorum*. Callim. in Cer. 16. Τρὶς δ' ἐπὶ Καλλιχόρῳ χαμάδις ἐκαθίσσατο φρητί, Ἀνσταλέα ἄποτός τε, καὶ οὐ φάγες, οὐδ' ἐλοέσσω. Homer. Cer. 98. Ἕζετο δ' ἐγγὺς ὁδοῖο — Παρθενίῳ φρέατι — ἐν σκιῇ, αὐτὰρ ὕπερθε πεφύκει θάμνος ἐλαίης, Γρηῒ παλαιγενέϊ ἐναλίγκιος. Hesychius: Ἀγέλαστος πέτρα ἐν τῇ Ἀττικῇ, ἐφ' ἧς ἐκαθέσθη ἡ Δημήτηρ, ὅτε τὴν Κόρην ἐζήτει. 505. Un. *ignota*. 507. Ante Hs legebatur: *Qui nunc C. Eleusis Dicitur, hic C. rura fuere senis;* nostr. leet: ille e codd. vestigiis rec.; un. *nam qui Cer.*, alius *nam quae*, quinq. *ubi nunc*, alii *et qui nunc*, duo opt. et tres alii *quo nunc* — Meliores *Eleusin*. 508. Duo ex opt. *hoc*, alius ex opt. *haec fuisse*, alius *hic*, tres *fuisse*, cet. omnes *fuere*. *Celeus* Graece Κελεός. Homer. Cer. 97. Ὃς τότ'

Ille domum glandes excussaque mora rubetis
Portat, et arsuris arida ligna focis.
Filia parva duas redigebat rupe capellas,
Et tener in cunis filius aeger erat.
Mater, ait virgo, — mota est dea nomine matris —
Quid facis in solis incomitata iugis?
Restitit et senior, quamvis onus urget, et orat,
Tecta suae subeat quantulacumque casae.
Illa negat. — Simularat anum, mitraque capillos
Presserat. — Instanti talia dicta refert:
Sospes eas, semperque parens! Mihi filia rapta est.
Heu! melior quanto sors tua sorte mea!
Dixit, et, ut lacrimae, — neque enim lacrimare deorum est —
Decidit in tepidos lucida gutta sinus.
Flent pariter molles animis, virgoque senexque.
E quibus haec iusti verba fuere senis:
Sic tibi, quam raptam quereris, sit filia sospes;
Surge, nec exiguae despice tecta casae.

Ἐλευσῖνος θυοέσσης κοίρανος ἦεν. Ceterum conventum hominum multo aliter narrat, quam Noster.

511. Duo opt. *rupe*, cet. *monte*; duo *forte*. 514. Duo *non comitata*. — Un. ex opt. et decem alii *iugis*, quod Hs rec., cet. *locis*. 515. Quat. opt. et alii *Restitit*, quod Hs rec., cet. *Perstitit*. — Duo *urgeat, orat*. 516. Un. *ut subeat*. — Multi *qualiacumque*. 517. Un. *Simulavit*. Homer. Cer. 182. κατάκρηθεν κεκαλυμμένη· ἀμφὶ δὲ πέπλος Κυάνεος ῥαδινοῖσι θεᾶς ἐλελίζετο ποσσίν. 521. Un. *decorum*. Similiter Diana ad Hippolytum ap. Eurip. Hipp. 1396. Ὁρῶ· κατ' ὄσσων δ' οὐ θέμις βαλεῖν δάκρυ. De Apolline Ovid. M. II, 621. *Tum vero gemitus* (*neque enim coelestia tingui Ora licet lacrimis*) *alto de corde petitos edidit*. 522. Quinq. *trepidos*. — Un. ex opt. *lurida*, alius opt. *liquida*, alius *livida*. 523. Revocavi lect. plurimor., tres ex opt. et tres alii *animi*, quod Hs rec. 524. Duo opt. et duo alii *lassi*. 525. Alii *Sit tibi*. Nostrae similis optandi formula ap. Ovid. M. VIII, 857. *Sic mare compositum, sic sit tibi piscis in unda Credulus; — Dic, ubi sit, quae*. — Tibull. II, 6, 121. *Annue: sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli!* — Ex duob. opt. et multis al. *quereris*, Hs rec., cet. *quaeris*.

Cui dea, *Duc*, inquit: *scisti, qua eogere posses;*
Seque levat saxo, subsequiturque senem.
Dux comiti narrat, quam sit sibi filius aeger,
Nec capiat somnos, invigiletque malis.
Illa soporiferum, parvos initura penates,
Colligit agresti lene papaver humo.
Dum legit, oblito fertur gustasse palato,
Longamque imprudens exsoluisse famem.
Quae quia principio posuit ieiunia noctis,
Tempus habent Mystae sidera visa cibi.
Limen ut intravit, luctus videt omnia plena.
Iam spes in puero nulla salutis erat.
Matre salutata, — mater Metanira vocatur —
Iungere dignata est os puerile suo.

---

527. Optim. quisq. id quod Hs c. Neap. rec., ceter. *sic inquit.* 528. Un. *ducem.* 529. Alii *quod sit.* 531. Duo ex opt. *subitura:* 532. Quindec. *leve.* 534. Duo *Et longam.* Tamdiu enim, auctore Hom. Cer. 49. Οὐδέποτ' ἀμβροσίης καὶ νέκταρος ἡδυπότοιο Πάσσατ' ἀκηχεμένη, οὐδὲ χρόα βάλλετο λουτροῖς. Papaver, fertilitatis signum est Cereris ornatus. Ap. Theocr. Id. VII, 157. Δράγματα καὶ μάκωνας ἐν ἀμφοτέρῃσιν ἔχοισα. Virg. G. I, 212. *papaver Cereale.* — Similiter demum sole occidente bibit Callim. Cer. 8. Ἔσπερος, ὅσθε πιεῖν Δαμάτερα μῶνος ἔπεισεν. Hinc νησθεία initiatorum usq. ad solis occasum: hinc Athen. IV, p. 156. παρ' ὑμᾶς νησθείαν ἄγοντας καὶ περιμένοντας τὸ ἀνάτελλον ἄστρον. Suidas: Οἱ τὰ μυστήρια παραλαμβάνοντες λέγονται ἐν ἀρχῇ μὲν μύστ αι· μετ' ἐνιαυτὸν δὲ ἐπόπται καὶ ἔφοροι. 536. Ante Hs legebatur *mensae sidera visa sibi,* vel *coenae sidera.* — nostr. lect. rec. Hs ex quat. opt. et sex aliis, eique praeiverat I. Fr. Gronov. Observ. IV, 15. p. 700. Un. opt. *mixta,* duo opt. *mixti,* tres *mensae,* ceteri *coenae,* multi *mistae — sibi.* 539. Varie scribitur nomen in codd. *Menalina, Menalia, Melania, Materna, Melanira,* ut tres opt., et *Metania* unus ex opt., hinc Hs rec. *Metanira,* ut ipsa a plurimis vocatur, a Graecis Μετανείρα. Ita eam nominat iam Homerides H. Cer. 161, qui tamen puerum neque Triptolemum, sed Demophoonta appellat, neque aegrum fuisse refert, et eiusdem nutricem factam esse Cererem narrat, cuius cura (235) ἀέξετο δαίμονι ἶσος. 540. Pleriq. et edd. multi *Iungere,* quod Burm. rec., cet. *Tangere,* quod Hs servavit.

Pallor abit, subitaeque vigent in corpore vires.
Tantus coelesti venit ab ore vigor!
Tota domus laeta est, hoc est, materque, paterque,
Nataque: tres illi tota fuere domus.
Mox epulas ponunt, liquefacta coagula lacte,
Pomaque, et in teneris aurea mella favis.
Abstinet alma Ceres, somnique papavera causas
Dat tibi cum tepido lacte bibenda, puer.
Noctis erat medium, placidique silentia somni;
Triptolemum gremio sustulit illa suo,
Terque manu permulsit eum: tria carmina dixit,
Carmina mortali non referenda sono;
Inque foco pueri corpus vivente favilla
Obruit, humanum purget ut ignis onus.
Excutitur somno stulte pia mater, et amens,
Quid facis? exclamat, membraque ab igne rapit.

---

541. Un. ex opt. nostr. quod Burm. rec., cet. *subitasque vident*, quod Hs retinuit. 543. Decem *haec est*. Hs. mav. *domus est materque* contra suum morem repetita verba eiiciendi. Similiter Ovid. M. VIII, 638. *Tota domus duo sunt, idem parentque, iubentque* (Baucis et Philemon). 545. Quat. *lactis*. 546. Duo opt. et duo alii et plurim. edd. *teneris*, quod Hs servavit, multi etiam optimi *ceris — suis*. Hs mav. *cereis — favis*. 547. Un. *Ceris*. Homer. Cer. 200. ἀγέλασ]ος, ἄπασ]ος ἐδητύος ἠδὲ ποτῆτος Ἤσ]ο, πόθῳ μνύθουσα βαθύζώνοιο θυγατρός. 550. Tres *sustinet*. 551. Un. ex opt. *perm.*, *ad haec tria*, un. *puerum tersit*, duo *demulsit*. 552. Cf. III, 323. 554. Un. vulg. *opus*, quod rectius esse putat Burm. Horat. Serm. II, 2, 77. *Quin corpus onustum Hesternis vitiis animum quoque praegravat una, Atque affligit humo divinae particulam aurae. De igne* Hercules mortali corpore cremato Alcmenam matrem maerentem consolans ap. Senec. Herc. Oct. 1967. *Quidquid in nobis tui mortale fuerat, ignis iniectus tulit; paterna coelo pars data est, flammis tua.* Homer. Cer. 240. Νύκτας δὲ κρύπ]εσκε πυρὸς μένει, ἠύτε δαλόν. Καί κέν μιν ποίησεν ἀγήρων τ' ἀθάνατόν τε, Εἰ μὴ ἄρ' ἀφραδίῃσιν ἐὐζωνος Μετάνειρα — θυώδεος ἐκ θαλάμοιο Σκέψατο — 555. Multi *subito pia*.

Cui Dea, Dum non es, dixit, scelerata fuisti:
Irrita materno sunt mea dona metu.
Iste quidem mortalis erit, sed primus arabit,
Et seret, et culta praemia tollet humo.
Dixit, et egrediens nubem trahit, inque dracones
Transit, et aligero tollitur axe Ceres.
Sunion expositum, Piraeaque tuta recessu
Linquit, et in dextrum quae iacet ora latus.
Hinc init Aegaeum, quo Cycladas adspicit omnes,
Ioniumque rapax, Icariumque legit;
Perque urbes Asiae longum petit Hellespontum:
Diversumque locis alta pererrat iter.
Nam modo turilegos Arabas, modo despicit Indos:
Hinc Libys, hinc Meroe, siccaque terra subest.
Nunc adit Hesperios, Rhenum, Rhodanumque, Padumque,
Teque future parens, Tibri, potentis aquae.
Quo feror? immensum est erratas dicere terras:
Praeteritus Cereri nullus in orbe locus.

---

557. Optimi *es,* multi *vis.* — Plurimi *dixit,* quinq. *inquit.* — Ap. Ovid. M. III, 5. Agenor est *facto pius et sceleratus eodem.* Ib. VII, 171. Medea Iasoni, *Quod, inquit, Excidit ore pio, coniux, scelus?* 558. Un. *sint.* — Un. *mea verba.* 559. Duo *moriturus.* 560. Cf. I, 678. 561. Un. *inde drac.* Hs mav. *inde dracones Scandit* — Ita Venus ap. Virg. A. XII, 416. *obscuro faciem circumdata nimbo.* 562. Meliores *aligero,* quod Hs rec., cet. *alifero,* un. *anguifero.* 563. Virg. A. X, 694. *velut rupes, vastum quae prodit in aequor, Obvia ventorum furiis, expostaque ponto.* 564. Quid. *qua* — Tres *latet* — Un. *Ossa.* 565. Quid. *ait,* un. *legit* — Duo *quod.* — Quat. *inspicit.* 566. Meliores omnes *rapax,* quod Hs rec., cet. *capax* — Un. *Icariamque.* — Un. *petit.* 568. *Alta,* ut alias *sublimis.* Ovid. M. VIII, 815. *retroque dracones Egit in Haemoniam versis sublimis habenis.* 569. Un. *turileges.* — Septem *respicit.* Plin. H. N. XII, 14. *Tura praeter Arabiam nullis ac ne Arabiae quidem universae; pagus Sabaeorum regio turifera.* 570. Alii *Lybs* vel *Libs,* un. *Libye.* — Quinq. *Meroes.* Pomp. Mel. I, 9, 10. *Nilus circa Meroen late patentem insulam in Aethiopiam diffunditur.* 571. Un. *Hesperiam.* 572. Ovid. M. II, 259. *Cuique fuit rerum promissa potentia, Tibrin.* 573. *Erratae terrae.* Cf. III, 655.

Errat et in coelo, liquidique immunia ponti
Alloquitur gelido proxima signa polo:
Parrhasides stellae, — namque omnia nosse potestis,
Aequoreas numquam quum subeatis aquas —
Persephonen miserae natam monstrate parenti.
Dixerat: huic Helice talia verba refert:
Crimine nox vacua est. Solem de virgine rapta
Consule, qui late facta diurna videt.
Sol aditus, Quam quaeris, ait, ne vana labores,
Nupta Iovis fratri tertia regna tenet.
Questa diu secum sic est affata Tonantem:
— Maximaque in vultu signa dolentis erant —
Si memor es, de quo mihi sit Proserpina nata;
Dimidium curae debet habere tuae.
Orbe pererrato, sola est iniuria facti
Cognita: commissi praemia raptor habet.
At neque Persephone digna est praedone marito,
Nec gener hoc nobis more parandus erat.
Quid gravius victore Gyge captiva tulissem,
Quam nunc, te coeli sceptra tenente, tuli?

---

577. Quat. *scire pot.*, un. *ferre pot.* 578. De arcto iam Homer. Il. XVIII, 489. οἵη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο. De his stellis III, 107. Virg G. I, 246. *Arctos Oceani metuentes aequore tingui.* 582. Un. mel. *furta*, eleganter, ut ait Burm., alius *signa*. Ceres ap. Hom. Hymn. Cer. 69. σὺ γὰρ δὴ πᾶσαν ἐπὶ χθόνα καὶ κατὰ πόντον Αἰθέρος ἐκ δίης καταδέρκεαι ἀκτίνεσσιν. Il. III, 277. Ἥλιός θ', ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις. 586. Ovid M. V, 512. *ibi toto nubila vultu Ante Iovem passis stetit invidiosa capillis.* 587. Duo *a quo*, un. *mihi sit de quo.* 589. Quid. *facto*, un. *fati.* Burm. mav. *matri.* 590. Tres *frater habet.* 591. Tres *raptore mar.* 592. Un. mel. *piandus.* Scaliger leg. *Gye. Gyges*, unus ex Centimanis et Anguipedibus, de quibus Ovid. M. I, 183. *centum quisque parabant Inicere anguipedum captivo brachia coelo.* 594. Septem *regna.* — Un. *regente.*

Verum impune ferat: nos haec patiamur inultae.
Reddat, et emendet facta priora novis.
Iuppiter hanc lenit, factumque excusat amore,
Nec gener est nobis ille pudendus, ait.
Non ego nobilior. Posita est mihi regia coelo:
Possidet alter aquas: alter inane Chaos.
Sed si forte tibi non est mutabile pectus,
Statque semel iuncti rumpere vincla tori;
Hoc quoque tentemus, siquidem ieiuna remansit:
Sin minus, inferni coniugis uxor erit.
Tartara iussus adit sumptis Caducifer alis,
Speque redit citius, visaque certa refert.
Rapta tribus, dixit, solvit ieiunia granis,
Punica quae lento cortice poma tegunt.
Haud secus indoluit, quam si modo rapta fuisset,
Maesta parens, longa vixque refecta mora est.

---

595. Plurimi *feret.* — Un *non hoc,* sept. *nos hoc.* — Multi *patiemur.* 598. Un. opt. *pavendus,* alius *videndus,* duo *pudendus amor.* Hs mav. *pigendus.* Similia Solis Cererem solantis verba ap. Homer. Cer. 83. οὔ τοι ἀεικὴς Γαμβρὸς ἐν ἀθανάτοις πολυσημάντωρ Ἀϊδωνεύς, Αὐτοκασίγνητος καὶ ὁμόσπορος, ἀμφὶ δὲ τιμὴν Ἔλλαχεν, ὡς τὰ πρῶτα διάτριχα δασμὸς ἐτύχθη Τοῖς μέτα ναιετάει, τῶν ἔλλαχε κοίρανος εἶναι. 599. Un. *Cessit mihi regia coeli.* — Un. ex opt. et sexdecim al. *coeli.* Hs coni. *coelum.* 600. Virg. A. VI, 269. *Perque domos Ditis vacuas et inania regna.* Sil. Ital. XIII, 526. *In medio vastum late se tendit inane.* 601. Multi *Quod si.* 602. Tres *iura tori. Stat* ut Virg. A. II, 750. *Stat — rursus caput obiectare periclis.* 603. Cf. V, 446. 606. Optim. fere quisq. *certaq. visa* aut *visaque certa,* quod Hs rec., pleriq. *iussaque certa* aut *certaque iussa.* 607. Homer. Cer. 372. αὐτὰρ ὅγ' αὐτῇ Ῥοιῆς κόκκον ἔδωκε φαγεῖν μελιηδέα λάθρῃ, Ἀμφὶ ἑ νωμήσας ἵνα μὴ μένοι ἤματα πάντα Αἶδι παρ' αἰδοίῃ Δημήτερι. — In Orco sunt, auct. Homer. Od. XI, 589. Ὄγχναι καὶ ῥοιαὶ καὶ μηλέαι ἀγλαόκαρποι, Συκαῖ τε γλυκεραὶ καὶ ἐλαῖαι τηλεθόωσαι. 608. Plurimi *in lento,* alii melior. sine *in,* et ita Hs. — Septem *duro cort.* — Duo *grana teg.* 610. Un. *sedens.*

Atque ita, Nec nobis coelum est habitabile, dixit:
  Taenaria recipi me quoque valle iube.
Et factura fuit, pactus nisi Iuppiter esset,
  Bis tribus ut coelo mensibus illa foret.
Tum demum vultumque Ceres animumque recepit,
  Imposuitque suae spicea serta comae.
Largaque provenit cessatis messis in arvis,
  Et vix congestas area cepit opes.
Alba decent Cererem: vestes Cerealibus albas
  Sumite; nunc pulli velleris usus abest.

Occupat Aprilcs Idus cognomine Victor
  Iuppiter: hac illi sunt data templa die.
Hac quoque, ni fallor, populo dignissima nostro
  Atria Libertas coepit habere sua.

---

611. *est* deest in tribus, duo *habitabere*, hinc Hs coni *Nec coelum nobis habitabere*. Alii sic verba distinguunt: *Atque, Ita nec nobis*, quae distinctio Taubnero placet. 612. Ita opt. quisq. et alii multi, quod Hs rec., cet. *Tartarea*. 613. Un. *fruitura f.*, tres *fecisset idem*. Un. *foret*. 614. Homer. Cer. 445. (Iuppiter) Νεῦσε δέ οἱ κούρην ἔτεος περιτελλομένοιο Τὴν τριτάτην μὲν μοῖραν ὑπὸ ζόφον ἠερόεντα, Τὰς δὲ δύω παρὰ μητρὶ καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισιν. 615. Quat. ex opt. *vultusque*, quod Hs rec., cet. omnes *vultumque*, quod revocavi. — Un *Tunc demum mater vultumque animumque*, alius *mentemque Ceres*. — Un. ex melior. *refovit*, quod Hs plac. 617. Pleriq. opt. et sex alii *Longaque*. Homer. Hymn. Cer. 471. (Δημήτηρ) Αἶψα δὲ καρπὸν ἀνῆκεν ἀρούραων ἐριβώλων. Πᾶσα δὲ φύλλοισίν τε καὶ ἄνθεσιν εὐρεῖα χθὼν Ἔβρισεν. Cf. Ovid. M. V, 479. 619. Pleriq. optim. id, quod e. Ciof. Hs rec., cet. *Alba decet Cererem vestis*. Burm. mav. *festis Cer. albas*. Cf. V, 357. 622. Vota est haec aedes a. U. 459. a. C. 295. Cf. Liv. X, 29. Annum autem dedicationis nescimus. *Libertatis atria* quando facta dedicataque sint, non constat. Cf. Liv. XXIV, 16. Renovata sunt a U. 559. a. C. 195. Cf. Liv. XXXIV, 44. Amplissima fecit Asinius Pollio Augusto regnante. 623. Duo *si memini*. 624. Nonn. ex opt. *habere die*.

Luce secutura tutos pete, navita, portus:
Ventus ab occasu grandine mixtus erit.
Scilicet, ut fuerit, tamen hac Mutinensia Caesar
Grandine militia contudit arma sua.

Tertia post Veneris quum lux surrexerit Idus,
Pontifices, forda sacra litate bove.
Forda ferens bos est fecundaque, dicta ferendo:
Hinc etiam *fetus* nomen habere putant.
Nunc gravidum pecus est: gravidae nunc semine terrae.
Telluri plenae victima plena datur.
Pars cadit arce Iovis: ter denas Curia vaccas
Accipit, et largo sparsa cruore madet.
Ast ubi visceribus vitulos rapuere ministri,
Sectaque fumosis exta dedere focis;

---

625. Similiter Virg. G. I, 456. *Non illa quisquam me nocte per altum Ire, neque a terra moneat convellere funem.* Colum. R. R. XI, 2, 36. *Decimo octavo Kal. Maias ventosa tempestas et imbres, nec hoc constanter.* 626. Cf. V, 161. 627. Duo opt. et sex alii *Scilicet et fuerit,* sex opt. et quinq. alii *Sit licet, ut fuerit,* quod Burm. rec. Hs coni. et rec. *Scilicet, ut f.,* quod ego iterum reduxi, ceteri *Sit licet, et f.,* quod Gier. rec. Illud *ut* sequente *tamen* est i. q. *ut ut,* et de partic. *Scilicet* cf. Voss. Virg. G. I, 282. 628. Plurimi *contudit,* quod c. Hs servavi; sex opt. aliiq. multi *perculit,* quod alii praeferunt; alii *pertulit,* un. ex opt. *pertudit,* quod ut gravius Hs mav. Pugna facta a. U. 711. a. C. 43. De verbo *contundere* cf. IV, 380. VI, 361. Horat. Od. III, 6, 10. *Pacori manus Non auspicatos contudit impetus.* 630. Varro L. L. V. p. 55. *Fordicidia a fordis bubus. Bos forda, quae fert in ventre; quod ea die publice immolantur boves praegnantes in curiis complures. A fordis caedendis Fordicidia dicta.* Idem R. R. II, 5, 6. illa *Hordicidia* sive *Hordicalia,* hanc *hordam* nominat, qui Sabinorum erat sermo. 631. Un. ex opt. *ferundo.* 633. Plurimi *gravidae quoque;* quinq. opt. et alii *grav. nunc,* quod Hs rec., un. *pro sem.* — Duo *germine.* 635. Duo *tradendas Cur.*

Igne cremat vitulos, quae natu maxima Virgo est,
  Luce Palis populos purget ut ille cinis.
Rege Numa, fructu non respondente labori,
  Irrita decepti vota colentis erant.
Nam modo siccus erat gelidis Aquilonibus annus,
  Nunc ager assidua luxuriabat aqua;
Saepe Ceres primis dominum fallebat in herbis,
  Et levis obsesso stabat avena solo:
Et pecus ante diem partus edebat acerbos,
  Agnaque nascendo saepe necabat ovem.
Silva vetus nullaque diu violata securi
  Stabat, Maenalio sacra relicta deo.
Ille dabat tacitis animo responsa quieto
  Noctibus. Hic geminas rex Numa mactat oves.
Prima cadit Fauno, leni cadit altera Somno.
  Sternitur in duro vellus utrumque solo.

---

639. Un. ex opt. *cremet*, alius *cremant*, alius *creant*. — Hs in fine nulla codd. auctor. omisit *est*, quod reduxi. Gierig. *maxima Virgo* commate seiungit. 640. Quat. *palam* cf. 725 et 733. 641. Virg. G. I, 47. *Illa seges demum votis respondet avari Agricolae* —. 643. Plin. H. N. II, 47. *Ventorum frigidissimi sunt, quos a Septentrione diximus spirare; ii et reliquos compescunt et nubes abigunt.* 644. Un. *exigua*. 645. Duo mel. *dominos* — Un. ex mel. *fall. aristis*. Tibull. II, 1, 19. deos precatur, *Ne seges eludat messem fallacibus herbis*. 646. Un. *oppresso*. Virg. G. I, 154. *interque nitentia culta Infelix lolium et steriles dominantur avenae*. 647. Quat. *fetus*. 648. Quat. *necavit*. 649. Plurimi *die*. 650. Un. *sera rel.* Cf. III, 84. 651. Tres opt. et quat. al. *Ille*, quod Hs rec., ceteri *Illa*. Hs mav. *Inde*. De hoc Fauni oraculo et luco prope Albuneam Virg. A. VII, 86. *Huc dona sacerdos Quum tulit, et caesarum ovium sub nocte silenti Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit — Et varios audit voces, fruiturque deorum Colloquio.* — Hic somnus divinatorius ap. Latinos *incubare, incubatio*, ap. Graecos ἐγκοιμᾶσθαι, ἐγκοίμησις nominatur. Serv. Virg. l. c. *Incubare dicuntur proprie hi, qui dormiunt ad accipienda responsa*. Cf. F. A. Wolfii Miscellanea p. 382. 652. Pleriq. *Hinc*, un. *His*. 653. Un. *datur F.*

Bis caput intonsum fontana spargitur unda,
Bis sua faginea tempora fronde tegit.
Usus abest Veneris: nec fas animalia mensis
Ponere, nec digitis annulus ullus inest.
Veste rudi tectus supra nova vellera corpus
Ponit, adorato per sua verba deo.
Interea placidam redimita papavere frontem
Nox venit, et secum somnia nigra trahit.
Faunus adest, oviumque premens pede vellera duro,
Edidit a dextro talia dicta toro:
Morte boum tibi, Rex, Tellus placanda duarum:
Det sacris animas una necata duas.
Excutitur terrore quies; Numa visa revolvit,
Et secum ambages caecaque iussa refert.
Expedit errantem nemori gratissima coniux,
Et dixit, *Gravidae posceris exta bovis.*

---

655. Etsi auctore Virg. E. VIII, 75. *numero deus impare gaudet,* tamen hic ne offende *binario* numero, quum duo hic fiant sacrificia. Cf. 314. 778. De *intonso* cf. II, 30. 656. Duo ex opt. et sex al. *premit,* quod Hs rec., ego ceter. lect. servavi. Plin. H. N. XVI, 9. *In quodam usu sacrorum religiosus est fagi cortex.* Eadem, ut quercus et ilex, tamquam arbor glandifera, Fauno erat sacra, praesertim quum divinatoria esset arbor. Cf. Herodot. II, 55. 657. Un. *habet.* Cf. ad 318. II, 328. 659. Quid. *Vesper ubi est,* — Quinq. opt. multiq. alii *tectus,* quod recepi; Hs lect. ceteror. *tectum* retinuit. 661. Cf. 547. Tibull. II, 1, 89. *Postque venit tacitus furvis circumdatus alis Somnus, et incerto Somnia nigra pede.* Eurip. Hec. 71. Μελανοπτερύγων μᾶτερ Ὀνείρων. 662. Un. *tulit.* 664. Quat. opt. et sex al. *dicta,* quod Hs rec., cet. *verba.* — Un *solo.* 665. Un. ex opt. et sept. al. *duorum.* 666. Meliores *Det* aut *Detque,* un. ex mel. *Detque satis,* nostr. Hs rec., cet. *Dat* — Plurimi *una iuvenca.* 667. Un. *Exuitur.* — Optim. fere quisq. et multi alii *revolvit,* quod Hs c. Ciof. et Neap. rec., cet. *resolvit.* 668. Optimi et alii multi *iussa,* quod Hs rec., cet. *caecaq. visa* aut *visaque caeca.* Ovid. M. I, 388. (Deucalion et Pyrrha) *Interea repetunt caecis obscura latebris Verba datae sortis secum, inter seque volutant.* 669. Hs mav. *haerentem.* Cf. III, 275. De verbo *errare* IV, 261.

Exta bovis dantur gravidae; felicior annus
Provenit, et fructum terra pecusque ferunt.
Hanc quondam Cytherea diem properantius ire
Iussit, et aetherios praecipitavit equos,
Ut titulum imperii quam primum luce sequenti
Augusto iuveni prospera bella darent.

Sed iam praeteritas quartus ubi Lucifer Idus
Respicit, hac Hyades Dorida nocte petunt.

Tertia post Hyadas quum lux erit orta remotas,
Carcere partitos Circus habebit equos.
Cur igitur missae vinctis ardentia taedis
Terga ferant vulpes, causa docenda mihi.
Frigida Carseolis, nec olivis apta ferendis
Terra, sed ad segetes ingeniosus ager.
Hac ego Pelignos, natalia rura, petebam,
Parva, sed assiduis humida semper aquis,

---

671. Quinq. ex opt. *felicior*, quod Hs rec. cet. *fecundior*. 673. Cur Venus cf. IV, 36. Simile quid V, 545. Ap. Homer. Il. XVIII, 239. Ἠέλιον δ' ἀκάμαντα βοῶπις πότνια Ἥρη Πέμψεν ἐπ' Ὠκεανοῖο ῥοὰς ἀέκοντα νέεσθαι. 674. Hs ex nonn. melior. rec. *aetherios*; un. *et alatos*, cet. *et admissos*. 675. Quid. *cum primum*, un. ex mel. *Ut primum imperii sua praemia l. seq.* Burm. coni. *Ut tit. imp., sua praemia, l. seq.* Hoc factum a. U. 725. a. C. 29. Cf. Dio Cass. LII, 41. 676. Multi *signa d.* 677. Omnes fere *ubi*, quod reduxi; duo ex opt. et alii nonn. *tibi*, quod Hs rec. 678. Quat. opt. et sex al. *petunt*, quod Hs rec., cet. *tenent*. Cf. V, 165. 679. Un. mel. *post Idus*. 680. Un. *ludus hab.* — Duo *habebat*. 681. Omnes fere *iunctis*, tres *cinctis*, un. *rictis*, un. opt. *vinctis*, quod Hs rec. Quinq. *taedis unctis ardentia missae*. 683. Codd. omnes *Carseolis*, quod revocavi; unus tantum ex opt. *pars eoli*, unde Hs fec. et rec. *Carseoli*. 684. *Ingenium* de terra. Virg. G. II, 177. *Nunc locus arvorum ingeniis*. Colum. R. R. III, 1. *Arbores silvestres sui cuiusque ingenii poma gerunt*. 686. Multi *obvia semper*, quod Gier. placet, un. pro div. lect. *uvida*, quod Hs rec., cet. omnes *humida*, quod restitui. Noster Amor. II, 16, 1. *Pars me Sulmo tenet Peligni tertia ruris, Parva, sed irriguis ora salubris aquis*.

Hospitis antiqui solitas intravimus aedes:
Dempserat emeritis iam iuga Phoebus equis.
Is mihi multa quidem, sed et haec, narrare solebat,
Unde meum praesens instrueretur opus:
Hoc, ait, in campo — campumque ostendit — habebat
Rus breve cum duro parca colona viro.
Ille suam peragebat humum, sive usus aratri,
Seu curvae falcis, sive bidentis erat.
Haec modo verrebat stantem tibicine villam:
Nunc matris plumis ova fovenda dabat;
Aut virides malvas, aut fungos colligit albos,
Aut humilem grato calfacit igne focum.
Et tamen assiduis exercet brachia telis,
Adversusque minas frigoris arma parat.
Filius huius erat primo lascivus in aevo,
Addideratque annos ad duo lustra duos.
Is capit extremi vulpem convalle salicti:
Abstulerat multas illa cohortis aves.

---

687. Tres ex opt. et novem al. *fidas*, quod aliis placet. 690. Hs mav. *mihi*. 693. Gierig. non plac. *peragebat*, alius vir doctus coni. *subigebat*, etsi mutari quidquam non sit necesse. 694. Tres ex opt. et duo opt. a manu prim. et sex al. *cavae*, quod Hs rec., cet. omnes *curvae*, quod servavi, un. ex opt. *sive citruae*. 695. Optim. fere quisq. et edd. quaed. id, quod Hs rec.; quat. *stanti tib. villam*, quid. *pectine telam*, alii *tib. telam*, nonn. *raro tib. pratum*, un. *stanti tib. partum*, alius pro div. lect. *stanti tib. cellam*, quid. *raro cum pectine terram*, quod Iul. Caes. Scaliger praefert. Edd. quaed. *cum raro pectine pratum*. 697. Horat. Ep. II, 57. *et gravi Malvae salubres corpori*. Ibid, 43. rustica *Sacrum vetustis exstruit lignis focum Lassi sub adventum viri*. 699. Ut illa ap. Virg. G. I, 293. *Interea longum cantu solata laborem Arguto coniux percurrit pectine telas*. 700. Quat. ex vulg. *Adversumque*, quod tamquam ἀρχαϊκόν Hs rec.; ego ceter. lect. servavi. Ovid. M. XV, 471. *Horriferum contra Borean ovis arma ministrat*. 701. Un. *huic fuerat* — Un. *primis* — *in annis*. 703. Duo opt. *sub valle*, quod Hs rec., quid. mel. *de valle*, tres et edd. *in convalle*, cet. *convalle*, quod reduxi. 704. Varro R. R. III, 3, 6. *Duo erant aviaria sive cohortes; una*

Captivam stipula fenoque involvit, et ignes
  Admovet. Urentes effugit illa manus.
Qua fugit, incendit vestitos messibus agros:
  Damnosis vires ignibus aura dabat.
Factum abiit: monumenta manent; nam vivere captam
  Nunc quoque lex vulpem Carseolana vetat.
Utque luat poenas gens haec, Cerealibus ardet,
  Quoque modo segetes perdidit, ipsa perit.

Postera quum veniet terras visura patentes
  Memnonis in roseis lutea mater equis;
De duce lanigeri pecoris, qui prodidit Hellen,
  Sol abit: egresso victima maior adest.
Vacca sit an taurus, non est cognoscere promptum:
  Pars prior apparet: posteriora latent.
Seu tamen est taurus, sive est hoc femina signum,
  Iunone invita munus amoris habet.

---

una in plano, in qua pascebantur gallinae; altera sublimis, in qua erant columbae in turribus aut summa villa.

707. Un. ex opt. et duo al. *accendit*, un. *abscondit*. 709. Un. ex opt. *patent*, quod Hs et Burm. plac., un. *monent*. — Tres opt. et tres alii c. edd. quib. *vivere captam*, quod Hs rec., plurimi *dicere certam*, un. *dic. curtam*, alius *dic. cautam*, alius *dic. caecam*, alius *cernere cunctam*, alius *ducere certam*, unde Hs coni. *ducere captam*. 711. Quat. opt. et multi al. *gens haec*, quod Hs rec., cet. *genus hoc*. 713. Hic et septem seqq. versus in quibusd. ante vs. 679. leguntur. — Multi *Proxima*, Hs e cet. rec. *Postera*. — Un. *nitentes*. 714. Ovid. M. XIII, 579. *Phrygiis quem* (Memnonem) *lutea campis Vidit Achillea pereuntem cuspide mater*. Virg. A. VII, 25. *aethere ab alto Aurora in roseis fulgebat lutea bigis*. 715. Hs nulla cod. auctoritate scr. et rec. *E duce*, cet. omn. *De d.* quod servavi. Cf. III, 852. — Quinq. *pecudis*, duo *lanigerae pecudis*. — Quinq. opt. et septem al. *prodidit*, quod Hs rec., cet. *perdidit*. Caesar Germ. Arat. Phaen. 527. *Nobilis hic Aries aurato vellere, quondam Qui tulit in Tauros Phrixum, qui prodidit Hellen*. 717. De hoc sidere copiosius V, 617. 718. Duo mel. et quinq. alii *posteriorque latet*. 719. Un. *hoc taurus*, alius *Sive est hoc t.* 720. Octo *honoris*.

Nox abiit, orituraque Aurora. Palilia poscor.
Non poscor frustra, si favet alma Pales.
Alma Pales, faveas pastoria sacra canenti,
Prosequor officio si tua festa pio.
Certe ego de vitulo cinerem stipulasque fabales
Saepe tuli plena februa casta manu.
Certe ego transilui positas ter in ordine flammas,
Udaque roratas laurea misit aquas.
Mota dea est, operique favet. Navalibus exit
Puppis: habent ventos iam mea vela suos.
I, pete virginea, populus, sufflmen ab ara:
Vesta dabit; Vestae munere purus eris.

---

721. Duo mel. *abit exoriturque.* Hs mav. *orerisque A.* — Pleriq. *Palilia,* al. *Parilia. Poscor* absolute. Horat. Od. I, 32, 1. *Poscimur.* Ovid. M. V, 333. *Poscimur Aonides.* — Varro l. L. V. p. 55. *Palilia dicta a Pale, quod feriae ei deae fiunt.* Serv. Virg. G. III, 1. *Pales dea est pabuli, quam alii Vestam, alii matrem deum volunt. Hanc Virgilius genere femínino* (magna Pales) *appellat, alii inter quos Varro, masculino genere.* Charis. I. p. 55. *Pales dea pastoralis est, cuius dies festus Palilia dicuntur; nisi quod quidam a partu Iliae Parilia dicere maluerunt.* 722. Burm. mav. *poscar.* 723. Alii *pastorum.* Qui codd. hoc illudve legant, non refertur. Edd. ante Hs plurim. *pastorum.* 724. Multi *Persequor.* — Meliores ita, ut Hs rec., alii *tua facta meo.* Scaliger mav. *tua sacra meo.* 725. Cf. 637. — Alii *stipulamq. fabalem,* un. *stipulamq. fabalis,* unde Hs mav. *stipulaque fabali.* 726. Quat. opt. et alii *casta,* quod Hs rec., cet. *tosta*; duo opt. *fercula tosta.* Cf. II, 19. 727. Pleriq. *transilui,* quod Hs rec., cet. *transilii.* De forma v. Struve Ueber d. lat. Declin. u. Coniug. p. 196. 728. Omnes *Udaque,* quod reduxi; Hs ex suo ingenio rec. *Virgaque.* Cf. V, 677. — Melior. pleriq. *roratas,* quod Hs rec., tres *rorantes,* cet. *rorales.* Cf. 778. 729. Omnes *exit,* quod reduxi. Hs ex suo ingenio rec. *exi,* quum in versu 730. duo ex opt. et alius pro div. lect. legant *tua vela,* quod idem rec., ego cet. omnium *mea v.* servavi. — Un. *habet — mea cymba suos,* alius *vela bonos.* Cf. I, 4. Virg. G. II, 39. *Tuque ades — Maecenas, pelagoque volens da vela patenti.* 731. Multi *populo,* alii *populum,* un. *populis,* alius *popule.* 732. Tres mel. et duo al. *tutus,* un. *totus,* alius *mundus.* — Tres opt. *abis.* Hs mav. *abi.*

Sanguis equi suffimen erit, vitulique favilla.
Tertia res durae culmen inane fabae.
Pastor, oves saturas ad prima crepuscula lustra.
Unda prius spargat, virgaque verrat humum.
Frondibus et fixis decorentur ovilia ramis,
Et tegat ornatas longa corona fores.
Caerulei fiant vivo de sulfure fumi;
Tactaque fumanti sulfure balet ovis.
Ure maris rores, taedámque, herbasque Sabinas,
Et crepet in mediis laurus adusta focis;
Libaque de milio milii fiscella sequatur:
Rustica praecipue est hoc dea laeta cibo.

---

733. Un. ex opt. *equae.* Propert. IV, (V), 1, 19. *Annuaque accenso celebrare Palilia fœno, Qualia nunc curto lustra novantur equo.* Festus: *October equus appellabatur, qui in campo Martio mense Octobri Marti immolabatur, cuius cauda, ut ex ea sanguis in focum destillaret, magna celeritate perferebatur in regiam.* 735. Tres opt. et plurimi praeterea *lustra,* quod Hs rec., multi ex mel. *lustrat,* cet. *lustret.* 736. Ex uno opt. et Ian. Ulitii coniectura rec. Hs *Uda,* cet. nostr. legunt, quod c. Gier. rec. — Un. ex opt. et alius opt. a manu pr. *vergat,* unde Hs mav. *tergat.* 738. Alii *Obtegat* — Un. *multa cor.* 739. Sex opt. et octo al. *vivo,* quod Hs rec., cet. *puro. Sulfur* ab aliis aliter scribitur. De sulfure Plin. H. N. XXXV, 15. *Habet in religionibus locum ad expiandas suffitu domos.* Propert. IV, 8, 86 *Terque meum tetigit sulfuris igne caput.* Iam Homer. Od. XXII, 481. Θέειον, κακῶν ὄλεθρος. 740. Quat. opt. et sex al. *Tactaque,* quod Hs rec., cet. *Tectaque.* — Un. mel. *fumaci.* 741. Duo opt. et decem al. *maris rores,* quod recepi, nonn. *maris rorem,* cet. *mares oleas,* quod Hs et Gier. servaverunt. Cf. II, 25. Plin. H. N. XVI, 10. *Sextum genus* (pinus) *est taeda proprie dicta, abundantior succo, quam reliqua, liquidior quam picea, flammis ac lumini sacrorum etiam grata.* Virg. A. VII, 71. *castis adolet dum altaria tædis.* Herbae Sabinae cf. I, 343. Plin. H. N. XXIV, 11, 61. *A multis in suffitus pro ture assumitur.* 742. Duo *concrepet.* Cf. I, 343. 743. Nonn. *milium fisc.* — Novem *sequetur,* cet. *sequatur,* quod Hs rec. 744. Hs nulla cod. auctor. rec. *praec. quod l. cibo est;* nostr. legunt omnes, quod restitui; unus tantum ex opt. *est hoc — cibo est.*

Adde dapes mulctramque suas: dapibusque resectis
Silvicolam tepido lacte precare Palen.
Consule, dic, pecori pariter pecorisque magistris:
Effugiat stabulis noxa repulsa meis.
Sive sacro pavi, sedive sub arbore sacra,
Pabulaque in bustis inscia carpsit ovis:
Seu nemus intravi vetitum, nostrisve fugatae
Sunt oculis Nymphae, semicaperve deus:
Seu mea falx ramo lucum spoliavit opaco,
Unde data est aegrae fiscina frondis ovi;
Da veniam culpae: nec, dum degrandinat, obsit
Agresti Fauno supposuisse pecus;
Nec noceat turbasse lacus. Ignoscite, Nymphae,
Mota quod obscuras ungula fecit aquas.

---

745. Codd. plurimi *multramque*, unde Hs nostr. fec. et rec., quamquam *mulctrumque*, mavult; cet. *in utrumque* aut *in utramque*, duo *in utraque*, un. *in utrasque*. Hs mav. *Adde dapi mulctramque suae* — Gier. mav. *tuas*. — Optimi et plurimi al. aut *refectis* aut *resectis*, quod Hs rec., aut *relictis*, quinque *remotis*, alii *paratis*, duo *refertis*. Burm. coni. *peractis*, Gierig *refectus*. 746. Tibull. I, 1, 36. *Et placidam soleo spargere lacte Palen*. 749. Alii *sacra*, cet. *sacro*, quod c. Neap. Hs rec., nec tamen, utra lectio potiorem habeat codd. auctoritatem, ab interprett. annotatur. Gier. praetulit *sacra*. 750. Opt. pleriq. et multi al. *in*, quod Hs rec., cet. *e bust.*, quod Neap. placet. 751. Codd. fere omnes *Si* legere videntur, ut etiam postea, *Si mea;* un. tantum ex opt. *Seu*, quod Hs rec. praecuntibus nonn. edd. — Alii *intravit;* nostr. c. Neap. Hs rec. — Alii *nostrisque*. 752. Un. *Sint*. — Alii *semicaperque*. Cf. V, 101. 753. Quat. *opacum*. 754. Alii *tenerae*. — Sept. *fascina*, un. *fascia*, tres *fuscina*. 755. Hs mav. *dum, dea, grandinat*. Burm. leg. *degrandinet, dum* pro *donec* capiens. 756. Pleriq. *Fauno*, quod Burm. placet, et ego servavi; pauci *famo*, quod Hs rec. Cf. II, 193. 757. Meliores *Nec*, alii *Ne*. 758. Codd. omnes *Mota*, quod Burm. reduxit; un. mel. *Nota*, unde Hs coni. et rec. *Lota*, quod aliis quoque, ut Bauero ad Sanct. Min T. I. p. 132. placet. — Plurimi *virgula*.

Tu, dea, pro nobis Fontes fontanaque placa
Numina; tu sparsos per nemus omne deos.
Nec Dryadas, nec nos videamus labra Dianae
Nec Faunum, medio quum premit arva die.
Pelle procul morbos. Valeant hominesque gregesque;
Et valeant vigiles, provida turba, canes;
Neve minus multas redigam, quam mane fuerunt,
Neve gemam referens vellera rapta lupo.
Absit iniqua fames. Herbae frondesque supersint,
Quaeque lavent artus, quaeque bibantur, aquae.
Ubera plena premam: referat mihi caseus aera,
Dentque viam liquido vimina rara sero;
Sitque salax aries, conceptaque semina coniux
Reddat, et in stabulo multa sit agna meo;
Lanaque proveniat, nullas laesura puellas,
Mollis, et ad teneras quamlibet apta manus.
Quae precor, eveniant: et nos faciamus ad annum
Pastorum dominae grandia liba Pali.

---

759. Un. *montanaque.* — Duo opt. et alii duo *praesta,* quod Hs plac. 760. Un. *sparsas — deas.* 761. Hs mav. *Dryadum.* Dianae labra Actaeonis infortunio timenda. Cf. M. III, 161 sq. 762. Quat. *media* — Duo *premet,* un. *premat.* Theocr. Id. I, 15. Οὐ Θέμις, ὦ ποιμὰν, τὸ μεσαμβρινὸν, οὐ Θέμις ἄμμιν Συρίσδεν· τὸν Πᾶνα δεδοίκαμες· ἢ γὰρ ἀπ' ἄγρας Ταγίκα κεκμακὼς ἀμπαύεται· ἐντί γε πικρός. 763. Un. ex opt. *precor.* — Un. *pecudesq. gregesq.* Similes preces ap. Tibull. II, 1, 18. *Vos mala de nostris tollite limitibus; Neu seges eludat messem fallacibus herbis, Neu timeat veleres segnior agna lupos.* 765. Tres opt. pluresq. alii *multo,* quod Hs rec., quat. opt. et al. *multos:* ego ceter. lect. c. Taubnero et Heinzio (Opusc. p. 229) retinui. Lenz coni. *mulctro.* 766. Sex *gemens referam.* 768. Nonn. *levent* — Duo *quaere.* 769. Virg. E. I, 35. *quamvis Pinguis et ingratae premeretur caseus urbi, Non umquam gravis aere domum mihi dextra redibat.* 770. Tibull. II, 3, 17. *Tum fiscella levi detexta est vimine iunci, Raraque per nexus est via facta sero.* 772. Alii et edd. quaed. *stabulis — meis.* Tib. II, 1, 61. *Rure etiam teneris curam exhibitura puellis Molle gerit tergo lucida vellus ovis.* 774. Nonn. *quaelibet* aut *quaslibet.* 775. Hs mav. *evenient; at nos* — Un. *in annum.*

His dea placanda est: haec tu conversus ad ortus
Dic ter, et in vivo perlue rore manus.
Tum licet, apposita, veluti cratere, camella,
Lac niveum potes, purpureamque sapam;
Moxque per ardentes stipulae crepitantis acervos
Traiicias celeri strenua membra pede.
Expositus mos est. Moris mihi restat origo.
Turba facit dubium, coeptaque nostra tenet.
Omnia purgat edax ignis, vitiumque metallis
Excoquit; idcirco cum duce purgat oves.
An, quia cunctarum contraria semina rerum
Sunt duo discordes, ignis et unda, dei;

---

778. Omnes fere: *Dic quater et vivo;* duo ex opt. *ter et in,* quod Hs rec., quamquam mav. *ter et i vivo;* nisi forte quis legere malit: *Dicque ter, et vivo.* — Un. mel. *prolue,* quod Burm. rec,, ego ceter. lect. servavi. *Ros* hic ut δρόσος, de quo Valcken. Eur. Hipp. 121. Ovid. M. III, 164. *Hic dea — solebat Virgineos artus liquido perfundere rore.* Ap. Liv. I, 45. Romanus sacerdos Sabino cuidam bovem sacrificaturo acclamat: *Quin tu ante vivo perfunderis flumine? Infima valle praefluit Tiberis.* Cf. V, 435. De *ternario numero* IV, 655. 779. Pleriq. *Tunc* aut *Tum,* quod Hs rec,, cet. *Dum,* un. *Tum dices, posita licet ut er.* — Alii *velut in* — Un. pro var. lect. *camilla.* G. Fabric. ad Horat. Od. I, 31. mav. *camelo,* et Mycill. *cumella.* 780. Un. opt. *Lac mistum,* probe, ut ait Hs. — Un. *sapar,* alius *sapum.* Festus: *Burranica potio appellatur lac commixtum sapa, a rufo colore, quem burrum vocat.* Plin. H. N. XIV, 9, 11. *Sapa fit musto usque ad tertiam partem mensurae decocto.* Contra Varro de vita pop. R. p. 240. *Sapam appellabant, quod de musto ad mediam partem decoxerant.* 781. Un. opt. *Moxque fac.* Hs mav. *Moxque face* aut *M. ter* — Un. a manu prim. *stipula crepitante sacerdos.* 782. Un. opt. *Traiiciat — turba pede,* alius ex opt. *Traiicias — turba;* duo *Transilias,* unde Hs mav. *Transilias — turba.* Propert. IV (V), 4, 77. *Quumque super raros feni flammantis acervos Traiicit immundos ebria turba pedes.* Tibull. II, 6, 89. *Ille* (pastor) *levis stipulae sollemnes potus acervos Accendet, flammas transilietque sacras.* 785. Meliores *metallis,* quod Hs rec., cet. *metalli.* 788. Hs coni. *dissortes.*

Iunxerunt elementa patres, aptumque putarunt
  Ignibus et sparsa tangere corpus aqua?
An, quod in his vitae causa est; haec perdidit exsul:
  His nova fit coniux: haec duo magna putant?
Vix equidem credo. Sunt qui Phaëthonta referri
  Credant, et nimias Deucalionis aquas.
Pars quoque, quum saxis pastores saxa ferirent,
  Scintillam subito prosiluisse ferunt.
Prima quidem periit: stipulis excepta secunda est.
  Hoc argumentum flamma Palilis habet.
An magis hunc morem pietas Aeneïa fecit,
  Innocuum victo cui dedit ignis iter?
Hoc tamen est vero propius, quum condita Roma est,
  Transferri iussos in nova tecta Lares,
Mutantesque domum tectis agrestibus ignem
  Et cessaturae supposuisse casae;

---

789. Un. *sanctumque*, alius *certumque*, alius *astumque*, al. *sanumq.* Burm. coni. *faustumque*. 790. Melior. pleriq. *tangere*, quod Hs rec., cet. *tingere*. 791. Hs mav. *perdit et*. Festus: *Aqua et igni interdici solet damnatis, quae accipiunt nuptae; videlicet quia hae duae res humanam vitam maxime continent*. 793. Post *credo* posui c. Gierig punctum pro colo aliorum. *Phaethon* ab aliis scribitur *Phaeton*. Cf M. II, 1 sq. 794. Hs mav. *Edant* aut *Prodant*, aut *Tradant* — Sex *et vivas*, un. *et multas*, al. *et veras*; certe latere mendum censet Hs et mav. *veteres*. Burm. coni. *tumidas*. Cf. M. I. 795 Octo *Pars q. pastorum cum saxis saxa feribant*. — Pleriq. *feribant*, quod reduxi; alii pleriq. *ferebant*, unde Hs fec. et rec. *terebant*. De forma v. Struve über lat. Decl. u. Coni. p. 137. 796. Un. mel. *tenuem pros.*, alius *saxo pros.* 798. Un. *argumentis*, alius *argumenti*, quod Hs rec., ego ceter. lect. servavi. — Alii *Palilis*. 800. Hs mav. *quam dedit*. — Cf. Virg. A. II, 632. *Ducente deo flammam inter et hostes Expedior: dant tela locum flammaeque recedunt*. 801. Pleriq. fere *Hoc*, quod restitui; alii multi *Nunc*, unde Hs scr. et rec *Nam*. 802. Tres *iussum est*, un. *iustum est*, septem *visum est*. Idem Dion. Hal. Antiq. I, 88 Μετὰ δὲ τοῦτο πυρκαϊὰς πρὸ τῶν σκηνῶν γενέσθαι κελεύσας ἐξάγει τὸν λεὼν τὰς φλόγας ὑπερθρώσκοντα τῆς ὀσιώσεως τῶν μιασμάτων ἕνεκα.

Per flammas saluisse pecus, saluisse colonos.
Quod fit natali nunc quoque, Roma, tuo.
Ipse locus causas vati facit. Urbis origo
Venit. Ades factis, magne Quirine, tuis.
Iam luerat poenas frater Numitoris, et omne
Pastorum gemino sub duce vulgus erat:
Contrahere agrestes, et moenia ponere utrique
Convenit. Ambigitur, moenia ponat uter.
Nil opus est, dixit, certamine, Romulus, ullo.
Magna fides avium est: experiamur aves.
Res placet. Alter init nemorosi saxa Palati:
Alter Aventinum mane cacumen init.
Sex Remus, hic volucres bis sex videt ordine. Pacto
Statur: et arbitrium Romulus urbis habet.
Apta dies legitur, qua moenia signet aratro.
Sacra Palis suberant: inde movetur opus.

---

805. Meliores *saluisse,* quod Hs rec., cet. *saliise.* Cf. supra 727. 806. Plutarch. Rom. 12. Ὅτι ἡ κλίσις ἡμέρᾳ γένοιτο τῇ πρὸ ἕνδεκα Καλανδῶν Μαΐων, ὁμολογεῖται· καὶ τὴν ἡμέραν ταύτην ἑορτάζουσι Ῥωμαῖοι, γενέθλιον τῆς πατρίδος ὀνομάζοντες. 807. Pleriq. *Ipse locum casus vati f.* aut *vati casus f.,* quat. opt. et alii nostr. quod Hs rec., quamquam mav. *Ipse locus casu vati f.* 808. Omnes codd. *factis,* quod restitui. Hs ex suo ingenio rec. *festis,* coniicit praeterea *fastis* vel *sacris,* et ex his tribus unum, quidquid obnitantur libri veteres, recipiendum esse censet. 809. Cf. III, 67. 810. Un. opt. *Pastoris.* Hs mav. *Pastores — erant.* 811. Quat. *uterque,* un. ex opt. *utrimque.* 812. Alii *Ambiguum est.* — Duo opt. et alii multi *moenia,* quod Hs rec., cet. *nomina.* Historiam v. ap. Liv. I, 6 et 7. Secundum plerosque de nomine urbis certabant. Ennius ap. Cic. Divin. I, 48. *Certabant, urbem Romam Remoramne vocarent.* Liv. I, 6. *Dii auguriis legerent, qui nomen novae urbi daret, qui conditam imperio regeret.* 815. Un. ex opt. et sex alii *adit.* 816. Omnes, ut ait Ciof., *init,* quod recepi. Hs nescio qua auctoritate *adit,* quod etiam edd. quaed. ante Hs legunt. 817. Edd. quaed. *Sex Rem. hic vol. bis sex v. ord. frater.* — Multi *Facto.* 819. Septem *quae m.,* quod Lenzio placet. 820. Multi scripti et editi *Pales.* Edd. quaed. *Pales aderat.*

Fossa fit ad solidum: fruges iaciuntur in ima,
Et de vicino terra petita solo.
Fossa repletur humo, plenaeque imponitur ara,
Et novus accenso fungitur igne focus.
Inde premens stivam designat moenia sulco;
Alba iugum niveo cum bove vacca tulit.
Vox fuit haec regis: Condenti, Iuppiter, urbem,
Et genitor Mavors, Vestaque mater ades,
Quosque pium est adhibere deos, advertite cuncti:
Auspicibus vobis hoc mihi surgat opus.
Longa sit huic aetas, dominaeque potentia terrae:
Sitque sub hac oriens occiduusque dies.
Ille precabatur: tonitru dedit omina laevo
Iuppiter, et laevo fulmina missa polo.
Augurio laeti iaciunt fundamina cives,
Et novus exiguo tempore murus erat.

---

821. Plurimi *solitum* — Un. *in imam*, alius *in imo*, al. *in illa*. Plutarch. Rom. 11. Βόθρος ὠρύγη περὶ τὸ νῦν Κομίτιον κυκλοτερὴς, ἀπαρχαί τε πάντων φύσει ἀναγκαίων ἀπετέθησαν ἐνταῦθα. Καὶ τέλος, ἐξ ἧς ἁφῖκτο γῆς ἕκαστος, ὀλίγην κομίζων μοῖραν, ἔβαλλον εἰς ταὐτὸ καὶ συνεμίγνυον. Εἶτα ὥσπερ κύκλον κέντρῳ, περιέγραψαν τὴν πόλιν. 823. Multi *terraeque*, un. *plenae imponuntur arenae*. 824. Pleriq. *finditur*, quod Gierig. rec., alii complures *funditur* vel *fingitur*, cet. *fungitur*, quod Hs servavit. — Duo *inde focus*. 825. Duo *Unde* — Un. *stipam*, tres *stiva*. Isidor. Orig. XV, 2. *Locus futurae civitatis sulco designabatur. Cato: Qui urbem, inquit, novam condit, tauro et vacca aret; ubi araverit, murum faciat; ubi portam vult esse, aratrum sustollat et portet, et portam vocet.* 826. Un. *trahit*. 827. Multi *Condentis*. 829. Un. *dei* — Quat. *advert. vultus*, un. *cunctos*, al. *certi*. 830. Duodec. *Auspicibusque bonis*, un. *Auspiciisque bonis*. — Un. ex opt. *hoc bene surg.*, alius *hoc breve*, alius *hoc modo*. 831. Duo ex opt. *domitaeque*. 832. Cf. II, 136. 833. Quinq. *loquebatur*. — Multi *omnia*. — Duo *laeta*, alius *laeva*, un. *laeto*, al. *dextro*, al. *plena*. 834. Un. *Iupp. e laevo*, alius *Tunc dedit et laevo*. Cf. III, 369. Plin. H. N. II, 53, 55. *Laeva fulmina prospera existimantur, quoniam laeva parte mundi ortus est*. Cf. II, 501. Aliter ap. Graecos. 835. Un. *laeto* — Duo ex opt. et quat. al. *faciunt*.

Hoc Celer urget opus, quem Romulus ipse vocarat;
Sintque, Celer, curae, dixerat, ista tuae,
Neve quis aut muros, aut factam vomere fossam
Transeat; audentem talia dede neci.
Quod Remus ignorans, humiles contemnere muros
Coepit, et, *His populus*, dicere, *tutus erit?*
Nec mora, transiluit. Rutro Celer occupat ausum.
Ille premit duram sanguinolentus humum.
Haec ubi rex didicit, lacrimas introrsus obortas
Devorat, et clausum pectore vulnus habet.
Flere palam non vult, exemplaque fortia servat,
Sicque meos muros transeat hostis, ait.
Dat tamen exsequias: nec iam suspendere fletum
Sustinet, et pietas dissimulata patet;
Osculaque applicuit posito suprema feretro,
Atque ait, *Invito frater adempte, vale!*
Arsurosque artus unxit. Fecere, quod ille,
Faustulus, et maestas Acca soluta comas.

---

839. Alii *tactam*, un. *pressam*, alius *fractam*, al. *versam* — Quid, *terram*. Varro L. L. IV. p. 40. *Terram unde exscalpserant, fossam vocabant, et introrsum factum murum*. 840. Edd. quaed. *dedi*. 842. Un. ex opt. *eris*. 843. Plurimi *retro*, ut edd. ante Hs, nonn. *rastro*, sex *ultro*, un. *ristro*, hinc Hs coni. et rec *rutro*. Varro L. L. IV. p. 38. inter instrumenta rustica nominat: *Rutrum, ut ruitrum, a ruendo*. Dionys. Hal. Ant. I, 87. Κελέριον, ait, τοῦτον πλῆξαι τῷ σκαφείῳ κατὰ τῆς κεφαλῆς, καὶ αὐτίκα ἀποκτεῖναι. *Occupat*, ut I, 575, et M. XII, 342. *Conantem stipite querno Occupat Aegides*. 844. Decem *diram*, quat. *puram*. 846. Un. ex opt. *pectora*. Ovid. M. XIII, 539. *Obmutuit illa dolore, Et pariter vocem lacrimasque introrsus obortas Devorat ipse dolor* —. 848. Ap. Liv. I, 7. iratus Romulus, interfecto fratre: *Sic deinde*, inquit, *quicumque alius transiliet moenia mea!* 849. Hs mav. *It tamen exs.* aut *Dat tam. inferias*. 850. Tres *dissimulanda*. 851. Tres *implicuit*, totid. *apposuit* — Duo ex opt. et duo al. *extrema*. 853. Virg. A. XI, 219. *corpusque lavant frigentis et unguunt*. Iam Homer. Il. XXIV, 583. de Hectoris corpore: Τὸν δ' ἐπεὶ οὖν δμωαὶ λοῦσαν καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ.

Tum iuvenem nondum facti flevere Quirites:
  Ultima plorato subdita flamma rogo est.
Urbs oritur — quis tunc hoc ulli credere posset? —
  Victorem terris impositura pedem.
Cuncta regas, et sis magno sub Caesare semper:
  Saepe etiam plures nominis huius habe;
Et quoties steteris domito sublimis in orbe,
  Omnia sint humeris inferiora tuis.

Dicta Pales nobis. Idem Vinalia dicam.
  Una tamen media est inter utramque dies.
Numina vulgares Veneris celebrate puellae.
  Multa professarum quaestibus apta Venus.
Poscite ture dato formam populique favorem:
  Poscite blanditias, dignaque verba ioco;
Cumque sua dominae date grata sisymbria myrto,
  Textaque composita iuncea vincla rosa.

---

855. Multi *iuvenes*. 856. Ex edd. ante Hs recepi *est*, quod cuius cod. auctoritate Hs omiserit, nescio. 857. Tres ex opt. *nunc* — Alii *illi*. — Multi etiam melior. *possit*. Cf. I, 555. 859. Multi *sub magno C.*, un. *cum magno C.* 860. Duo ex opt. *Et semper plures*. 863. Edd. quaed. *nobis est. Iam Vin.* Varro L. L. V. p. 55. *Vinalia dicta a vino. Hic dies Iovis, non Veneris. Huius rei cura non levis in Latio; nam aliquot locis vindemiae primum a sacerdotibus publice fiebant, ut Romae etiam nunc; nam Flamen Dialis auspicatur vindemiam, et ut iussit vinum legere, agna Iovi facit, inter cuius exta caesa et porrecta flamen prorsus vinum legit.* Plutarch. Quaest. Rom. 45. Τῶν Ὀβερναλίων τῇ ἑορτῇ πολὺν οἶνον ἐκχέουσι πρὸ τοῦ ἱεροῦ τῆς Ἀφροδίτης. 864. Novem *utrumque*. 865. Un. ex opt. *Munera*, alius opt. *Nomina*. 866. Alii multi *Culta*, quod Hs placet, nostr. tamen, quod potiores habent, non damnat. Profitendum erat meretricibus apud Aediles. 868. Potiores *ioco*, quod Hs rec., cet. *loco*. 869. Un ex opt. *Cuncta sua*, unde Hs mav. *Iuncta*. Cf. ad IV, 15. Horat. Od. I, 4, 9. *Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto* —. 870. Multi *Tectaque* — Un. ex opt. *serta rosa*.

Templa frequentari Collinae proxima portae
Nunc decet: a Siculo nomina colle tenent.
Utque Syracusas Arethusidas abstulit armis
Claudius, et bello te quoque cepit, Eryx;
Carmine vivacis Venus est translata Sibyllae,
Inque suae stirpis maluit urbe coli.
Cur igitur Veneris festum Vinalia dicant,
Quaeritis, et quare sit Iovis ista dies.
Turnus, an Aeneas Latiae gener esset Amatae,
Bellum erat. Etruscas Turnus adorat opes.
Clarus erat sumptisque ferox Mezentius armis,
Et vel equo magnus, vel pede maior erat.
Quem Rutuli Turnusque suis adsciscere tentant
Partibus. Haec contra dux ita Tuscus ait:
Stat mihi non parvo virtus mea Vulnera testor,
Armaque, quae sparsi sanguine saepe meo:

---

871. Undec. *Tecta*. Templum Veneris Erycinae ad portam Collinam dedicatum a. U. 571. a. C. 183. Cf. Liv. XL, 34. Aliud est Veneris Eryc. iussu Sibyllae Romam translatae; hoc enim erat in Capitolio, idque dedicatum a. U 537. a. C. 217. Cf. Liv. XXIII, 30. 31. Syracusae a Claudio Marcello captae a. U. 542. a. C. 212. Hinc patet error Ovidii. 872. Multi *tenent*, quod Hs rec., cet. *tenet*. De Sibylla vivaci cf. III, 534 et IV, 158. 877. Nov. *dicam*. 878. Duo ex opt. *iste dies*. De absolute posito *Quaeritis* cf. ad I, 219. 879. Bellum copiose descripsit Virg. in sex posterioribus Aeneidos libris. 880. Un. *et Thuscas*. Alii scribunt *Hetruscas* — Ex uno opt. Hs rec. *adoptat*, ego ceter. lect. secutus sum. Liv. I, 2. *Turnus Rutulique ad florentes Etruscorum opes Mezentiumque eorum regem confugiunt*. De eius ferocia ac saevitia multus est Virg. A. VIII, 481 sq. 882. Duo *equo nullus*, un. *equo dubium*. 884. Septem *E contra*, duo *Hos c.* — Un. ex opt. *rex*. 885. Un. opt. a manu prima et tres alii *testes*, quod tamquam elegantius Hs rec., ego ceter. lect. reduxi. — Non deos facit testes: erat enim secundum Virg. A. VII, 648. *Contemptor divum Mezentius*. Macrob. Sat. III, 5. *Cato in primo libro Originum ait, Mezentium Rutulis imperasse, ut sibi offerrent, quas diis primitias offerebant, et Latinos omnes simili imperii metu ita vocasse: Iuppiter, si tibi magis cordi est, nos ea tibi dare potius quam Mezentio, uti nos victores facias.*

Qui petis auxilium, non grandia divide mecum
Praemia de lacubus proxima musta tuis.
Nulla mora est operae; vestrum dare, vincere nostrum est.
Quam velit Aeneas ista negata mihi!
Annuerant Rutuli: Mezentius induit arma.
Induit Aeneas, alloquiturque Iovem:
Hostica Tyrrheno vota est vindemia regi;
Iuppiter, e Latio palmite musta feres.
Vota valent meliora: cadit Mezentius ingens,
Atque indignanti pectore plangit humum.
Venerat auctumnus, calcatis sordidus uvis:
Redduntur merito debita vina Iovi.
Dicta dies hinc est Vinalia. Iuppiter illam
Vindicat, et festis gaudet inesse suis.

Sex ubi, quae restant, luces Aprilis habebit;
In medio cursu tempora veris erunt;

---

888. Un. *da mihi musta tuis* — Un. *meis*. 889. Meliores *operae*, quod Hs rec., cet. *operi* — Alii *vestrum est*. Similiter Seneca Hipp. 618. *Te imperia regere, me decet iussa exsequi*. In edd. nonn. deest in fine *est*, bene; de codd. nihil notatur. 890. Cf. II, 694. — 891. Quat. *Adveniunt*, un. *Annumerant*. Scaliger leg. *Annuerunt*. — Un. ex opt. *intulit*. 893. Un. ex opt. et septem alii *Hostia*. 894. Un. *vina feres*. — Omnes fere leg. *feres*, quod c. Heinz. (Opusc. p. 229) restitui; un. ex opt. *feras*, quod tamquam solum voventis Hs rec. 896. Quat. *indignato* — Duo *tangit*, un. *pulsat*. Ap. Virg. A. X, 908. Aeneas Mezentii *Undanti animam diffundit in arma cruore*. 897. Alii scribunt *autumnus* — Un. *calcandis* — Duo ex opt. et tres al. *horridus*, sex *sordibus*. Colum R. R. X, 43. *Quum satur auctumnus quassans sua tempora pomis, Sordidus et musto spumantes exprimet uvas, Tum* — Tibull. II, 6, 85. *Oblitus et musto feriet pede rusticus uvas, Dolia dum magni deficientque lacus*. 898. Duo ex opt. et alii duo *vota*. 899. Quat. opt. et multi al. *illam*, quod Hs rec., cet. *illa*. 901. Meliores *restant*, quod Hs c. edd. servavit, cet. *restent*. 902. Un. opt. et quinq. al. *Iam*. Aliter Colum. R. R. XI, 2, 36. *XI Cal. Maias ver bipartitur, pluvia et nonnumquam grando*. De Ariete nihil; de Cane Ib. 38. *Pridie Cal. Maias Canis se vespere celat: tempestatem significat*.

Templa frequentari Collinae proxima portae
Nunc decet: a Siculo nomina colle tenent.
Utque Syracusas Arethusidas abstulit armis
Claudius, et bello te quoque cepit, Eryx;
Carmine vivacis Venus est translata Sibyllae,
Inque suae stirpis maluit urbe coli.
Cur igitur Veneris festum Vinalia dicant,
Quaeritis, et quare sit Iovis ista dies.
Turnus, an Aeneas Latiae gener esset Amatae,
Bellum erat. Etruscas Turnus adorat opes.
Clarus erat sumptisque ferox Mezentius armis,
Et vel equo magnus, vel pede maior erat.
Quem Rutuli Turnusque suis adsciscere tentant
Partibus. Haec contra dux ita Tuscus ait:
Stat mihi non parvo virtus mea Vulnera testor,
Armaque, quae sparsi sanguine saepe meo:

---

871. Undec. *Tecta.* Templum Veneris Erycinae ad portam Collinam dedicatum a. U. 571. a. C. 183. Cf. Liv. XL, 34. Aliud est Veneris Eryc. iussu Sibyllae Romam translatae; hoc enim erat in Capitolio, idque dedicatum a. U 537. a. C. 217. Cf. Liv. XXIII, 30. 31. Syracusae a Claudio Marcello captae a. U. 542. a. C. 212. Hinc patet error Ovidii. 872. Multi *tenent,* quod Hs rec., cet. *tenet.* De Sibylla vivaci cf. III, 534 et IV, 158. 877. Nov. *dicam.* 878. Duo ex opt. *iste dies.* De absolute posito *Quaeritis* cf. ad I, 219. 879. Bellum copiose descripsit Virg. in sex posterioribus Aeneidos libris. 880. Un. *et Thuscas.* Alii scribunt *Hetruscas* — Ex uno opt. Hs rec. *adoptat,* ego ceter. lect. secutus sum. Liv. I, 2. *Turnus Rutulique ad florentes Etruscorum opes Mezentiumque eorum regem confugiunt.* De eius ferocia ac saevitia multus est Virg. A. VIII, 481 sq. 882. Duo *equo nullus,* un. *equo dubium.* 884. Septem *E contra,* duo *Hos c.* — Un. ex opt. *rex.* 885. Un. opt. a manu prima et tres alii *testes,* quod tamquam elegantius Hs rec., ego ceter. lect. reduxi. — Non deos facit testes: erat enim secundum Virg. A. VII, 648. *Contemptor divum Mezentius.* Macrob. Sat. III, 5. *Cato in primo libro Originum ait, Mezentium Rutulis imperasse, ut sibi offerrent, quas diis primitias offerebant, et Latinos omnes similis imperii metu ita vocasse: Iuppiter, si tibi magis cordi est, nos ea tibi dare potius quam Mezentio, uti nos victores facias.*

Qui petis auxilium, non grandia divide mecum
  Praemia de lacubus proxima musta tuis.
Nulla mora est operae; vestrum dare, vincere nostrum est.
  Quam velit Aeneas ista negata mihi!
Annuerant Rutuli: Mezentius induit arma.
  Induit Aeneas, alloquiturque Iovem:
Hostica Tyrrheno vota est vindemia regi;
  Iuppiter, e Latio palmite musta feres.
Vota valent meliora: cadit Mezentius ingens,
  Atque indignanti pectore plangit humum.
Venerat auctumnus, calcatis sordidus uvis:
  Redduntur merito debita vina Iovi.
Dicta dies hinc est Vinalia. Iuppiter illam
  Vindicat, et festis gaudet inesse suis.

Sex ubi, quae restant, luces Aprilis habebit;
  In medio cursu tempora veris erunt;

---

888. Un. *da mihi musta tuis* — Un. *meis*. 889. Meliores *operae*, quod Hs rec., cet. *operi* — Alii *vestrum est*. Similiter Seneca Hipp. 618. *Te imperia regere, me decet iussa exsequi*. In edd. nonn. deest in fine *est*, bene; de codd. nihil notatur. 890. Cf. II, 694. — 891. Quat. *Advenium*, un. *Annumerant*. Scaliger leg. *Annuerunt*. — Un. ex opt. *intulit*. 893. Un. ex opt. et septem alii *Hostia*. 894. Un. *vina feres*. — Omnes fere leg. *feres*, quod c. Heinz. (Opusc. p. 229) restitui; un. ex opt. *feras*, quod tamquam solum voventis Hs rec. 896. Quat. *indignato* — Duo *tangit*, un. *pulsat*. Ap. Virg. A. X, 908. Aeneas Mezentii *Undanti animam diffundit in arma cruore*. 897. Alii scribunt *autumnus* — Un. *calcandis* — Duo ex opt. et tres al. *horridus*, sex *sordibus*. Colum R. R. X, 43. *Quum satur auctumnus quassans sua tempora pomis, Sordidus et musto spumantes exprimet uvas, Tum* — Tibull. II, 6, 85. *Oblitus et musto feriet pede rusticus uvas, Dolia dum magni deficientque lacus*. 898. Duo ex opt. et alii duo *vota*. 899. Quat. opt. et multi al. *illam*, quod Hs rec., cet. *illa*. 901. Meliores *restant*, quod Hs c. edd. servavit, cet. *restent*. 902. Un. opt. et quinq. al. *Iam*. Aliter Colum. R. R. XI, 2, 36. *XI Cal. Maias ver bipartitur, pluvia et nonnumquam grando*. De Ariete nihil; de Cane Ib. 38. *Pridie Cal. Maias Canis se vespere celat: tempestatem significat*.

Et frustra pecudem quaeres Athamantidos Helles:
Signaque dant imbres: exoriturque Canis.
Hac mihi Nomento Romam quum luce redirem,
Obstitit in media candida pompa via.
Flamen in antiquae lucum Robiginis ibat,
Exta canis flammis, exta daturus ovis.
Protinus accessi, ritus ne nescius essem.
Edidit haec Flamen verba, Quirine, tuus:
Aspera Robigo, parcas Cerealibus herbis,
Et tremat in summa leve cacumen humo.
Tu sata sideribus coeli nutrita secundis
Crescere, dum fiant falcibus apta, sinas.
Vis tua non levis est. Quae tu frumenta notasti,
Maestus in amissis illa colonus habet.
Nec venti tantum Cereri nocuere, nec imbres;
Nec sic marmoreo pallet adusta gelu;

---

903. Pontedera leg. *Nec fr.* — Cf. III, 851. 904. Un. ex opt. *occidit atque Canis.* Neap. leg. *Signa dabunt imbres, effugietque Canis;* alii *occuliturque Canis,* alius quidam leg. *exoriturque Capra,* Taubner. *occideritque Canis.* 905. Alii *Haec m. Numento,* alius *Hac m. nam memini* — Un. *rure,* duo *forte.* 906. Duo opt. et octo alii *pompa,* quod Hs rec., cet. *turba.* 907. Decem *antiquum.* — Edd. quaed., ipsa Burm., mendose *lucem* — Plurimi *Rubiginis.* Varro L. L. V. p. 56. *Robigalia dicta ab Robigo. Secundum segetes huic deo sacrificatur, ne rubigo occupet segetes.* Verrius Flaccus in Fastis: *Feriae Robigo via Claudia ad miliarium quintum, ne robigo frumentis noceat, sacrificium et ludi cursoribus maioribus minoribusque fiunt.* 908. Tres *canum.* Festus: *Catularia porta Romae dicta est, quia non longe ab ea ad placandum caniculae sidus frugibus inimicum rufae canes immolabantur, ut fruges flavescentes ad maturitatem perducerentur.* Colum. R. R. X, 342. *Hinc mala Rubigo virides ne torreat herbas, Sanguine lactentis catuli placatur et extis.* 912. Duo opt. et multi al. *premat,* duo *tremet* — Quid. melior. *leve* (alii scribunt *laeve*), quod Hs rec., cet. *lene.* 913. Un. ex opt. et alii multi *secundi,* quod Hs rec., ego retinui alteram lect. 917. Virg. G. I, 444. *Urguet ab alto Arboribusque satisque Notus pecorique sinister.* 918. Decem *si;* pro *pallet* quat. *messis.* Cf. I, 680. 687.

Quantum, si culmos Titan incalfacit udos,
Tum locus est irae, diva timenda, tuae.
Parce, precor, scabrasque manus a messibus aufer,
Neve noce cultis: posse nocere sat est;
Neu teneras segetes, sed durum amplectere ferrum,
Quodque potest alios perdere, perde prior.
Utilius gladios et tela nocentia carpes.
Nil opus est illis: otia mundus agit.
Sarcula nunc, durusque bidens, et vomer aduncus,
Ruris opes niteant: inquinet arma situs;
Conatusque aliquis vagina ducere ferrum,
Adstrictum longa sentiat esse mora.
At tu ne viola Cererem, semperque colonus
Absenti possit solvere vota tibi.
Dixerat: — a dextra villis mantele solutis,
Cumque meri patera turis acerra fuit. —
Tura focis vinumque dedit, fibrasque bidentis,
Turpiaque obscenae — vidimus — exta canis.
Tum mihi, Cur detur sacris nova victima, quaeris;
— Quaesieram — causam percipe, Flamen ait:

---

921. Un. opt. *e mess.* Virg. G. I, 495. *Exesa inveniet scabra robigine pila.* 923. Tres *messes,* un *fruges.* — Duo ex opt. *contere,* quod Hs rec., cet. omnes *amplectere,* quod restitui. 924. Un. *aliud perdere* — Quat. opt. et al. *prior,* quod Hs rec., multi *precor,* plurimi *prius.* 925. Quid. *Utilior.* — Tres *noc. perdas.* 926. Meliores nonn. *agit,* quod Hs rec., cet. *agat,* un. *habet.* Cf. I, 68. 927. Hs mav. *Sarculaque* — Un. opt. *vomis.* Cf. I, 699. 928. Quid. meliores *opus,* quod Heinz. (Opusc. p. 230) praefert. Tibull. I, 10 (11), *Pace bidens vomerque nitent (vigent); at tristia duri Militis in tenebris occupat arma situs.* 929. Plurimi *educere.* 931. Duo *nec.* 932. Duo opt. et tres alii *reddere.* 933. Quidam et Priscianus (VI. p. 681) *ad dextram,* optimus et duo alii *at dextra* — Vetustiores *mantele,* quod Hs rec., alii *mantile.* Varro L. L. V. p. 74. *Mantelium quasi manuterium, ubi manus terguntur.* Ap. Virg. G. IV, 377. *tonsis mantelia villis,* ad quem locum v. I. H. Voss.

Est Canis — Icarium dicunt — quo sidere moto
Tosta sitit tellus, praecipiturque seges.
Pro cane sidereo canis hic imponitur arae,
Et, quare pereat, nil nisi nomen habet.

Quum Phrygis Assaraci Tithonia fratre relicto
Sustulit immenso ter iubar orbe suum,
Mille venit variis florum dea nexa coronis:
Scena ioci morem liberioris habet.
Exit et in Maias sacrum Florale Kalendas.
Tunc repetam: nunc me grandius urget opus.

---

939. Fabula de Cane astro varie narratur. Inter alia haec narrat Eratosth. in Fragm. p. 114. ed. Schaub. Ἰκάριος Ἀθηναῖος εἶχε θυγατέρα Ἠριγόνην, ἥτις κύνα ἔτρεφε. Ξενίσας δὲ ποτὲ Διόννσον ἔλαβε παρ' αὐτοῦ οἶνόν τε καὶ ἀμπέλου κλῆμα. Οἶνον παρέσχε βουκόλοις, οἳ ἀθρόως ἐμφορησάμενοι καὶ νομίσαντες πεφαρμάχθαι τὸν Ἰκάριον ἀπέκτειναν. Ἠριγόνη μαθοῦσα τὸ ἀληθὲς δι' ὠρυγμοῦ τοῦ κύνος ἑαυτὴν ἀνήρτησε. Νόσου δὲ ἐν Ἀθήναις γενομένης, Ἀθηναῖοι τόν τε Ἰκάριον καὶ τὴν Ἠριγόνην ἐνιαυσίαις ἐγέραιρον τιμαῖς· οἱ καὶ κατασεισθέντες, Ἰκάριος μὲν Βοώτης ἐκλήθη, Ἠριγόνη δὲ Παρθένος, ὁ δὲ κύων τὴν αὐτὴν ὀνομασίαν ἔσχεν. 940. Meliores quidam *Tosta,* quod Hs rec., alii *tota* — Alii *praeripitur,* duo ex opt. *praeciditur.* Virg. G. IV, 425. *Iam rapidus torrens sitientes Sirius Indos Ardebat.* — Rutil. Itin. I, 479. *Ast ubi flagrantes admovit Sirius ignes, Quum pallent herbae, quum sitit omnis ager.* Tibull. I, 4, 42. *Canis arenti torret arva siti.* 942. Quat. opt. et decem al. *pereat,* quod Hs rec., cet. *fiat.* 943. Omnes fere *Quum Phr. Ass.,* quod Hs rec., duo *Ut Phr. Ass.,* edd. quaed. *Quum Priami coniux.* — Duo tantum meliores *Titania,* quod Hs, cts: alteri praefert, non tamen recepit, quod Burm. primus fecit; ceteri omnes *Tithonia,* quod servavi. Cf. III, 403. I, 461. IV, 34. 944. Quinq. *immensum,* un. melior *emerso,* Ian. Ulitius mav. *emenso.* — Sex *ore.* Hs mav. *emerso — ore.* 945. Un. *mixta cor. Floralia,* auctore Velleio I, 14, 8. a. U. 513., contra Plinio H. N. XVIII, 29, 69. demum a. 516. instituta sunt. 946. Cf. V, 320 sq. 947. Vetustiores *sacrum,* quod Hs rec., cet. *festum. Exire,* ut V, 189.

Aufert Vesta diem: cognati, Vesta, recepta est
  Limine. Sic iusti constituere senes.
Phoebus habet partem; Vestae pars altera cessit:
  Quod superest illis, tertius ipse tenet.
State Palatinae laurus, praetextaque quercu
  Stet domus. Aeternos tres habet una deos.

---

949. Tres opt. et decem al. *Aufer*, un. ex opt. *Aufers*. — Un. ex opt. et quat. al. *cognato*, quod tamquam venustum Hs rec., ego alteram lect. servavi. Cf. III, 425. 950. Un. *Limite*. — An, ut in edd. quibusd., in ipsa Burm, ita in codd. legatur *iussi*, nusquam annotatur. Contra plurimi leg. *senes*, quod recepi, alii *patres*, quod Hs et Burm., quamquam ei *senes* placet, servaverunt. Aedes Vestae in domo Augusti in Palatio dedicata a. U. 741, a. C. 13. 951. Suet. Aug. 29. *Templum Apollinis in ea parte Palatinae domus excitavit, quam fulmine ictam desiderari a deo haruspices pronunciarant.* 953. Cf. I, 614. 954. Duo *Stat*, un. *Sat*, duo *Sed* — Duo *habet ista*, un. *hab. illa*, alius ex opt. *habitura*, unde Hs mav. *Sta domus aeternum tres habitura deos*. — Cf. III, 421.

LIBER QUINTUS.

Quaeritis, unde putem Maio data nomina mensi.
Non satis est liquido cognita causa mihi.
Ut stat, et incertus, qua sit, sibi nescit eundum,
Quum videt ex omni parte viator iter:
Sic, quia posse datur diversas reddere causas,
Qua ferar, ignoro, copiaque ipsa nocet.
Dicite, quae fontes Aganippidos Hippocrenes
Grata Medusaei signa tenetis equi.
Dissensere deae. Quarum Polyhymnia coepit
Prima — Silent aliae, dictaque mente notant. —
Post chaos, ut primum data sunt tria corpora mundo,
Inque novas species omne recessit opus;

---

1. De simplici *Quaeritis* v. ad I, 219. 2. Un. *Quae s.*, alius *Dum s.* 3. Aliter IV, 784. 5. Duo ex opt. *noscere c.* 6. Multi codd. et edd. *Quo.* 7. Cf. III, 456. Alibi ab omnibus Aganippe ab Hippocrene distinguitur, ut ab ipso nostro M. V, 312. *Fonte Medusaeo et Hyantea Aganippe.* Pausan. IX, 29. Ἐν Ἑλικῶνι πρὸς τὸ ἄλσος ἰόντι τῶν Μουσῶν ἐν ἀριστερᾷ μὲν ἡ Ἀγανίππη πηγή. Ib. 31. Ἐπαναβάντι δὲ σταδία ἀπὸ τοῦ ἄλσους ὡς εἴκοσιν ἔστιν ἡ τοῦ ἵππου καλουμένη κρήνη. 8. Hs mav. *Graia.* 9. Un. ex opt. *Dissedere*, eleganter, ut ait Hs, duo *Assensere*, quod Hs rectius quidem iudicat, mavult tamen *Desedere*, quum unus legat *Discessere.* — Hs mav. *Polymneïa.* 10. Cf. III, 178. 12. Duodec. *onus.* Cf. I, 103.

Pondere terra suo subsedit, et aequora traxit:
At coelum levitas in loca summa tulit.
Sol quoque cum stellis nulla gravitate retentus,
Et vos Lunares exsiluistis equi.
Sed neque Terra diu Coelo, nec cetera Phoebo
Sidera cedebant: par erat omnis honos.
Saepe aliquis solio, quod tu, Saturne, tenebas,
Ausus de media plebe sedere deus;
Et latus Oceano quisquam deus advena iunxit,
Tethys et extremo saepe recepta loco est;
Donec Honos, placidoque decens Reverentia vultu
Corpora legitimis imposuere toris.
Hinc sata Maiestas, quae mundum temperat omnem,
Quaque die partu est edita, magna fuit.
Nec mora: consedit medio sublimis Olympo,
Aurea, purpureo conspicienda sinu.

---

14. Un. ex opt. *tenet.* 15. Un. ex opt. *retentis.* 16. Duo *prosiluistis,* un. *praesiluistis.* 17. In edd. *terra* et *coelum* parvis litterarum notis scripta sunt, etsi Γαῖα καὶ Οὐρανός significantur. 19. Duo ex opt. *quo — solebas,* duo al. opt. et tres al. *quo — sedebas.* Noster M. I, 192. Iovem loquentem facit: *Sunt mihi Semidei, sunt rustica numina Nymphae, Faunique, Satyrique, et monticolae Silvani, Quos quoniam coeli nondum dignamur honore, Quas dedimus, verte terras habitare sinamus.* 21. Un. opt. *Nam l. Oc. quis quando leve tegebat;* alii multi *Nec l.* Hs mav. *Nec. l. Oc. quamvis grandaeva tegebat Tethys,* — Burm. mav. *Et l. Oc., quamvis d. advena, iunxit.* 22. Pleriq. *Et Thetis* aut *Et Themis* — Un. ex opt. *reperta.* Nost. M. II, 509. *ad canam descendit in aequora Tethyn, Oceanumque senem, quorum reverentia movit Saepe deos* —. 23. Un. ex opt. *placidiq. recens Rev. cultus,* alius ex opt. *sedens Rev.* 24. Alii *composuere,* quod Neap. plac. 25. Quid. *His* — Vulg. lect. ante Hs reduxi, ita fere omnes codd., tres tantum ex opt. *M.; hos est dea censa parentes,* quam lect. Hs rec. Horat. Od. I, 12, 15. de Iove ipso: *Qui mare ac terras, variisque mundum Temperat horis.* 26. Un. ex opt. *Quoque.* 27. Duo opt. et quat. al. *conscendit.*

Consedere simul Pudor et Metus. *Omne* videres
Numen ad hanc vultus composuisse *suos.*
Protinus intravit mentes suspectus *honorum.*
Fit pretium dignis, nec sibi quisque *placet.*
Hic status in coelo multos permansit in *annos:*
Dum senior fatis excidit arce deus.
Terra feros partus, immania monstra, *Gigantas*
Edidit, ausuros in Iovis ire domum.
Mille manus illis dedit, et pro cruribus *angues:*
Atque ait, In magnos arma movete deos.
Exstruere hi montes ad sidera summa parabant,
Et magnum bello sollicitare Iovem.
Fulmina de coeli iaculatus Iuppiter arce
Vertit in auctores pondera vasta suos.

---

29. Ap. Hesiodum (Ἔργ. 200) Αἰδὼς καὶ Νέμεσις, aurea aetate etiam inter homines versabantur. Sophocl. Oedip. Colon. Ἀλλ' ἔσΘι γὰρ καὶ Ζηνὶ σύνΘακος Θρόνων Αἰδὼς ἐπ' ἔργοις πᾶσι. *Videres*, ut *cerneres, crederes*, alia. Cf. III, 391. V, 317. II, 419. 30. Un. optim. *cultus*, quod Hs rec., cet. omnes *vultus*, quod reduxi. Senec. Epist. 11. *O felicem, qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque eius se componat atque ordinet!* 32. Duo ex opt. *Fert*, eleganter, ut ait Hs. — Noster M. II, 58. de diis, *Placeat sibi quisque licebit.* 34. Cf. IV, 197. 35. Quid. *ferox*, alii *ferax* — Duo opt. *Gigantos*, quod Hs rec., cet. *Gigantes.* — Virg. G. I, 278. *tum partu Terra nefando Coeumque, Iapetumque creat saevumque Typhoea, Et coniuratos coelum rescindere fratres.* Horat. Od. III, 4, 49. *Magnum illa terrorem intulerat Iovi Fidens iuventus horrida brachiis, Fratresque tendentes opaco Pelion imposuisse Olympo.* Hesiod. Th. 150. Τῶν ἑκατὸν μὲν χεῖρας ἀπ' ὤμων ἀΐσσοντο Ἄπλατοι, κεφαλαὶ δὲ ἑκάσΘῳ πεντήκοντα Ἐξ ὤμων ἐπέφυκον ἐπὶ σΘιβαροῖσι μέλεσσιν. 37. Sex *crinibus.* Hs hic non agnoscens numeros Ovidianos mav. aut *Mille manus et mille dedit pro*, aut totum distichon abesse. — Noster M. I, 183. *Centum quisque parabant Inicere anguipedum captivo brachia coelo.* 38. Hs mav. *Ite, ait* — Cf. V, 212. — Duo *bella mov.* 40. Un. *coelo soll.* 41. Virg. G. I, 283. *Ter pater exstructos disiecit fulmine montes.* Nost. M. I, 154. *Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum Fulmine, et excussit subiecto Pelion Ossae.* 42. Un. *iusta suos.* Noster M. I, 156. *Obruta mole sua quum corpora diva iacerent,* —

His bene Maiestas armis defensa deorum
Restat: et ex illo tempore firma manet.
Assidet illa Iovi: Iovis est fidissima custos,
Et praestat sine vi sceptra tenenda Iovi.
Venit et in terras: coluerunt Romulus illam,
Et Numa: mox alii, tempore quisque suo.
Illa patres in honore pio matresque tuetur:
Illa comes pueris virginibusque venit.
Illa datos fasces commendat, eburque curule:
Illa coronatis alta triumphat equis.
Finierat voces Polyhymnia: dicta probarunt
Clioque, et curvae scita Thalia lyrae.
Excipit Uranie: fecere silentia cunctae,
Et vox audiri nulla, nisi illa, potest.
Magna fuit quondam capitis reverentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.

---

44. Plurimi *culta*, multi melior. *firma*, quod Hs rec., quat. *tuta*. 45. Plurimi *inde*; nonn. *illa*, quod Hs rec. — Nonn. *coniux*. Hs mav. *consors*. Ap. Callim. H. Iov. 67. Iovem non sortes regem fecerunt, ἔργα δὲ χειρῶν, Σή τε Βίη, τό τε Κάρτος, ἃ καὶ πέλας εἴσαο δίφρου. De iisdem Hesiod. Th. 386. Τῶν οὐκ ἔστ' ἀπάνευθε Διὸς δόμος — Ἀλλ' αἰεὶ παὰ Ζηνὶ βαρυκτύπῳ ἑδριόωνται. 46. Plurimi *tenenda*, quod reduxi; multi ex mel. *timenda*, aeque bene, duo ex opt. *tremenda*, quod Hs rec., quinq. *tenere*, quod Burm. plac. 47. Liv. I, 8. *Romulus se ipse venerabilem insignibus imperii fecit, et quum cetero habitu augustiorem, tum maxime duodecim lictoribus.* 48. Duo ex opt. *post illos temp.* 49. Sex ex opt. et al. *honore suo.* Verecundia, reverentia, modestia, moderatio. 51. Un. *noros f.* Horat. Epist. I, 6, 53. *Hic multum valet — Cui libet, hic fasces dabit, eripietque curule, Cui volet, importunus ebur.* 52. Un. mel. *alba.* — Un. ex opt. *tenetur equi.* 53. Duo ex opt. *Polimnia.* 54. Plurimi *docta.* — Petron. Fragm. I, 17, *dulcia plectra Thaliae.* 55. Un. *tenuere.* Cf. I, 183. 57. Alii *capitis quondam.* — Phocylides 207. Αἰδεῖσθαι πολιοκροτάφους, εἶκειν δὲ γέρουσιν Ἕδρης καὶ γεράων πάντων. Cic. Sen. 17. *Habet senectus, honorata praesertim, tantam auctoritatem, ut ea pluris sit, quam omnes adolescentiae voluptates.* Idem tamen addit: *Non cani, non rugae repente auctoritatem arripere possunt* — similia dictis Menandri (p. 224) Οὐχ αἱ τρίχες ποιοῦσιν αἱ λευκαὶ φρονεῖν, Ἀλλ' ὁ τρόπος ἐνίων ἐστὶ τῇ φύσει Γέρων. 58. Quat. *sui.*

Consedere simul Pudor et Metus. Omne videres
Numen ad hanc vultus composuisse suos.
Protinus intravit mentes suspectus honorum.
Fit pretium dignis, nec sibi quisque placet.
Hic status in coelo multos permansit in annos:
Dum senior fatis excidit arce deus.
Terra feros partus, immania monstra, Gigantas
Edidit, ausuros in Iovis ire domum.
Mille manus illis dedit, et pro cruribus angues:
Atque ait, In magnos arma movete deos.
Exstruere hi montes ad sidera summa parabant,
Et magnum bello sollicitare Iovem.
Fulmina de coeli iaculatus Iuppiter arce
Vertit in auctores pondera vasta suos.

---

29. Ap. Hesiodum (Ἔργ. 200) Αἰδὼς καὶ Νέμεσις, aurea aetate etiam inter homines versabantur. Sophocl. Oedip. Colon. Ἀλλ' ἔστι γὰρ καὶ Ζηνὶ σύνθακος θρόνων Αἰδὼς ἐπ' ἔργοις πᾶσι. *Videres*, ut *cerneres, crederes*, alia. Cf. III, 391. V, 317. II, 419. 30. Un. optim. *cultus*, quod Hs rec., cet. omnes *vultus*, quod reduxi. Senec. Epist. 11. *O felicem, qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque eius se componat atque ordinet!* 32. Duo ex opt. *Fert*, eleganter, ut ait Hs. — Noster M. II, 58. de diis, *Placeat sibi quisque licebit.* 34. Cf. IV, 197. 35. Quid. *ferox*, alii *ferox* — Duo opt. *Gigantas*, quod Hs rec., cet. *Gigantes*. — Virg. G. I, 278. *tum partu Terra nefando Coeumque, Iapetumque creat saevumque Typhoea, Et coniuratos coelum rescindere fratres.* Horat. Od. III, 4, 49. *Magnum illa terrorem intulerat Iovi Fidens iuventus horrida brachiis, Fratresque tendentes opaco Pelion imposuisse Olympo.* Hesiod. Th. 150. Τῶν ἑκατὸν μὲν χεῖρας ἀπ' ὤμων ἀΐσσοντο Ἄπλατοι, κεφαλαὶ δὲ ἑκάστῳ πεντήκοντα Ἐξ ὤμων ἐπέφυκον ἐπὶ σθιβαροῖσι μέλεσσιν. 37. Sex *crinibus*. Hs hic non agnoscens numeros Ovidianos mav. aut *Mille manus et mille dedit pro*, aut totum distichon abesse. — Noster M. I, 183. *Centum quisque paxabant Iniicere anguipedum captivo brachia coelo.* 38. Hs mav. *Ite, ait* — Cf. V, 212. — Duo *bella mov.* 40. Un. *coelo soll.* 41. Virg. G. I, 283. *Ter pater exstructos disiecit fulmine montes.* Nost. M. I, 154. *Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum Fulmine, et excussit subiecto Pelion Ossae.* 42. Un. *iusta suos.* Noster M. I, 156. *Obruta mole sua quum corpora diva iacerent,* —

His bene Maiestas armis defensa deorum
Restat: et ex illo tempore firma manet.
Assidet illa Iovi: Iovis est fidissima custos,
Et praestat sine vi sceptra tenenda Iovi.
Venit et in terras: coluerunt Romulus illam,
Et Numa: mox alii, tempore quisque suo.
Illa patres in honore pio matresque tuetur:
Illa comes pueris virginibusque venit.
Illa datos fasces commendat, eburque curule:
Illa coronatis alta triumphat equis.
Finierat voces Polyhymnia: dicta probarunt
Clioque, et curvae scita Thalia lyrae.
Excipit Uranie: fecere silentia cunctae,
Et vox audiri nulla, nisi illa, potest.
Magna fuit quondam capitis reverentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.

---

44. Plurimi *culta*, multi melior. *firma*, quod Hs rec., quat. *tuta*. 45. Plurimi *inde*; nonn. *illa*, quod Hs rec. — Nonn. *coniux*. Hs mav. *consors*. Ap. Callim. H. Iov. 67. Iovem non sortes regem fecerunt, ἔργα δὲ χειρῶν, Σήν τε Βίην, τό τε Κάρτος, ἃ καὶ πέλας εἴσαο δίφρου. De iisdem Hesiod. Th. 386. Τῶν οὐκ ἔσθ' ἀπάνευθε Διὸς δόμος — Ἀλλ' αἰεὶ παρὰ Ζηνὶ βαρυκτύπῳ ἑδριόωνται. 46. Plurimi *tenenda*, quod reduxi; multi ex mel. *timenda*, aeque bene, duo ex opt. *tremenda*, quod Hs rec., quinq. *tenere*, quod Burm. plac. 47. Liv. I, 8. *Romulus se ipse venerabilem insignibus imperii fecit, et quum cetero habitu augustiorem, tum maxime duodecim lictoribus.* 48. Duo ex opt. *post illos temp.* 49. Sex ex opt. et al. *honore suo.* Verecundia, reverentia, modestia, moderatio. 51. Un. *noros f.* Horat. Epist. I, 6, 53. *Hic multum valet — Cui libet, hic fasces dabit, eripietque curule, Cui volet, importunus ebur.* 52. Un. mel. *alba.* — Un. ex opt. *tenetur equi.* 53. Duo ex opt. *Polimnia.* 54. Plurimi *docta.* — Petron. Fragm. I, 17, *dulcia plectra Thaliae.* 55. Un. *tenuere.* Cf. I, 183. 57. Alii *capitis quondam.* — Phocylides 207. Αἰδεῖσθαι πολιοκροτάφους, εἶκειν δὲ γέρουσιν Ἕδρης καὶ γεράων πάντων. Cic. Sen. 17. *Habet senectus, honorata praesertim, tantam auctoritatem, ut ea pluris sit, quam omnes adolescentiae voluptates.* Idem tamen addit: *Non cani, non rugae repente auctoritatem arripere possunt* — similia dictis Menandri (p. 224) Οὐχ αἱ τρίχες ποιοῦσιν αἱ λευκαὶ φρονεῖν, Ἀλλ' ὁ τρόπος ἐνίων ἐστὶ τῇ φύσει Γέρων. 58. Quat. *sui.*

Martis opus iuvenes animosaque bella gerebant,
Et pro dis aderant in statione suis.
Viribus illa minor, nec habendis utilis armis,
Consilio patriae saepe ferebat opem.
Nec nisi post annos patuit tunc Curia seros,
Nomen et aetatis mite Senatus erat.
Iura dabat populo senior: finitaque certis
Legibus est aetas, unde petatur honos.
Et medius iuvenum, non indignantibus ipsis,
Ibat, et interior, si comes unus erat.
Verba quis auderet coram sene digna rubore
Dicere; censuram longa senecta dabat.
Romulus hoc vidit, selectaque pectora Patres
Dixit. Ad hos urbis summa relâta novae.

---

59. Tres *parabant*. 60. Tres *stat. senes*. 61. Un. *ille*. Cf. VI, 85. 62. Hs mav. *turba fer*. 64. Decem mel. *erat*, quod Hs rec., cet. *habet*. Noster M. XV, 206. *Transit in aestatem post ver robustior annus, Fitque valens iuvenis: neque enim robustior aetas Ulla nec uberior, nec quae magis aestuet, ulla est. Excipit auctumnus posito fervore iuventae Maturus mitisque, inter iuvenemque senemque Temperie medius, sparsis per tempora canis.* Cic. Sen. 6. *Consilium, ratio, sententia nisi essent in senibus, non summum consilium maiores nostri appellassent Senatum. Apud Lacedaemonios quidem ii, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam nominantur senes.* 65. Un. ex opt. *dabant* — Septem *populis*. 66. Lex *Villia annalis* sive *annaria*, lata a. L. Villio, Tribuno plebis a. U. 574. a. C. 180, quot annos nati quemque magistratum peterent caperentque, constituit Quaesturae 31, Aedilitati 37, Praeturae 40 et Consulatui 43 annos. 67. *Medius*. Sall. I. 11. *Hiempsal dextra Adherbalem assedit, nè medius ex tribus, quod et ap. Numidas honori ducitur, Iugurtha foret.* 68. Multi *anterior*, un. ex opt. *inferior*, Turnebus Adv. IV, 24. *exterior*. Horat. Sat. II, 5, 17. *ne tamen illi Tu comes exterior, si postulet, ire recuses* — quem morem ibi recte interpretatur Gesnerus, male alii. 69. Un. ex opt. *audiret*. 71. Plurimi *delectaque* — Pleriq. *corpora*. Hs rec. *pectora*. Liv. I, 8. *Romulus, quum iam virium haud poeniteret, consilium deinde viribus parat. Centum creat senatores; patres certe ab honore appellati.* Sall. Cat. 6. *Hi vel aetate, vel curae similitudine Patres appellati.* 72. Un. ex opt. et quat. al. *relicta*.

Hinc sua maiores posuisse vocabula Maio,
Tangor, et actati consuluisse suae.
Et Numitor dixisse potest, Da, Romule, mensem
Hunc senibus! nec avum sustinuisse nepos.
Nec leve praeposito pignus successor honori
Iunius, a iuvenum nomine dictus, adest.
Tum sic, neglectos hedera redimita capillos,
Prima sui coepit Calliopea chori:
Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn,
Qui terram liquidis, qua patet, ambit aquis.
Hinc sata Pleïone cum coclifero Atlante
Iungitur, ut fama est, Pleïadasque parit.
Quarum Maia suas forma superasse sorores
Traditur, et summo concubuisse Iovi.
Haec enixa iugo cupressiferae Cyllenes,
Aetherium volucri qui pede carpit iter.

---

73. Alii plurimi *tribuisse*. 76. Quinq. opt. et quat. probae notae *avo*. Noster M. XIV, 787. *nec Nymphae iusta petentem Sustinuere deam*. 77. Duo opt. et quat. al. *proposito — honori*, quid. *proposilum*, quinq. *praepositi — honoris*, quod Hs rec., cet. *propositi — honoris*. Hs mav. *praeposito — honori*, quod recepi. — Quat. opt. *successor*, quod Hs rec., cet. *successit*. 78. Quinq. opt. *habet*, quod Hs rec., cet. *adest*, quod servavi. Cf. VI, 88. 79. Cf. V, 339. 80. Un. *Primaque suscepit*. Hesiod. Theog. 79. Καλλιόπη θ' ἡ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων. 81. Quat. *Tythonida*. Nost. M. XII, 210. *Duxerat Hippodamen audaci Ixione natus* (Pirithous). Ib. IX, 497. *Sic Saturnus Opim iunctam sibi sanguine duxit, Oceanus Tethyn, Iunonem rector Olympi*. 82. Hs mav. *Quae*. Nost. M II, 6. *Mulciber illic Aequora caelarat, medias cingentia terras*. Dion. Perieg. 3. Μνήσομαι Ὠκεανοῖο βαθυῤῥόου· ἐν γὰρ ἐκείνῳ Πᾶσα χθὼν, ἅτε νῆσος ἀπείριτος ἐστεφάνωται. 83. Nonn. etiam mel. *stellifero*. 84. Cf. IV, 169 86. Un. *succubuisse*. Homer. H. Merc. 3. Ἑρμῆν, ὃν τέκε Μαῖα Νύμφη ἐϋπλόκαμος, Διὸς ἐν φιλότητι μιγεῖσα. 87. Virg. A. VIII, 138. *Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia Cyllenae gelido conceptum vertice fudit*. 88. Cf. IV, 605. V, 100. 666.

Arcades hunc, Ladonque rapax, et Maenalon ingens
Rite colunt, Luna credita terra prior.
Exsul ab Arcadia Latios Euander in agros
Venerat, impositos attuleratque deos.
Hic, ubi nunc Roma est orbis caput, arbor et herbae,
Et paucae pecudes, et casa rara fuit.
Quo postquam ventum, Consistite! praescia mater,
Nam locus imperii rus erit istud, ait.
Et matri et vati paret Nonacrius heros,
Inque peregrina constitit hospes humo.
Sacraque multa quidem, sed Fauni prima bicornis
Has docuit gentes, alipedisque dei.
Semicaper, coleris cinctutis, Faune, Lupercis,
Quum lustrant celebres vellera secta vias.

---

89. Multi *Ladoque*. Un. mel *ferox*. De *Ladone* II, 274. Callim H. Iov. 18. Λάδων — μέγας. — Duo opt. *Maenalos*, quod Hs rec., tres al. opt. *Maenalon*, recte forsan, addit Hs, quod recepi, cet. *Maenalus*. Theocr. Id. I, 124. εἴτε τύγ' ἀμφιπολεῖς μέγα Μαίναλον. — 90. Tres *condita*, etiam non male, addit Hs. — Cf. I, 469. II, 290. 91. Quat. opt. *Arcadiis*, quod Hs rec., cet. *Arcadia*, quod retinui. 92. Duo ex opt. *appositos intuleratque*. Cf. II, 297. 93. Cf. III, 71. Virg. A. VIII, 98. *muros arcemque procul ac rara domorum Tecta vident: quae nunc Romana potentia coelo Aequavit: tum res inopes Euandrus habebat*. 94. Un. *parva f.*, alius opt. *pauca f.* 96. Un. *rus nil istud erit*, tres *rus ait illud erit*. Cf. I, 515. *Heros*. Dion. Hal. Antiq. I, 31. Εὔανδρος, Ἑρμοῦ γενόμενος καὶ νύμφης τινὸς Ἀρκάσιν ἐπιχωρίας, ἣν οἱ μὲν Ἕλληνες Θέμιν εἶναι λέγουσι καὶ θεοφόρητον ἀποφαίνουσιν· οἱ δὲ Ῥωμαῖοι τῇ πατρῴᾳ γλώσσῃ Καρμένταν ὀνομάζουσιν. 97. Cf. II, 275. 98. Duo ex opt. et sex al. *exul humo*. 99. Cf. II, 268. Dion. Hal. Antiq. I, 32. Οἱ Ἀρκάδες — ἱερὰ ἱδρύονται· πρῶτον μὲν τῷ Λυκαίῳ Πανὶ· Ἀρκάσι γὰρ θεῶν ἀρχαιότατός τε καὶ τιμιώτατος ὁ Πάν. 101. *Semic*. II, 361. IV, 752. Quinq. opt. et plur. al. *cinctutis*, quod e. Ciof. Hs rec., cet. *succinctis*. Plutarch. Quaest. Rom. 68. Λούπερκοι εἰσὶν οἱ τοῖς Λουπερκαλίοις γυμνοὶ διαθέοντες ἐν περιζώμασι, καὶ καθικνούμενοι σκύτει τῶν ἀπαγτώντων. 102. Multi etiam opt. *ce-*

At tu materno donasti nomine mensem,
  Inventor curvae, furibus apte, fidis.
Nec pietas haec prima tua est: septena putaris,
  Pleïadum numerum, fila dedisse lyrae.
Haec quoque desierat; laudata est voce sororum.
  Quid faciam? turbae pars habet omnis idem.
Gratia Pieridum nobis aequaliter adsit,
  Nullaque laudetur plusve minusve mihi.

Ab Iove surgat opus. Prima mihi nocte videnda
  Stella est in cunas officiosa Iovis.
Nascitur Oleniae signum pluviale Capellae:
  Illa dati coelum praemia lactis habet.

---

leres. — Pleriq. *verbera;* sex ex opt. et al. *vellera,* quod Hs c. Ciof. rec.; duo *tergora* — Duo ex opt. et multi al. *manus* Hs mav. aut *steriles tergora s. manus,* aut *ster. vellera s. manus.* Cf. II, 425. 445.

103. Duo ex opt. *munere.* 104. Sex *cytharae fur.;* duo *Inventorque lyrae fur. apta fides;* plurimi *apta fides.* Homer. H. Merc. 25. Ἑρμῆς τοι πρώτιστα χέλυν τεκλήνατ' ἀοιδόν — Ἐπλὰ δὲ συμφώνους ὀΐων ἐτανύσσατο χόρδας. Horat. Od. I, 10, 5. *Te canam magni Iovis ac deorum Nuntium, curvaeque lyrae parentem; Callidum, quidquid placuit, iocoso Condere furto.* Cf. V, 667. 105. Un. pro var. lect. *plena tua.* 106. Multi *numerum,* quod Hs rec., duo ex opt. *in numerum,* un. mel. *ad numerum,* cet. *numero.* 107. Quat. *laudatque;* hinc Hs ex suo ingenio *laudataque v. s. est,* ceter. lect. ego recepi. 108. Un. et edd. nonn. *faciant.* 109. Un. *Pierides.* 110. Cf. VI, 97., etsi alibi aliter, ut 427 et I, 41. 111. Arat. Phaen. 1. Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα. 112. Alii pleriq. *in cunis;* nostr. ex optimis et al. multis Hs c. Neap. rec. — Sex *Iovi.* 113. Nonn. *sidus.* Cf. III, 443. Arat. Phaen. 163. Αἶξ ἱερὴ, τὴν μέν τε λόγος Διὶ μαζὸν ἐπισχεῖν· Ὠλενίην δέ μιν Αἶγα Διὸς καλέουσ' ὑποφῆται. Manil. Astr. I, 373. *Nobilis et mundi nutrito rege capella, Cuius ab uberibus magnum ille ascendit Olympum Lacte fero crescens ad fulmina vimque tonandi.* Eratosth. Catast. 13. Μουσαῖός φησι, Δία γεννώμενον ἐγχειρισθῆναι ὑπὸ Ῥέας Θέμιδι. Θέμιν δὲ Ἀμαλθείᾳ δοῦναι τὸ βρέφος· τὴν δὲ ἔχουσαν αἶγα

Naïs Amalthea, Cretaea nobilis Ida.
Dicitur in silvis occuluisse Iovem.
Huic fuit haedorum mater formosa duorum,
Inter Dictaeos conspicienda greges,
Cornibus aëriis atque in sua terga recurvis,
Ubere, quod nutrix posset habere Iovis.
Lac dabat illa deo. Sed fregit in arbore cornu:
Truncaque dimidia parte decoris erat.
Sustulit hoc Nymphe, cinxitque recentibus herbis,
Et plenum pomis ad Iovis ora tulit.
Ille, ubi res coeli tenuit, solioque paterno
Sedit, et invicto nil Iove maius erat,
Sidera nutricem, nutricis fertile cornu
Fecit; quod dominae nunc quoque nomen habet.
Praestitibus Maiae Laribus videre Kalendae
Aram constitui, signaque parva deûm.

ὑποθεῖναι, τὴν δὲ ἐκθρέψαι Δία. *Pluviale.* Virg. A. IX, 668. *pluvialibus Hoedis,* ad quem loc. Servius: *Supra Tauri cornua est signum, cui Auriga nomen est. Retinet autem stellas duas in manu, quae Hoedi vocantur, et capram — quarum et ortus et occasus gravissimas tempestates faciunt.*

115. Duo opt. *Cretaea et,* un. ex opt. *Cretaeaque.* Hs mav. *Creteide* vel *Curetide.* — Un. *nob. ora.* 117. Duo ex mel. *famosa.* 119. Un. *reversis.* 120. Tres *possit,* un. *debet,* non inepte, addit Burm. 121. Un. ex opt. *dedit illa Iovi,* quat. *ipsa.* 122. Un. ex opt. *f. Fractaque.* 123. Plurimi *cinxitque,* quod restitui, unus tantum ex mel. *cinctumque,* quod Hs rec. — Tres opt. plurimiq. al. *decoribus,* non male, alii *decentibus,* alii *virentibus,* quinq. opt. et duodec. al. *recentibus,* quod rec. Hs. — De *cornu* Apollodor. II, 7, 5. Ἀμάλθεια ἦν Αἰμονίου θυγάτηρ, ἣ κέρας εἶχε ταύρου· τοῦτο δὲ, ὡς Φερεκύδης λέγει, δύναμιν ἔχει ταύτην, ὥστε βρωτὸν ἢ ποτὸν, ὅπερ εὔξαιτό τις, παρέχειν ἄφθονον. 125. Un. ex opt. *rex coelum,* septem *rex coeli.* Hs coni. *rex rerum.* 126. Ipsum Apollinem noster M. II, 60. loquentem facit: *Quid Iove maius habemus?* Horat. Od. I, 12, 17. de Iove: *Unde nil maius generatur ipso, Nec viget quidquam simile aut secundum.* 127. Pauci *et nutricis.* 129. Un. *Praest. festum Lar.* Plut. Qu. Rom. 51. Διὰ τί τῶν Λαρητῶν, οὓς ἰδίως πραισλίτας καλοῦσι,

Voverat illa quidem Curius: sed multa vetustas
  Destruit, et saxo longa senecta nocet.
Causa tamen positi fuerat cognominis illis,
  Quod praestant oculis omnia tuta suis.
Stant quoque pro nobis, et praesunt moenibus urbis,
  Et sunt praesentes, auxiliumque ferunt.
At canis ante pedes, saxo fabricatus eodem,
  Stabat. Quae standi cum Lare causa fuit?
Servat uterque domum, domino quoque fidus uterque.
  Compita grata deo: compita grata cani.
Exagitant et Lar, et turba Diania, fures:
  Pervigilantque Lares, pervigilantque canes.
Bina gemellorum quaerebam signa deorum,
  Viribus annosae facta caduca morae:
Mille Lares, Geniumque ducis, qui tradidit illos,
  Urbs habet; et vici numina trina colunt.

τούτοις κύων παρέστηκεν, αὐτοὶ δὲ κυνῶν διφθέραις ἀμπέχονται; ἢ πρωτίστης μὲν οἱ προεστῶτές εἰσι, τοὺς δὲ προεστῶτας οἴκου φυλακικοὺς εἶναι προσήκει etc.

131. Ita versum leg. Hs c. Ciof. ex uno omnium optimo cod., de ceteror. codd. lect. nihil omnino annotans; alius vet. cod. ap. Neap. *Struxerat illa q. C.* Edd. ante Hs et codd. cet., ut videntur, omnes, *Ara erat illa quidem Curibus.* Quid verum sit, incertum, praesertim quum Varro L. L. IV. p. 22. dicat, *Tatius vovit Opi — — Laribus, Dianae* etc. Item Dionys. Halic. Antiq. IV, 14. Servium Tullium Compitalia primum instituisse dicit. Cf. II, 615. 133. Pauci *Causa quidem fuerat positi* — Un. opt. et fortasse plures *illa.* 135. Un. *prosunt.* Tibull. I, 10, 25. *At nobis aerata, Lares, depellite tela.* 137. Pleriq. *At canis,* quod Hs rec., cet. *Et canis* — Quat. *pedem.* 138. Un. *stanti.* 139. Un. ex mel. *domino fidelis uterque,* un. *gratus,* alius *factus.* 140. Pro *deo* unus *Iovi.* Varro L. L. V. p. 58. *Compitalia dies attributus Laribus; ideo, ubi viae competunt, tum in compitis sacrificatur; quotannis is dies concipitur.* 141. Un. *Exag. fures et L. et t. Dianae;* alius *Exag. et Lar fures et t. Dianae.* 143. Cf. II, 615. 144. Quat. *Usibus* — Un. *cad. deae.* 145. Codd. variant, *gemitumque, geminumque, geminique, gremiumque, geminumque decus* sive *ducem.* 146. Duo *dabit, et,* non male,

Quo feror? Augustus mensis mihi carminis huius
Ius dabit. Interea Diva canenda Bona est.
Est moles nativa: loco res nomina fecit.
Appellant saxum: pars bona montis ea est.
Huic Remus institerat frustra, quo tempore fratri
Prima Palatinae regna dedistis aves.
Templa Patres illic, oculos exosa viriles,
Leniter acclivi constituere iugo.
Dedicat haec veteris Clausorum nominis heres,
Virgineo nullum corpore passa virum.
Livia restituit, ne non imitata maritum
Esset, et ex omni parte secuta virum.

Postera quum roseam pulsis Hyperionis astris
In matutinis lampada tollit equis,

---

addit Burm. — Sex *terna*, recte, duo *bina*. — Suet. Aug. 31. *Compitales Lares ornari bis anno instituit vernis floribus et aestivis.* Plin. H. N. III, 9. *Urbs habet compita Larium CCLXV.* Augustus ipse in Larium numerum relatus a. U. 718, quo tempore Horat. canit Od. IV, 5, 34. *Te multa prece, te prosequitur mero Defuso pateris, et Laribus tuum Miscet numen, uti Graecia Castoris Et magni memor Herculis.*

147. Un. ex opt. *sibi carminis huius Ius habet*, quod Burm. placet; idem tamen mav. *sibi numinis;* quat. *nominis huius.* 148. Quat. ex opt. et sex al. *dabit*, quod Hs rec., cet. *habet.* 151. Un. ex opt. a manu pr. *Hunc*, decem *Hic*, novem *Huc.* Livius I, 6. *Palatium Romulus, Remus Aventinum ad inaugurandum templa capiunt.* 152. Tres opt. *signa*, quod Hs rec., cet. *regna*, quod reduxi. 153. Plutarch. Caes. 9. Ἄνδρα προσελθεῖν οὐ θέμις, οὐδ' ἐπὶ τῆς οἰκίας γενέσθαι, τῶν ἱερῶν ὀργιαζομένων. 154. Un. ex mel. et sex al. *acclivo*, novem *acclini.* 155. Neap. ex priscis libr. rec. *Clausorum*, quod item Hs rec. pro *Crassorum*, etsi tacet de lect. codd. — Fortasse eadem, quae IV, 305. 156. Un. ex opt. pro div. lect. *passa nefas*, forte rectius, addit Hs. 157. Cf. I, 649. 158. Duo ex opt. et plurimi alii *et est omni.* Hinc Hs coni. *ut est — secuta suum.* 159. Homer. Hymn. 31. Hyperioni Euryphaessa τέκε κάλλιμα τέκνα, Ἠῶ τε ῥοδόπηχυν, ἐϋπλόκαμόν τε Σελήνην, Ἠέλιόν τ' ἀκάμαντ', ἐπιείκελον ἀθανάτοισιν. Virg. A. VII, 26. *Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.* 160. Meliores *tollit*, quod Hs rec., cet. *tollet.*

Frigidus Argestes summas mulcebit aristas,
Candidaque a Calabris vela dabuntur aquis.
At simul inducunt obscura crepuscula noctem,
Pars Hyadum toto de grege nulla latet.
Ora micant Tauri septem radiantia flammis,
Navita quas Hyadas Graius ab imbre vocat.
Pars Bacchum nutrisse putat: pars credidit esse
Tethyos has neptes, Oceanique senis.
Nondum stabat Atlas humeros oneratus Olympo,
Quum satus est forma conspiciendus Hyas.
Hunc stirps Oceani maturis nisibus Aethra
Edidit, et Nymphas: sed prior ortus Hyas.
Dum nova lanugo, pavidos formidine cervos
Terret: et est illi praeda benigna lepus.

---

161. Marsus leg. *Agrestis.*— Quinq. *miscebit,* quod Burm. plac. et Gier. rec. — Plin. H. N. XVIII, 34, 77. *Ex adverso Vulturni* (Euri) *flabit Corus ab occasu solstitiali et occidentali latere septemtrionis, Graecis dictus Argestes, ex frigidissimis et ipse.* Seneca N. Q. V, 16. *Argestes fere mollis est et tam euntibus communis, quam redeuntibus.* 162. Plurimi *capreis,* quat. *a campis,* tres *a canis,* un. *qua canis.* Cum Neap. Hs tacite rec. *Calabris.* 163. Meliores *inducunt,* quod Hs rec., cet. *inducent,* un. *induerint.* — Unus et viginti *nocturna crep.* Nost. M. I, 219. *Ingredior, traherent quum sera crepuscula noctem.* 164. Bersm. mav. *patet.* Plin. H. N. XVIII, 66. *VI Non. Maias Caesari Suculae matutino oriuntur.* 165. Tres *stellis.* — Hygin. Fab. 192. *Atlas ex Pleione sive Oceanitide duodecim filias habuit et filium Hyantem. — Ex his quinq. primae inter sidera relatae, quae a fratris nomine appellantur. Easdem latine Suculas vocant. Quidam aiunt in modum* T *litterae positas, inde Hyadas dici; nonnulli, quod, quum oriantur, pluvias efficiant. Est autem Graece ὕειν pluere.* 167. Nonn. *putant,* venustius ait Hs., un. *ferunt.* — Apollod. III, 4, 3. mutata fabula Διόννσον Ἑρμῆς πρὸς Νύμφας ἐκόμισεν ἐν Νύσῃ τῆς Ἀσίας κατοικούσας, ἃς ὕσʃερον Ζεὺς κατασʃερίσας ὠνόμασεν Ὑάδας. 171. Un. mel. *maternis.* — Duo ex opt. et sex alii *nisibus,* quod Hs rec., octo *mensibus,* novem *nexibus,* cet. *nixibus.* 173. Plurimi *lanugo est,* nostr. ex melior. rec. Hs. — Virg. A. XII, 750. *Cervum puniceae septum formidine pinnae.* Nemesian. Cyneg. 303. *Linea quin etiam, magnos circumdare saltus Quae possit, volucresque metu con-*

At postquam virtus annis adolevit, in apros
Audet et hirsutas cominus ire feras.
Dumque petit latebras fetae catulosque leaenae,
Ipse fuit Libycae praeda cruenta ferae.
Mater Hyan, et Hyan moestae flevere sorores,
Cervicemque polo suppositurus Atlas.
Victus uterque parens tamen est pietate sororum.
Illa dedit coelum: nomina fecit Hyas.
Mater, ades, florum, ludis celebranda iocosis:
Distuleram partes mense priore tuas.
Incipis Aprili: transis in tempora Maii.
Alter te fugiens, quum venit alter, habet.
Quum tua sint cedantque tibi confinia mensum,
Convenit in laudes ille vel iste tuas.
Circus in hunc exit, clamataque palma theatris:
Hoc quoque cum Circi munere carmen eat.

---

cludere praedas, Digerat innexas non una ex alite pinnas. Namque ursos — ceu fulgura coeli Terrificant, linique vetant transscendere septum.

175. Plurimi *animis*, duo ex opt. *animos*, alii plurimi *annos*. 176. Hs mav. *gaudet*. — Plurimi *feras*, quod reduxi; ex uno antiquo Neap. rec. *leas*, quod item fecit Hs, ceterum de lect. ceteror. codd. tacens. De cane venatico Epigr. (Poet. min. I. p. 121. ed. Wernsd.) 3. *Docta per incertas audax discurrere silvas, Collibus hirsutas atque agitare feras.* 178. Sex opt. et quat. al. *ferae*, quod Hs rec., cet. *leae*. 179. Similiter nautae Hylan relictum clamant ap. Virg. E. VI, 44. *ut litus Hyla, Hyla omne sonaret.* Ter repetitum nomen ap. Virg. G. IV, 525. *Eurydicen vox ipsa et frigida lingua, Ah miseram Eurydicen! anima fugiente vocabat; Eurydicen toto referebant flumine ripae.* 180. Un. ex opt. *polis*. 183. Pleriq. *celebrata*, quod Mitsch. rec. — Floralia quando primum instituta v. ad IV, 943. 184. Tres *laudes*. 187. De Genit. *mensum* (V, 424.) v. Schneider's Formenlehre T. I. P. I. p. 244. 188. Meliores *vel iste*, quod cum Hs recepi, cet. *vel ille*, quod Burm. rec. 189. Cf. 261. Un. ex opt. et tres al. *laudataque* — Un. ex opt. et duo al. *triumphis*. Cic. Orat. III, 50. *tota theatra reclamant*. Stat. Theb. VI, 557. *Et bis in Isthmiaca victor clamatus arena*. 190. Duo ex opt. *numine*.

Ipsa doce, quae sis. Hominum sententia fallax.
Optima tu proprii nominis auctor eris.
Sic ego. Sic nostris respondit diva rogatis:
— Dum loquitur, vernas efflat ab ore rosas —
Chloris eram, quae Flora vocor. Corrupta Latino
Nominis est nostri littera Graeca sono.
Chloris eram Nymphe campi felicis, ubi audis
Rem fortunatis ante fuisse viris.
Quae fuerit mihi forma, grave est narrare modestae:
Sed generum matri repperit illa deum.
Ver erat: errabam: Zephyrus conspexit. Abibam:
Insequitur; fugio. Fortior ille fuit.
Et dederat fratri Boreas ius omne rapinae,
Ausus Erechthea praemia ferre domo.
Vim tamen emendat dando mihi nomina nuptae:
Inque meo non est ulla querela toro.

---

191. Pleriq. *scis*, nostr. e melior. Hs rec. 193. Meliores *respondit*, quod pro *respondet* ceteror. Hs rec. 194. Alii *afflat*. 195. Un. ex opt. *Gloris*. — Tredec. *Latini*, tres *Latinis*. Foggini ad Verrii Fast. Praen. leg. *Sabino*. Varro L. L. IV. p. 22. *Sabinorum linguam olent, quae Tatii regis voto sunt Romae dedicatae. Nam, ut annales dicunt, vovit Opi, Floraeque* etc. 198. Interpp. intelligunt *Fortunatorum insulas* (μακάρων νήσους Hesiod. Ἔργ. 169.), de quibus Muret. Var. lect. V, 1. et Horat. Epod. XVI, 41. *Nos manet Oceanus circumvagus, arva beata, Petamus arva, divites et insulas, Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis, Et imputata floret usque vinea, Germinat et numquam fallentis termes olivae, Suamque pulla ficus ornat arborem* etc. 199. Multi *fuerat* — Multi *modeste*. 203. Un. ex opt. *At*. 204. Edd. quaed. *Erichthea*. Herodot. VII, 189. Βορῆς κατὰ τὸν Ἑλλήνων λόγον ἔχει γυναῖκα Ἀτλικὴν Ὠρειθυίην τὴν Ἐρεχθέος. De Orithyiae raptu Ovid. M. VI, 677 sq. Apollon. Argon. I, 214. Ἐρεχθηίδα Ὠρείθυιαν Θρηΐκιος Βορέης ἀνερείψατο Κεκροπίηθεν Ἰλισσοῦ προπάροιθε χορῷ ἔνι δινεύουσαν. 205. Tres *praemia*, un. ex opt. *numina*. — Alii *Nymphae*. Utrumque Hs mav.

Vere fruor semper: semper nitidissimus annus.
Arbor habet frondes, pabula semper humus.
Est mihi fecundus dotalibus hortus in agris.
Aura fovet; liquidae fonte rigatur aquae.
Hunc meus implevit generoso flore maritus:
Atque ait, Arbitrium tu, dea, floris habe.
Saepe ego digestos volui numerare colores;
Nec potui; numero copia maior erat.
Roscida quum primum foliis excussa pruina est,
Et variae radiis intepuere comae;
Conveniunt pictis incinctae vestibus Horae,
Inque leves calathos munera nostra legunt.
Protinus accedunt Charites, nectuntque coronas,
Sertaque coelestes implicitura comas.
Prima per immensas sparsi nova semina gentes.
Unius tellus ante coloris erat.

---

207. Omnes fere *semper nitid.*, quod reduxi; un. ex opt. et tres al. *per me*, quod Burm. rec.; un. ex opt. *vere est*, alius opt. *vere*; hinc Hs coni. et rec. *veri*. — Quat. opt. et duo al. *tepidissimus*. Cf. 265. IV, 126. 210. Tres opt. et sex al. *sponte*. — Totidem opt. et duo al. *rigantur*, un. ex mel. *rorantur*. — Quid. *liquidis — aquis*. Catull. 63, 283. *Aura parit flores tepidi fecunda Favoni*. 211. Francius malebat *numeroso*. — Ovid. M. XIII, 818 *Pruna generosa*. Id. Rem. 567 *generosa uva*. Virg. G. III, 75. *generosum pecus*. 213. Duo ex opt. *disiectos* — Quat. *narrare*, un. *mirare*. 214. Ut *fide maius* II, 113. Virg. II, 103. *Sed neque quam multae species* (uvarum) *nec nomina quae sint, Est numerus, neque enim numero comprendere refert*. — 215. Un. *spoliis*. 216. Cf. IV, 438. 217. Quat. *Tunc veniunt*. — Tres *floribus*. — Ignotus poeta Cyprii carminis ap. Athen. XV, p. 682. ed. Cas. Εἵματα μὲν χροῒας τότε αἱ Χάριτές τε καὶ Ἄωραι Ποίησαν, καὶ ἔβαψαν ἐν ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν, Οἷα φοροῦσ' Ὧραι, ἔν τε κρόκῳ, ἔν θ' ὑακίνθῳ, Ἔν τ' ἴῳ θαλέθοντι, ῥόδον τ' ἐνὶ ἄνθεϊ καλῷ, Ἡδέϊ, νεκταρέῳ, ἔν τ' ἀμβροσίαις καλύκεσσιν Ἀνθεσι Ναρκίσσου καλλιῤῥόου (f. καλλιχρόου). — 219. Un. ex opt. *arripiunt*, quod Hs rec., alius opt. *accipiunt*, un. ex opt. *accidunt*, cet. omn. *accedunt*, quod reduxi. 220. Un. ex opt. *divinas impl.* 221. Un. ex opt. *innumeras*, alius *ingentes* — Duo ex opt. et edd. nonn. *terras*. Hs c. Ciof. e melior. plerisq. rec. *gentes*. 222. Pauci *Huius;* nostr. e melior. Hs c. Ciof. rec.

Prima Therapnaeo feci de sanguine florem:
Et manet in folio scripta querela suo.
Tu quoque nomen habes cultos, Narcisse, per hortos:
Infelix, quod non alter et alter eras!
Quid Crocon, aut Attin referam, Cinyraque creatum,
De quorum per me vulnere surgit honor?
Mars quoque, si nescis, per nostras editus artes.
Iuppiter hoc ut adhuc nesciat, usque precor.
Sancta Iovem Iuno, nata sine matre Minerva,
Officio doluit non eguisse suo.
Ibat, ut Oceano quereretur facta mariti:
Restitit ad nostras fessa labore fores.
Quam simul adspexi, Quid te, Saturnia, dixi,
Attulit? Exponit, quem petat illa locum.

---

223. Quid. *Prima ego Amyclaeo.* De Hyacinthi metamorphosi noster M. X, 162, ubi (215) Apollo *suos gemitus foliis inscribit; et Ai Ai Flos habet inscriptum, funestaque littera ducta est.* 225. Un. ex opt. *carmen,* un. *numen* — Multi et edd. quaed. *agros.* De Narcisso Met. III, 407. ubi 416. *Dumque bibit, visae correptus imagine formae, Spem* (Rem) *sine corpore amat; corpus putat esse, quod umbra est. Adstupet ipse sibi, vultuque immotus eodem Haeret.* 227. De Croco M. IV, 283. *Et Crocon in parvos versum cum Smilace flores Praetereo.* — Tres opt. et fortasse al. *Attin,* quod c. Burm. servavi, un. ex opt. *Atyn,* alius opt. *Actyn,* alius *Athin,* plurimi *Athim* vel *Atym* vel *Astim.* Hs rec. *Attyn.* Cf. IV, 223. Alibi M. X, 103. Cybele Attin in pinum transformat. Arnobio V. p. 181. auctore: *Fluore de sanguinis viola flos nascitur, et redimitur ex hac arbos* (pinus). — Multi *Cinaraque* vel *Cynaraque.* De Adonidis in Anemonen transformatione v. M. X, 728 228. Meliores fere omnes *vulnere,* quod c. Ciof. Hs rec., un. *munere,* cet. *sanguine.* 229. Un. ex opt. *qui nescis.* — Un. *editur* — Cf. 255. Aliter Graeci. Hesiod. Theog. 922. Iuno ex Iove Ἥβην καὶ Ἄρηα καὶ Εἰλείθυιαν ἔτικτεν. 231. Cf. III, 841. 233. Un. tantum ex opt. *furta,* quod Hs rec., cet. omnes *facta,* quod servavi. Cf. ad 21. 235. Un. ex opt. *Quam postquam vidi.* 236. Neap. ex uno cod. rec. *Exponit,* quod Hs item servavit, nihil de codd. annotans. Alii ut omnes edd. ante Hs *Exposuit,* quod, si alteri maior codd. auctoritas desit, retinendum est. — Octo *petit.* — Novem *ipsa.*

Addidit et causam. Verbis solabar amicis.
Non, inquit, verbis cura levanda mea est.
Si pater est factus neglecto coniugis usu
Iuppiter, et solus nomen utrumque tenet;
Cur ego desperem fieri sine coniuge mater,
Et parere intacto, dummodo casta, viro?
Omnia tentabo latis medicamina terris,
Et freta Tartareos excutiamque sinus.
Vox erat in cursu: vultum dubitantis habebam.
Nescio quid, Nymphe, posse videris, ait.
Ter volui promittere opem, ter lingua retenta est:
Ira Iovis magni causa timoris erat.
Fer, precor, auxilium, dixit; celabitur auctor:
Et Stygiae numen testificatur aquae.
Quod petis, Oleniis, inquam, mihi missus ab arvis
Flos dabit. Est hortis unicus ille meis.

---

237. Duo *Edidit* — Un. ex melior. *causas.* 240. Un. *numen;* alius *nomen solus,* quod Burm. primus tacite rec. Ego veterem ordinem servavi. 241. Octo ex melior. *desierim,* tres *despicerem.* Hs mav. *despuerim,* vel potius *respuerim.* 242. Döringius in Eclog. poet. p. 44, ut insolentiam orationis tolleret, leg. *intactam.* — Un. mel. *casta, Iove.* 243. Duo opt. *laetis,* alii duo opt. *Latiis.* 244. Sex *deos.* 245. Cf. VI, 362. 246. Quat. et edd. quaed. *scire vid.* 250. Alii *nomen.* Tres opt. et quat. al. *testificatur,* quod Hs rec., cet. *testificabor.* Cf. III, 322. Quisquis deorum per Stygem peieravit, is auctore Hesiod. Theog. 795. Κεῖται νήϋτμος τετελεσμένον εἰς ἐνιαυτόν· Οὐδέ ποτ' ἀμβροσίης καὶ νέκταρος ἔρχεται ἆσσον Βρώσιος, ἀλλά τε κεῖται ἀνάπνευστος καὶ ἄναυδος Στρωτοῖς ἐν λεχέεσσι, κακὸν δ' ἐπὶ κῶμα καλύπτει. Αὐτὰρ ἐπὴν νοῦσον τελέσῃ μέγαν εἰς ἐνιαυτόν, Ἄλλος δ' ἐξ ἄλλου δέχεται χαλεπώτατος ἆθλος. Ἐννάετες δὲ θεῶν ἀπομείρεται αἰὲν ἐόντων, Οὐδέ ποτ' ἐς βουλὴν ἐπιμίσγεται, οὐδ ἐπὶ δαῖτας, ἐννέα πάντ' ἔτεα· δεκάτῳ δ' ἐπιμίσγεται αὖτις Εἴραις ἀθανάτων, οἳ Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσι. 251. Un. ex opt. et alius *hoc Geticis* — Quidam etiam mel. *tibi missus,* quod Ciof. plac., un. *nuper mihi m.,* alius ex opt. *messis.* — Un. *agris,* alius *aris,* alii *oris.*

Qui dabat, Hoc, dixit, sterilem quoque tange iuvencam;
Mater erit. Tetigi; nec mora, mater erat.
Protinus haerentem decerpsi pollice florem.
Tangitur; et tacto concipit illa sinu.
Iamque gravis Thracen et laeva Propontidos intrat,
Fitque potens voti; Marsque creatus erat;
Qui memor accepti per me natalis, Habeto
Tu quoque Romulea, dixit, in urbe locum.
Forsitan in teneris tantum mea regna coronis
Esse putes; tangit numen et arva meum.
Si bene floruerint segetes, erit area dives:
Si bene floruerit vinea, Bacchus erit.
Si bene floruerint oleae, nitidissimus annus,
Pomaque proventum temporis huius habent.
Flore semel laeso pereunt viciaeque fabaeque,
Et pereunt lentes, advena Nile, tuae.

---

253. Plurimi *Qui dabat hunc*, Neap. ex suo libro *Cui d. hunc*, alii nostr. De codd. nihil Hs. 254. Plurimi *Tetigit*. 255. Tres *stipite*. Colum. de cultu hort. 303. *Et vos agrestes, duro qui pollice molles Demetitis flores*. Virg. A. XI, 68. *Qualem virgineo demessum pollice florem*. 256. Ita plurimi legere videntur; alii *Tangit, et e tacto;* Neap. mav. *Tangit, et intacto;* Burm. mav. *Tangit ut, intacto*. Hs nihil de codd. 257. Virg. A. III, 13. *Terra procul vastis colitur Mavortia campis, Thraces arant*. Callim. Del. 63. Ἥμενος ὑψηλῆς κορυφῆς ἔπι Θρήϊκος Αἵμου Θοῦρος Ἄρης ἐφύλασσε σὺν ἔντεσι. 258. Un. *pot. uteri*. Cf. III, 269. 259. Pleriq. *Quum* vel *Tum*. 262. Duo mel. *tangunt*, quod Hs rec., cet. omnes *tangit*, quod reduxi. — Mitsch. edid. *nomen*. 265. Un. *plantae, nit.* — Cf. 207. 266. Tres opt. *Pomaque prov.*, quod Hs rec., cet. *Poma quoque eventum*. De oleis hoc alibi non dicitur, sed de amygdalis, ut ap. Theophyl. Probl. nat. 17. Ὅρα τὴν ἀμυγδαλὴν τῷ καρπῷ βριθομένην· τοιγαροῦν εὐετηρίας τεκμήριον μέγιστον. 267. Omnes opt. *semel*, quod c. Ciof. Hs rec., cet. *simul*. — Alii *vitesque*. 268. Cf. II, 68. — Un ex opt. *Nile, deae*. — Virg. G. I, 228. *Nec Pelusiacae curam adspernabere lentis*. Martial. XIII, 9. *Accipe Niliacam, Pelusia munera, lentem*.

Vina quoque in magnis operose condita cellis
Florent, et nebulae dolia summa tegunt.
Mella meum munus. Volucres ego mella daturas
Ad violam, et cytisos, et thyma cana voco.
Nos quoque idem facimus tunc, quum iuvenilibus annis
Luxuriant animi, corporaque ipsa vigent.
Talia dicentem tacitus mirabar. At illa,
Ius tibi discendi, si qua requiris, ait.
Dic, dea, ludorum, respondi, quae sit origo.
Vix bene desieram; rettulit illa mihi.
Cetera luxuriae nondum instrumenta vigebant:
Aut pecus, aut latam dives habebat humum.
Hinc etiam *locuples*, hinc ipsa *pecunia* dicta est.
Sed iam de vetito quisque parabat opes.
Venerat in morem populi depascere saltus:
Idque diu licuit, poenaque nulla fuit.
Vindice servabat nullo sua publica vulgus:
Iamque in privato pascere inertis erat.

---

269. Duo ex opt. *Vinaque in immensis* — Un. *copiose*. 270. Un. *summa tenent*. Colum. R. R. XII, 30. *Si vinum florere incipiet, saepius curare oportebit, ne flos eius pessum eat et saporem vitiet*. Plin. H. N. XIV, 21, 27. *Flos vini candidus probatur; rubens triste signum est, si non is vini color sit. — Quod celeriter florere coeperit odoremque trahere, non erit diutinum*. 272. Quat. *grata*, septem *summa*, cet. *cana*, quod Hs rec. 273. Un. *puerilibus*. 274. Un. opt. et alius a manu pr. *virent*, eleganter, ut ait Hs idque Burm. rec., un. ex opt. *valent*, cet. omnes *vigent*, quod c. Hs servavi. 276. Meliores pleriq. *discendi* omisso *est*, quod c. Ciof. Hs rec., cet. *dicendi est*. — Un. *relinquis*. 277. Quid. *respondit*. 278. *Vix b.* ut VI, 513. 279. Sall. Cat. 25 de Sempronia, *docta psallere, saltare et multa alia, quae instrumenta luxuriae sunt*. 280. Un. ex opt. *pecora* — Un. ex opt. *laetam*. 281. Plin. H. N. XVIII, 3. *Hinc et locupletes dicebant loci hoc est agri plenos. Pecunia ipsa a pecore appellabatur. Etiam nunc in tabulis Censoriis pascua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet, quia diu hoc solum vectigal fuerat*. 284. Quat. *Iamque*. 285. Omnes fere *servabat*, quod restitui, un. tantum ex opt. *servabant*, quod Hs rec.: idem tamen mav. *versabant nullo sola p.* — Plu-

Plebis ad Aediles perducta licentia talis
  Publicios: animus defuit ante viris.
Rem populus recipit: multam subiere nocentes.
  Vindicibus laudi publica cura fuit.
Multa data est ex parte mihi: magnoque favore
  Victores ludos instituere novos.
Parte locant clivum, qui tunc erat ardua rupes.
  Utile nunc iter est, Publiciumque vocant.
Annua credideram spectacula facta; negavit:
  Addidit et dictis altera verba suis.
Nos quoque tangit honos, festis gaudemus et aris:
  Turbaque coelestes ambitiosa sumus.
Saepe deos aliquis peccando fecit iniquos:
  Et pro delictis hostia blanda fuit.

---

rimi etiam opt. *publica*, duodec. *pabula*, quid. *pascua*, quod alii praeferunt.

287. Quidam Naugerii *delata*, quod Hs rec., un. *promissa*, cet. *perducta*, quod reduxi. De verbo *perduci* h. c. progredi, continuari, durare v. Lexica. 288. Duo ex opt. *Publiciis*. — Lucius et Marcus Publicii Malleoli a. U. 513. Sed idem animi iam a. U. 457. fuit Aedilibus Plebis et a. U. 462. Aedilib. Curul. Livius enim X, 23. *Ab Aedilibus Pl. L. Aelio Paeto et C. Fulvio Curvo ex multaticia pecunia, quam exegerunt pecuariis damnatis, ludi facti, pateraeque aureae ad Cereris positae.* Idem X, 47. *Ab Aedil. Curul., damnatis aliquot pecuariis, via a Martis silice ad Bovillas perstrata est.* 292. Un. *Auctores*. Hs mav. *Ultores* — Un. ex mel. *constituere suos*, alius *imposuere*. — De aede Florae tum constituta nihil noster; at Tacitus A. II, 49. Tiberius instauravit (a. U. 770) *aedem Florae ab L. et M. Publiciis aedilibus constitutam.* 293. Pleriq. mel. *clivum*, quod c. Neap. Hs rec., cet. *clivi*. — Alii *qua* aut *quo*, aut *quod* — Un. *moles* — Varro L. L. IV. p. 44. *Clivus Publicius ab aedilibus plebei Publiciis, qui eum publice aedificarunt.* Festus h. v. *Publicius clivus appellatur, quem duo fratres L. et M. Publ. Malleoli aediles curules (plebei) pecuariis condemnatis ex pecunia, quam ceperant, munierunt, ut in Aventinum vehicula Velia venire* (aut *vehiculis Velia veniri*) *possent.* 297. Praestantiores *honos*, quod recepi, cet. *honor.* 299. Un. *spectando*, alius opt. *placando.* 300. Un. opt. et duo al.

Saepe Iovem vidi, quum iam sua mittere vellet
Fulmina, ture dato sustinuisse manum.
At si negligimur, magnis iniuria poenis
Solvitur, et iustum praeterit ira modum.
Respice Thestiaden; flammis absentibus arsit.
Causa est, quod Phoebes ara sine igne fuit.
Respice Tantaliden: eadem dea vela tenebat.
Virgo est, et spretos bis tamen ulta focos.
Hippolyte infelix, velles coluisse Dionen,
Quum consternatis deripereris equis.
Longa referre mora est correcta oblivia damnis.
Me quoque Romani praeteriere Patres.
Quid facerem? per quod fierem manifesta doloris?
Exigerem nostrae qualia damna notae?

---

magna, alius opt. *danda*, alius *grata*. Homer. Il. IX, 497. σΙρεπΙοὶ δέ τε καὶ θεοὶ αὐτοί, Τῶν περ καὶ μείζων ἀρετὴ, τιμή τε βίη τε. Καὶ μὲν τοὺς θυέεσσι καὶ εὐχωλῇς ἀγανῇσιν, Λοιβῇ τε, κνίσσῃ τε, παρατρωπῶσ' ἄνθρωποι Λισσόμενοι, ὅτε κέν τις ὑπερβήῃ καὶ ἁμάρτῃ.

301. Un. *Iovem dicunt*. — Un. *iam quum* — Un. ex opt. *iam dimittere*. 304. Un. ex mel. *contrahit ira*. 305. Un. opt. et tres al. *Aspice*, et mox itidem. — Cf. M. VIII, 270. sq. ubi 515. *Inscius atque absens flamma Meleagros in illa Uritur, et caecis torreri viscera sentit Ignibus* —. 306. Un. ex opt. et duo al. *Causaque, quod*. Il. IX, 534. Χωσαμένη, ὅ οἱ οὔτι θαλύσια γουνῷ ἀλωῆς Οἰνεὺς ῥέξ', ἄλλοι δὲ θεοὶ δαίνυνθ' ἑκατόμβας. 307. Neap. leg. *tela*, et Nioben cogitat. de qua M. VI, 146. Idem amplectitur Heinzius Observ. p. 233, cui alter Heinsius, qui *vela* servavit et Agamemnonem intelligit, dormitasse visus est. Verum Nioben ulta est *Latona*, non *Diana*. Cf. M. XII, 8. sq. 309. Tres ex opt. *caluisse Dione*. Cf. VI, 741. M. XV, 497. sq. 310. Un. *Tunc quum infrenatis*. 311. Quid. *collata*, alii *collecta*, quae vulgata est lect. ante Hs, tres *correcta*, quod c. patre Hs rec. Varias varior. codd. lectt. negligenter Hs enotavit. 313. Duo ex opt. et alius *per quae* — Un. *fierem* — Un. *furoris*. 314. Plurimi *Exigerem*, quod Hs rec., cet. *Exigerent*.

Excidit officium tristi mihi. Nulla tuebar
Rura, nec in pretio fertilis hortus erat.
Lilia deciderant: violas arere videres,
Filaque punicei languida facta croci.
Saepe mihi Zephyrus, Dotes corrumpere noli
Ipsa tuas, dixit. Dos mihi vilis erat.
Florebant oleae; venti nocuere protervi.
Florebant segetes; grandine laesa Ceres.
In spe vitis erat: coelum nigrescit ab Austris,
Et subita frondes decutiuntur aqua.
Nec volui fieri, nec sum crudelis in ira:
Cura repellendi sed mihi nulla fuit.
Convenere Patres, et, si bene floreat annus,
Numinibus nostris annua festa vovent.
Annuimus voto. Consul cum Consule ludos
Postumio Laenas persoluere mihi.
Quaerere conabar, quare lascivia maior
His foret in ludis, liberiorque iocus:
Sed mihi succurrit, numen non esse severum,
Aptaque deliciis munera ferre deam.

---

315. Un. ex opt. *tenebam*, alius *videbam*. 317. Un. *horrere*. *Videderes* cf. ad 29. 318. *Fila* cf. I, 342. Plin. H. N. XXI, 6. *Herba croci est folio angusto paene in capillamenti modum*. 319. Cf. I, 342. 321. Horat. Epod. XVI, 22. *quocumque per undas Notus vocabit, aut protervus Africus*. 322. Un. ex opt. et sex al. *Ceres*, quod Hs rec., cet. *seges*. Noster Am. III, 7, 31. *Carmine laesa Ceres sterilem vanescit in herbam*. 323. Quat. *Austro*; un. ex opt. *astris*, alius *in astris*. Virg. G. II, 333. *nec metuit surgentes pampinus Austros, Aut actum coelo magnis Aquilonibus imbrem*. Ib. 404. *silvis Aquilo decussit honorem*. 324. Un. mel. *flores*. — Un. ex opt. et quinq. al. *excutiuntur*, aeque bene. 327. Un. ex opt. *Conveniunt*. 329. Ex libris vet. Hs *voto* rec., cet. *votis*. 330. Un. ex opt. et alius *constituere*. Vin. Pighius (Annal. T. II. p. 368) ex uno cod. *rite vovere*. — L. Postumius Albinus et M. Popilius Laenas a. U. 581, a. C. 173. 332. Un. ex opt. et tres al. *uberiorque*. — Un. *locus*.

Tempora sutilibus cinguntur tota coronis,
Et latet iniecta splendida mensa rosa.
Ebrius incinctis philyra conviva capillis
Saltat, et imprudens vertitur arte meri.
Ebrius ad durum formosae limen amicae
Cantat. Habent unctae mollia serta comae.
Nulla coronata peraguntur seria fronte;
Nec liquidae vinctis flore bibuntur aquae.
Donec eras mixtus nullis, Acheloë, racemis,
Gratia sumendae non erat ulla rosae.
Bacchus amat flores: Baccho placuisse coronam,
Ex Ariadnaeo sidere nosse potes.

---

335. Un. ex opt. *tortilibus*, alii *nexilibus* aut *futilibus* aut *suffusis*. Quae sint istae coronae v. Böttiger Sabina p. 208. Plin. H. N. XXI, 3, 8. *Iam tunc coronae deorum honos erant, et Larium publicorum privatorumque, ac sepulchrorum et Manium, summ. aque auctoritas paotili coronae. Sutiles Saliorum sacris invenimus et sollemnes coenis. Transiere deinde ad rosaria, eoque luxuria processit, ut non esset gratia nisi nevo folio.* — Multi *pinguntur* — Quinq. *tecta*. Hs censet scribendum *pota*, quidquid codd. dissentiant, non tamen recepit. 336. Horat. Od. I, 36, 15. *Neu desint epulis rosae, Neu vivax apium, neu breve lilium.* 337. Quid. *Philyram*, duo ex opt. *phyliras*, un. *hilaris cono*. — Un. *conv. coronis*. Neap. mav. *incinctus — capillos*. Horat. Od. I, 38, 2. *Displicent nexae philyra coronae: Mitte sectari, rosa quo locorum Sera moretur. Simplici myrto nihil allabores Sedulus cura*, ad quem loc. Schol. Cruq. *Philyra id est cortex tiliae arboris; tales enim conviviis adhibebantur operosius factae. — Myrto coronabantur antiqui in conviviis.* 338. Aliquot *utitur*, quod Hs rec., cet. omnes *vertitur*, quod reduxi — Undec. *ante*. — Tibull. I, 2, 37. *Ille liquor docuit voces inflectere cantu, Movit et ad certos nescia membra modos.* Ib. II, 1, 29. *Vina diem celebrent; non festa luce madere Est rubor, errantes et male ferre pedes.* 339. Un. *amatae*. 340. Hs mav. *serta fores*, quod Gierig. quoque unice arridet. Cf. IV, 110. Lucret. IV, 171. *At lacrumans exclusus amator limina saepe Floribus et sertis operit, postesque superbos Unguit amaracino —*. 342. Nonn. *cinctis* vel *iunctis*, alii *iuncto* — Un. ex opt. *bibentur*. 343. Virg. G. I, 9. de Tellure, *Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis*. 346. Un. ex opt. et duo al. *puto*. Cf. III, 515.

Scena levis decet hanc: non est, mihi credite, non est
Illa cothurnatas inter habenda deas.
Turba quidem cur hos celebret meretricia ludos,
Non ex difficili causa petita subest.
Non est de tetricis, non est de magna professis:
Vult sua plebeio sacra patere choro:
Et monet aetatis specie, dum floreat, uti:
Contemni spinam, quum cecidere rosae.
Cur tamen, ut dantur vestes Cerealibus albae,
Sic est haec cultu versicolore decens?
An quia maturis albescit messis aristis,
Et color et species floribus omnis inest?
Annuit; et motis flores cecidere capillis,
Accidere in mensas ut rosa missa solet.
Lumina restabant; quorum me causa latebat,
Quum sic errores abstulit illa meos:

---

384. Horat. A. P. 80. de Iambo, *Hunc socci cepere pedem grandesque cothurni.* Id. Sat. I, 5, 64. *Nil illi larva aut tragicis opus esse cothurnis.* Id. Od. II, 1, 9. *Paullum severae Musa tragoediae Desit theatris; mox ubi publicas Res ordinaris, grande munus Cecropio repetes cothurno.* Id. A. P. 280. Aeschylus *docuit magnumque loqui nitique cothurno.* 349. Un. ex opt. *Turba tamen* — Un. tantum *celebrent,* quod Hs rec., ego reduxi ceteror. omn. lect.; un. ex mel. *celebrat,* alius ex opt. *celebres.* 350. Multi *cognita causa fuit,* ut ante Hs, duo *causa petenda subest,* quod Hs rec., plurimi *causa petita fuit,* sex *causa petita mihi est,* quinq. opt. et quat. al. *causa petita subest,* quod ego recepi; un. *cura petita mihi est.* 351. Duo opt. et octo al. *dea magna.* 352. Un. ex opt. *templa* — Un. *referre,* tres *placere,* alius *parare.* 354. Quat. opt. et al. quat. *Contemni,* quod Hs rec., cet. *Contemnunt.* 355. Plurimi *ut dentur,* un. *addantur,* duo *aptentur,* un. *aptantur.* Cf. IV, 619. 357. Un. ex opt. et quat. al. *arescit.* 358. Quat. opt. et duo al. *At color,* quod Hs plac. — Un. *unus inest.* 360. Pleriq. *Accidere,* quod Hs rec., un. *Accedere,* cet. *Decidere.* Cf. 336. 361. Un. ex opt. *mihi,* quod Latinius putat Burm. 362. *Errores,* ut VI, 255. et *errare* IV, 669.

Annus erat brevior, nec adhuc pia Februa norant,
Nec tu dux mensum, Iane biformis, eras.
Iam tamen exstincto cineri sua dona ferebant,
Compositique nepos busta piabat avi.
Mensis erat Maius, maiorum nomine dictus,
Qui partem prisci nunc quoque moris habet.
Nox ubi iam media est, somnoque silentia praebet,
Et canis et variae conticuistis aves;
Ille memor veteris ritus timidusque deorum
Surgit: — habent gemini vincula nulla pedes —
Signaque dat digitis medio cum pollice iunctis,
Occurrat tacito ne levis umbra sibi;
Quumque manus puras fontana perluit unda,
Vertitur, et nigras accipit ante fabas;

---

423. Un. ex opt. et duo al. *nova Febr.* Cf. II, 19. — Tres opt. et duo al. *norat.* 424. *Mensum* cf. 187. 425. Cf. II, 534. 569. 426. Un. ex opt. *parabat.* Horat. Sat. I, 9, 28. *Omnes composui. Felices! nunc ego resto.* Propert. II, 24, 35. *Tu mea compones ossa* —. 429. Meliores pleriq. nostr., quod Hs rec., cet. *somnosque* aut *somnumque sil. praebent.* — Cf. IV, 549. Horat. Epod. V, 51. *Nox et Diana, quae silentium regis, Arcana quum fiunt sacra, Nunc, nunc adeste.* 430. Cf. IV, 490. Virg. A. IV, 522. *tacent pecudes pictaeque volucres.* Ib. VIII, 26. *Nox erat, et terras animalia fessa per omnes Alituum pecudumque genus sopor altus habebat.* 431. Optim. quisq. nostr. quod Hs rec., alii *ritus veteris.* — Cf. VI, 260. M. I, 323. *non illa* (Pyrrha) *metuentior ulla deorum.* 432. Ita maga illa Medea in M. VII, 182. *Egreditur tectis vestes induta recinctas, Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos.* Horat. Sat. I, 8, 23. *Vidi egomet nigra succinctam vadere palla Canidiam, pedibus nudis, passoque capillo.* 433. Alii *iuncto,* multi *sumptis,* un. *victis.* 435. Plurimi *Quumque,* quod servavi; tres ex opt. *Terque,* quod Hs rec. Idem tamen mav. *Terque m. p. f. ubi perluit* — — Multi *puras,* quod pro alior. *pure* Hs rec. — Alii *perluit,* alii *proluit,* ut IV, 778. 436. Multi *ante,* quod Burm. rec., plurimi *ore,* quod Hs rec. et confert II, 576. — Virg. E. VIII, 101. *rivoque fluenti Transque caput iace, nec respexeris.* Theocr. XXIV, 92. ἂψ δὲ νέεσθαι Ἀσπερπος. Orpheus Lapid. 18, 98. iubet Μήδε μεταστρωφᾶσθαι — Ἀλλ' αἰεὶ προτέρην ἐς ἀτραπὸν ἄσσε φέροντες Ἔρχεσθ' ἐς μέγαρον. — Var-

Aversusque iacit: sed dum iacit, Haec ego mitto;
His, inquit, redimo meque meosque fabis.
Hoc novies dicit, nec respicit. Umbra putatur
Colligere, et nullo terga vidente sequi.
Rursus aquam tangit, Temesaeaque concrepat aera,
Et rogat, ut tectis exeat umbra suis.
Quum dixit novies, Manes exite paterni!
Respicit, et pure sacra peracta putat.
Dicta sit unde dies, quae nominis exstet origo,
Me fugit. Ex aliquo est invenienda deo.
Pliade nate, mone, virga venerande potenti:
Saepe tibi Stygii regia visa Iovis.

---

ro (ap. Nonium) Fragm. p. 241. *Quibus temporibus in sacris fabam iactant noctu, et dicunt, se Lemures domo extra ianuam eiicere.* Festus p 59. *Faba Lemuralibus iacitur Larvis, et Parentalibus adhibetur sacrificiis, et in flore eius luctus litterae apparere videntur.* Nostri botanices gnari intelligunt fabas *Ceratoniae siliquae* (Iohannisbrotpflanze).

438. Tres *relino.* 439. Alii *Haec* — Quinq. *dixit. Novies* ut saepius *ter.* Virg. E. VIII, 75. *Numero deus impare gaudet:* ad quem locum Servius: *Varro dicit, Pythagoreos putare imparem numerum habere finem, parem esse infinitum; ideo medendi causa multarumq. rerum impares numeros servari,* Ovid. M. XIII, 951. *Ego lustror ab illis, Et purgante nefas novies mihi carmine dicto Pectora fluminibus iubeor supponere centum.* 440. Un. *Tollere et haec.* — Un. *sequente.* 441. Un. opt. *aqua,* quod Hs rec., qui aqua tangi aera censet; ego ceteror. omn. lect. restitui. — Duo ex opt. *concutit,* un. *concitat.* Cf. III, 740. — Iam ap. Homer. Od. I, 184. Mentes proficiscitur ἐς Τεμέσην μετὰ χάλκον, ad quem locum Schol. Τεμέσῃ πόλις τῆς Ἰταλίας ἐν Οἰνότροις, ἡ νῦν Τέμψον (al. Τέμψα) καλουμένη, ἢ Βρεντησία (al. Βρεντίσιον). De *aere* Sophron in Mimis: Κύων βαύξας λύει τὰ φάσματα, ὡς καὶ χαλκὸς κροτηθείς. 446. Duo *ex alio.* 447. Edd. omnes *Pleiade.* Cf. IV, 169. — Un. *lingua,* non male, addit Burm. et confert 668. — Un. mel. *reverende.* — Ἑρμῆς χρυσόῤῥαπις, ψυχοπομπός, ψυχαγωγός. Horat. Od. I, 10, 17. *Tu pias laetis animas reponis Sedibus, virgaque levem coerces Aurea turbam.* Id. I, 24, 15. non vanae, ait, imagini redire sanguinem, *Quam virga semel horrida Nigro compulerit Mercurius gregi.* Ap. Virg. A. IV, 242. (Mercurius) *Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco Pallentes: alias sub Tartara tristia mittit.* 448. Duo opt. *cui St.,* plurimi *tibi est St.*

Venit adoratus Caducifer. Accipe causam
Nominis. Ex ipso cognita causa deo est.
Romulus ut tumulo fraternas condidit umbras,
Et male veloci iusta soluta Remo;
Faustulus infelix, et passis Acca capillis
Spargebant lacrimis ossa perusta suis.
Inde domum redeunt sub prima crepuscula maesti,
Utque erat, in duro procubuere toro.
Umbra cruenta Remi visa est assistere lecto,
Atque haec exiguo murmure verba loqui:
En ego dimidium vestri, parsque altera voti
Cernite sim qualis! qui modo qualis eram!
Qui modo, si volucres habuissem regna iubentes,
In populo potui maximus esse meo.
Nunc sum elapsa rogi flammis et inanis imago.
Haec est ex illo forma relicta Remo.

---

449. Multi *adornatus*. 450. Plurimi *ipso est*, e melior. nostr. Hs rec. 451. Cf. IV, 849 sq. Porphyrio ad Horat. Epist. II, 2, 209. *Lemures dictos esse putant quasi Remures a Remo, cuius occisi umbram frater Romulus quum placare vellet, Lemuria instituit.* — Virg. A. III, 67. *animamque sepulcro condimus.* 452. *Iusta* cf. II, 569. III, 560. VI, 492. 455. Plurimi *suprema* — Un. opt. et al. multi *crep. noctis.* 456. Duo ex opt. *Sicut erant.* — Duo mel. *solo.* Cf. I, 200. 205. III, 185. 457. Virg. A. II, 270. *In somnis, ecce, ante oculos maestissimus Hector Visus adesse mihi.* 459. Un. ex opt. et duodec. al. *pars alt.* Horat. Od. I, 3, 8. *Et serves animae dimidium meae.* Idem de Maecenate suo Od. II, 17, 5. *Ah! te meae si partem animae rapit Maturior vis, quid moror altera?* — Noster M. VIII, 499. *ubi nunc pia vota parentum?* 460. Optim. fere quisq. *qualis*, quod Hs rec., cet. *talis*, un. mel. *tantus.* In pron. relat. repetito inest lamentatio, similis illi ap. Virg. A. II, 274. *Heu mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo Hectore, qui* —. 461. Liv. I, 12. *Iuppiter, tuis, inquit Romulus, iussus avibus hic prima urbi fundamenta ieci.* 463. Plurimi *Nunc sum*, quod restitui; Hs c. quibusd. *sum* omisit. Ap. Virg. A. II, 795. Creusae mortuae *imago Par levibus ventis volucriq. simillima somno.* 464. Quinq. *rel. viro.*

Heu! ubi Mars pater est! si vos modo vera locuti,
Uberaque expositis ille ferina dedit.
Quem lupa servavit, manus hunc temeraria civis
Perdidit. O quanto mitior illa fuit!
Saeve Celer, crudelem animam per vulnera reddas,
Utque ego, sub terras sanguinolentus eas!
Noluit hoc frater. Pietas aequalis in illo est.
Quod potuit, lacrimas in mea fata dedit.
Hunc vos per lacrimas, per vestra alimenta rogate,
Ut celebrem nostro signet honore diem.
Mandantem amplecti cupiunt, et brachia tendunt:
Lubrica prensantes effugit umbra manus.
Ut secum fugiens somnos abduxit imago,
Ad regem voces fratris uterque ferunt.
Romulus obsequitur, lucemque Remuria dixit
Illam, qua positis iusta feruntur avis.
Aspera mutata est in lenem tempore longo
Littera, quae toto nomine prima fuit.

---

465. Plurimi *Heus* — Octo *mihi M.* — Duo ex opt. et tres al. *si vos mihi.* 466. Quid. *illa,* unde Ulitius coniec. *ulla* et Hs *silva.* Cf. III, 53. Liv. I, 4. *Lupam ferunt submissas infantibus adeo mitem praebuisse mammas, ut lingua lambentem pueros magister regii pecoris invenerit.* 469. Cf. IV, 837 — Duo *funera* Cf. VI, 745. 471. Hs mav. *ah qualis* vel *at q.,* vel *di q.,* vel *en q.* 472. Un. ex opt. *Quid.* — Multi ex mel. *in mea f.,* quod Hs rec., cet. *Manibus ille.* — Omissum verbum *fecit* aut simile quid post *Quod potuit* Ovidio est familiare, ut M. IV, 684. *Lumina, quod potuit, lacrimis implevit obortis.* 474. Duo ex opt. *festo sign.,* quod Hs rec., ego servavi ceteror. lect., un. ex mel. *noto.* — Un. *reddat hon.* Elogium sepulcro incisum mortuum signat. Virg. A. VII, 3. *Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen Hesperia in magna, si qua est ea gloria, signat.* 476. Un. ex opt. et duo al. *pressantes;* alius ex opt. *prendentes,* alius *praesentes* — Virg. A, II, 792. de Creusae umbra, *Ter conatus ibi collo dare brachia circum, Ter frustra comprensa manus effugit imago.* 477. Multi *Visaque confugiens,* un. *Visa quoque est fugiens,* alius ex opt. *Visaque cum fugeret.* 478. Novem *vocem.* 480. *Iusta* cf. 452. 481. Un. *levem,* alius *laevum,* alius *maiorum temp. longo.* 482. Un. *plena fuit.*

Mox etiam Lemures animas dixere silentum;
Hic verbi sensus, vis ea vocis erat.
Fana tamen veteres illis clausere diebus,
Ut nunc ferali tempore operta vides.
Nec viduae taedis eadem, nec virginis apta
Tempora. Quae nupsit, non diuturna fuit.
Hac quoque de causa, si te proverbia tangunt,
Mense malas Maio nubere vulgus ait.
Sed tamen haec tria sunt sub eodem tempore festa
Inter se nullo continuata die.

Quorum si mediis Boeotum Oriona quaeres;
Falsus eris. Signi causa canenda mihi.
Iuppiter, et, lato qui regnat in aequore, frater
Carpebant socias, Mercuriusque, vias.
Tempus erat, quo versa iugo referuntur aratra.
Et pronum saturae lac bibit agnus ovis.

---

483. Glossae: *Lemures νυκτερινοὶ δαίμονες.* 484. Ex duob. Hs rec. *Is verbi,* quat. *Hinc,* cet. omnes *Hic,* quod servavi — Alii *sensus verbi,* duo ex opt. et duo al. *verbis.* 485. Alii multi *tamen lemures.* Cf. II, 563. 486. Plurimi *vident. Feralis,* unde *Feralia,* de quibus Varro L.L. V. p. 55. *Feralia ab inferis et ferendo, quod ferunt tum epulas ad sepulcrum, quibus ius ibi parentare.* 487. Cf. II, 557. Plutarch. Quaest. rom. 86. *Οὐ γαμοῦσιν οὖν ἐν τῷ Μαΐῳ, περιμένοντες τὸν Ἰούνιον,* ubi inter plures causas etiam hanc addit: *ἢ ὅτι πολλοὶ Λατίνων ἐν τῷ μηνὶ τούτῳ τοῖς κατοιχομένοις ἐναγίζουσι.* 489. Duo *convivia.* Hs coni. *ne te convicia tangant.* 490. Melior. omnes *malas,* quod Hs c. Ciof. rec., cet. *malum.* 491. Un. ex opt. et septem al. *nomine,* quod Neap. rec. 493. Duo ex opt. *medio.* — Omnes fere *Boeotum,* quod c. Gier. servavi, Hs c. edd. quibusd. *Boeoton.* — Tres *quaeras,* plurimi *quaeris.* 494. Meliores *canenda,* quod c. Ciof. iam ante Hs receptum est, plurimi *sonanda.* 496. Un. mel. *solitas.* Similem fabulam Philemonis et Baucidis uberius noster narravit in M. VIII, 626 sq. 497. Duo ex opt. *referentur.* Virg. E. II, 66. *Adspice, aratra iugo referunt suspensa iuvenci.* 498. Duo

Forte senex Hyricus, angusti cultor agelli,
  Hos videt, exiguam stabat ut ante casam.
Atque ita, Longa via est, nec tempora longa supersunt,
  Dixit, et hospitibus ianua nostra patet.
Addidit et vultum verbis, iterumque rogavit.
  Parent promissis, dissimulantque deos.
Tecta senis subeunt, nigro deformia fumo.
  Ignis in hesterno stipite parvus erat;
Ipse genu nixus flammas exsuscitat aura,
  Et promit quassas comminuitque faces.
Stant calices. Minor inde fabas, olus alter habebat,
  Et fumant testu pressus uterque suo.

---

opt. *pronum*, quod Hs rec., cet. *pronus*, un. mel. *promtum*. Theocr. Id. VIII, 69. Σίτλα νέμεσθε, νέμεσθε· τὰ δ' οὔδατα πλήσατε πᾶσαι, Ὡς τὸ μὲν ὥρνες ἔχοντι. Virg. G. II, 524. *ubera vaccae Lactea demittunt.* Ib. III, 317. *gravido superant vix ubere limen.* Id. E. IV, 21. *Ipsae lacte domum referent distenta capellae Ubera.*

499. Ex omn. opt. Hs rec. *Hyrieus*, ap. Graecos plerosq. Ὑριεύς, ceteri varie *Hyreus, Hyereus, Hereus, Hyrteus, Hirteus.* Dan. Hs pater leg. *Ureus.* 503. Noster M. VII, 679. *Super omnia vultus Accessere boni, nec iners pauperq. voluntas.* 506. Sex opt. et al multi *hesterno*, quod c. Ciof. Hs rec., multi *externo*, quid. *extremo*, quod aliis placet. — Hs voleb. *parcus.* Virg. Moret. 8. *Parvulus exusto remanebat stipite fumus.* Noster M. VII, 80. *Parva sub inducta latuit scintilla favilla.* 507. Multi *genu nixus fl. excussit ab aura;* tres ex opt. *genu posito*, quod Hs rec., ego alterum revocavi; contra c. Hs ex quat. opt. et al. quat. recepi *fl. exsuscitat aura;* un. ex opt. *excussit ab ara.* Burm. mav. *Inde genu posito.* Virg. Mor. 12. *Excitat et crebris languentem flatibus ignem.* Id. A. VIII, 410. *quum femina primum — cinerem et sopitos suscitat ignes.* Noster M. VIII, 645. *et ad flammas producit anili, Multifidasque faces, ramaliaque arida tecto Detulit et minuit.* 508. Multi ex mel. *profert*, quod alii receperunt., quamquam nihil interest, an *promit* 518 repetatur. — Duo *siccas*, un. *cassas.* 509. Un. mel. *habebant*, quod Hs rec., ego servavi alterum. — Ut *inde* h. e. ex his calicibus, ita similiter *hinc* et *huo.* Virg. G. III, 490. *inde* (ex hostia) *Nec responsa potest consultus reddere vates.* Ib. III, 308. *Densior hinc* (ex his ovibus) *subolcs; hinc largi copia lactis.* 510. Plurimi *spumat*, multi *spumant*,

Dumque mora est, tremula dat vina rubentia dextra.
Accipit aequoreus pocula prima deus.
Quae simul exhausit, Da, nunc bibat ordine, dixit,
Iuppiter. Audito palluit ille Iove.
Ut rediit animus, cultorem pauperis agri
Immolat, et magno torret in igne bovem;
Quaeque puer quondam primis diffuderat annis,
Promit fumoso condita vina cado.
Nec mora: flumineam lino celantibus ulvam,
Sic quoque non altis incubuere toris.
Nunc dape, nunc posito mensae nituere Lyaeo.
Terra rubens crater, pocula fagus erant.
Verba fuere Iovis: Si quid fert impetus, opta:
Omne feres. Placidi verba fuere senis:

---

septem *fumat;* hinc Hs rec. *fumant.* — Tres opt. et al. multi *testu — suo,* quod c. Ciof. Hs rec.; plurimi *testo — suo,* alii *testa — sua,* un. *aestu.* — Duo ex opt. *tectus,*

511. Duo opt. *dant.* 515. Quid. et edd. nonn. *Utque animus rediit.* 517. Hs alibi voleb. *defuderat,* hic nihil mutat. Horat. Epist. I, 5, 4. *Vina bibes iterum Tauro diffusa.* Ib. Od. III, 8, 11. *Hic dies anno redeunte festus Corticem — dimovebit Amphorae fumum bibere institutas Consule Tullo.* Ib. Epod. 2, 47. (Rusticus) *Et horna dulci vina promens dolio Dapes inemptas apparat.* 518. Tres ex opt. *Prodit,* quod Hs rec., cet. *Promit,* quod servavi. Colum. R. R. I, 6, 20. *Apothecae recte superponentur his locis, unde plerumque fumus exoritur, quoniam vina celerius vetustescunt, quae fumi quodam tenore praecocem maturitatem trahunt; propter quod et aliud tabulatum esse debebit, quo amoveantur, ne rursus nimia suffitione medicata sint.* 519. Un. *lino celante dat ulvam.* Cf. I, 200. Noster M. VIII, 657. *In medio torus est de mollibus ulvis.* 520. Duo *discubuere,* quod Mitsch. rec., aeque bene. 521. Duo ex opt. *enituere.* 522. Hs mav. *Testa.* — Plurimi *erat.* Noster M. VIII, 670. *Post haec caelatus eadem Sistitur argilla crater, fabricataque fago Pocula —.* 523. Un. *feret.* — Edd. ante Hs aliae *ora,* aliae *opta,* quod nescio quorum codd. auctoritate Hs rec., unus cod. *ede.* Qui quid codd. legant, non notatur. — Noster M. I, 1. *In nova fert animus mutatas dicere formas Corpora.* — Id. M. VIII, 706. *Dicite, iuste senex et femina coniuge iusto Digna, quid optetis.*

Cara fuit coniux, prima mihi cara iuventa
Cognita. Nunc ubi sit, quaeritis: urna tegit.
Huic ego iuratus, vobis in verba vocatis,
Coniugio dixi sola fruere meo.
Et dixi, et servo, sed enim diversa voluntas
Est mihi: nec coniux, sed pater esse volo.
Annuerant omnes: omnes ad terga iuvenci
Constiterant. Pudor est ulteriora loqui.
Tum superiniecta texere madentia terra.
Iamque decem menses, et puer ortus erat.
Hunc Hyrieus, quia sic genitus, vocat Uriona.
Perdidit antiquum littera prima sonum.
Creverat immensum: comitem sibi Delia sumpsit.
Ille deae custos, ille satelles erat.

---

525. Multi et edd. nonn. ante Hs nostr., quod recepi. Codd. varie turbant. Multi *Cara*, alii *Cura*; post leg. tres opt. et quinq. al. *primae mihi cura iuventae*, duo ex opt. *prima mihi cura iuventa*; un. omn. opt. *Cara f. c*, *carae mihi prima iuventae*; duo ex opt. et duo al. *cara mihi prima iuventa*, un. *prima mihi grata iuventa*. Hs rec. *Cara f. e. primae m. cura iuventae*. Burm. mav. *Cara f. c. primae mihi flore iuventae*. — Noster M. VIII, 634. *Illa* (casa) *sunt annis iuncti iuvenilibus*. 526. Tres opt. et quat. al. *Condita*. 530. Duo opt. et quat. al. *et pater*, quod Hs rec., ego ceteror, omn. lect recepi. Taubner mav. *at*. 531. Omnes codd. *iuvenci*, quod restitui; neque aliter auctores ceteri huius fabulae, quorum Graeci memorant deos τῇ τοῦ σφαγέντος βοὸς βύρσῃ ἐνουρῆσαι, a quo οὐρῆσαι nomen esse *Urionis*, *Orionis*. Hs scr. ac sine mora rec. *iuvencae*. 532. Un. mel. *Constiterunt*. 535. Edd. ante Hs *Tunc*. — Multi *Oriona*. Graec. Οὐρίωνα. Alii aliter, ut Strabo X, 1. qui de Oreo, monte Euboeae loquens addit: δοκεῖ καὶ ὁ Ὠρίων ἐνταῦθα τραφεὶς οὕτως ὀνομασθῆναι. Hygin. Astr. II, 34. *ex quo postea natum puerum, quem Hyrieus e facto Uriona nomine appellaret; sed vetustate et consuetudine factum est, ut Orion vocaretur*. 536. Un. *locum*. 537. Quinq. *Crevit in immens.*, un. *Crevit immensis* — Duo ex opt. et octo al. *fecit*. Apollod. I, 4, 3. τοῦτον γηγενῆ λέγουσιν ὑπερμεγεθῆ τὸ σῶμα. De eo Homer. Od. XI, 572. Τὸν δὲ μετ' Ὠρίωνα πελώριον εἰςενόησα, Θῆρας ὁμοῦ εἰλεῦντα κατ' ἀσφοδελὸν λειμῶνα —. 538. Un. *Inde deae*.

Verba movent iras non circumspecta deorum.
Quam nequeam, dixit, vincere, nulla fera est.
Scorpion immisit Tellus. Fuit impetus illi
Curva gemelliparae spicula ferre deae.
Obstitit Orion. Latona nitentibus astris
Addidit, et, Meriti praemia, dixit, habe.

Sed quid et Orion, et cetera sidera mundo
Cedere festinant, noxque coarctat iter?
Quid solito citius liquido iubar aequore tollit
Candida, Lucifero praeveniente, dies?
Fallor? an arma sonant? Non fallimur: arma sonabant;
Mars venit, et veniens bellica signa dedit.
Ultor ad ipse suos coelo descendit honores,
Templaque in Augusto conspicienda Foro.
Et deus est ingens, et opus. Debebat in urbe
Non aliter nati Mars habitare sui.
Digna Giganteis haec sunt delubra tropaeis:
Hinc fera Gradivum bella movere decet:

---

541. Un. opt. et duo al *emisit*. 542. Multi *gemelliferae*. De Latona noster etiam M. VI, 315. *omnes Magna gemelliparae venerantur numina divae*. Scorpion stellatum vidit Phaethon ap. nostr. M. II, 198. *Hunc puer ut nigri madidum sudore veneni Vulnera curvata minitantem cuspide vidit*. 544. Un. ex opt. *Meritis*. 545. Un. mel. et tres al. *coelo*. Simile quid IV, 673. *Mundus* pro *coelo* saepe apud Manilium. 546. *Cedere* ut ap. Manil. I, 405 de Canicula *Nec gravius cedit, nec torrens frigore surgit*. 547. Multi *nitido*, un. ex opt. *vitreo*. 548. Un. *proveniente*. 549. Hs mav. *sonarunt*. *Fallor?* cf. I, 515. II; 853. 550. Un. mel. *dabat*, alius *movet*. 551. Un. *Victor*. — Hoc factum a. U. 752. Augustus ipse in Monum. suo Ancyr.: *Ultoris templum, Forum Augustum et templum Augusti — feci*. Suet. Aug. 29. *Exstruxit Forum cum aede Martis Ultoris. — Aedem Martis bello Philippensi pro ultione paterna suscepto voverat*. Copiose de hac utriusq. dedicatione et de ludis Romae et Neapoli in hac re factis Dio Cassius in Fragm. e libro LV. Cf. ad 595. — 553. Alii *Est deus, est ingens*. 555. Duo ex opt. *triumphis*, duo al. *vetustis*. Sucton. Octav. 29. *Sanxit, ut de bellis triumphisque hic* (in templo Martis) *consuleretur senatus, quique victores redissent, huc insignia triumphorum inferrent*.

Seu quis ab Eoo nos impius orbe lacesset;
Seu quis ab occiduo sole domandus erit.
Prospicit armipotens operis fastigia summi,
Et probat invictos summa tenere deos.
Prospicit in foribus diversae tela figurae,
Armaque terrarum milite victa suo.
Hinc videt Aenean oneratum pondere caro,
Et tot Iuleae nobilitatis avos.
Hinc videt Iliaden humeris ducis arma ferentem,
Claraque dispositis acta subesse viris.
Spectat et Augusto praetextum nomine templum;
Et visum, lecto Caesare, maius opus.
Voverat hoc iuvenis tunc, quum pia sustulit arma,
A tantis Princeps incipiendus erat.

---

557. Plurimi *lacessit*, un. *lacessat*. — Un. *impetus*, alius *turpius*. 558. Duo *erat*. 559. Alii *Perspicit*, quid. *Respicit;* ex melior. nostr. rec. Hs. — Vitruv. Archit. III, 2. *Ornant signis fictilibus aut aereis inauratis aedium fastigia.* 560. Tres opt. et tres al. *invictas — deas*. — Optim. fere quisque *summa*, quod Hs rec.; alii *illa* aut *sola;* un. *cuncta*, alius *scripta*, duo *arma*. Cf. VI, 74. 562. Un. opt. *Regnaque*. — Un. ex opt. *facta;* hinc Hs coni. *fracta*, Burm. *fixa*. — Vellei. II, 34. de Cicerone, *Effecit, ne quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur*. 563. Un. ex opt. *ornatum*. — Duo ex opt. *sacro*, quod Hs rec., cet. omn. *caro*, quod restitui, un. *magno*. Cf. I, 527. IV, 37. Non ubique illud adiectiv. intrudendum. Etiam Virgilius eum saepe nominat *carum genitorem*. Idem A. XI, 550. de Metabo filiam suam portante, *caro oneri timet*. Signane aerea aut marmorea haec fuerint, an caelato opere in forium templi valvis facta, incertum. Talia caelata opera describit noster M. II, 5 sq. et Virgil. G. III, 26. Idem tamen III, 34 *Stabunt et Parii lapides, spirantia signa, Assaraci proles* etc. 565. Liv. I, 10. *Inde Romulus spolia ducis hostium* (Acronis) *caesi suspensa fabricato ad id apte ferculo gerens in Capitolium adscendit*. 566. Un. opt. et tres al. *depositis*. — Tres *arma*, un. *facta*. 569. Cf. II, 142. III, 709. Caesar Octavianus dictus est *Princeps* a. U. 727. a. C. 27. Tacit. A. I, 1. *Augustus cuncta — nomine Principis sub imperium accepit. Principis* nomen h. l. pro *principatu*.

Ille manus tendens, hinc stanti milite iusto,
Hinc coniuratis, talia dicta dedit:
Si mihi bellandi pater est, Vestaeque sacerdos
Auctor, et ulcisci numen utrumque paro:
Mars, ades, et satia scelerato sanguine ferrum:
Stetque favor causa pro meliore tuus.
Templa feres, et me victore vocaberis Ultor.
Voverat; et fuso laetus ab hoste redit.
Nec satis est meruisse semel cognomina Marti:
Persequitur Parthi signa retenta manu.
Gens fuit et campis, et equis, et tuta sagittis,
Et circumfusis invia fluminibus.
Addiderant animos Crassorum funera genti,
Quum periit miles, signaque, duxque simul.

---

571. Hs cum optimis nostr. lect. rec., ceteri *adstanti* aut *instanti mil.* — Qui quid codd. legant, Hs non accurate refert. — Un. *milite Thraco.* — Bellum Philippense (cf. 552) gestum est a. U. 712. a. C. 42. 572. Alii *Hic coniur.*, plurimi *In coniur.* Hs leg. *Hinc*, qua auctoritate nescio. 573. Alii *pellendi* — Duo ex opt. et octo al. *es* — Cf. III, 699. 574. Quinq. opt. et plurimi al. *numen*, quod Hs rec., cet. *nomen.* Cf. III, 421. 577. Plurimi *Tura*, tredec. *tela.* 578. Duo *victor ab* — Un. *tulit.* 579. Plurimi *sibi cogn.*; Hs ex melior. *semel*; alii *sui* vel *satis*, vel *quidem* vel *viro*; duo *meminisse mei.* — Omnes fere *Martis*, un. *Martem*; un. tantum ex opt. *Marti*, quod Hs rec. 580. Novem *Proseq.* — Quat. opt. et quinq. al. *Parthis*, cet. omnes *Parthi*, quod servavi. Hs ex suo ingenio rec. *Partha.* — Crassi, pater et filius a. U. 701. a. C. 53. contra Parthos ceciderunt. Cf. VI, 465. Florus III, 11. *Cupiditas Crassi, dum Parthico inhiat auro, undecim strage legionum et ipsius capite multata est.* 581. Un. mel. *aquis.* Dio Cass. XL, 15. Πάρθοι ἀσπίδι μὲν οὐδὲν νομίζουσιν, ἱπποτοξόται δὲ καὶ κοντοφόροι, τὰ πολλὰ κατάφρακτοι στρατεύονται· πεζοί τε, ὀλίγοι μέν, τοξόται δὲ καὶ ἐκεῖνοι πάντες εἰσίν· ἡ χώρα πεδιὰς οὖσα, ῥᾴστη τε ἵππους τρέφειν ἐστὶ καὶ ἐπιτηδειοτάτη καθιππεύεσθαι. 583. Tres *Et dederant* — Un. ex opt. *nomina genti.* Noster A. A. I, 179. *Parthe, dabis poenas: Crassi gaudete sepulti, Signaque barbaricas non bene passa manus.*

Signa, decus belli, Parthus Romana tenebat,
Romanaeque aquilae signifer hostis erat.
Isque pudor mansisset adhuc, nisi fortibus armis
Caesaris Ausoniae protegerentur opes.
Ille notas veteres, et longi dedecus aevi
Sustulit. Agnorunt signa recepta suos.
Quid tibi nunc solitae mitti post terga sagittae,
Quid loca, quid rapidi profuit usus equi?
Parthe, refers aquilas: victos quoque porrigis arcus.
Pignora iam nostri nulla pudoris habes.
Rite deo templumque datum nomenque bis ulto,
Et meritus votis debita solvit honos.
Sollemnes ludos Circo celebrate, Quirites:
Non visa est fortem scena decere deum.

---

585. Multi *ducis belli*, duo *ducis miles P.* 586. Un. ex opt. *Romanasque aquilas — habet.* 589. Un. ex opt. *moras vet.* — Horat. Od. IV, 15, 4. *Tua, Caesar, aetas — Et signa nostro restituit Iovi Derepta Parthorum superbis Postibus.* Id. Epist. I, 12, 27. *ius imperiumque Phraates Caesaris accepit, genibus minor.* 590. Un. *Solvit et agn.* — Tres *reperta.* In nummis aliquot Augusto dedicatis altera est inscriptio *S. P. Q. R. Signis receptis.* 591. Un. ex opt. *solitas — sagittas;* hinc Hs mav. *Quo tibi n. solitas — sagittas.* 592. Un. ex opt. *profugi.* Horat. Od. I, 19, 11. *versis animosum equis Parthum.* Id. II, 13, 17. *Mies* (timet) *sagittas et celerem fugam Parthi.* 593. Hoc factum a. U. 734. a. C. 20. Basnagius leg. *victus* aut *captos.* — Un. opt. a manu prim. *victor,* duo *pictos.* Cf. I, 646. 595. Duo opt. et al. plurimi *bis ulto,* quod Hs rec., nonn. *bis ultum,* cet. *Bisultor,* un. omn. opt. *numenque bis ultum.* Nomen *Bisultoris* eiusq. templum in Capitolio lepidum est commentum librariorum et archaeologorum aliquot, quod neque scriptoris cuiusquam nec nummorum auctoritate confirmatur. 596. Multi et edd. ante Hs *Emeritus;* melior. *Et mer.,* quod Hs rec. — Multi et edd. *voti,* Hs rec. *votis.* 597. Tres opt. *Sollemni,* quod Hs rec., cet. omnes *Sollemnes,* quod servavi. — Duo opt. et plurimi al. *Circum,* un. *circa,* multi *Circo,* quod c. Hs recepi, cet. *Circi.* Hs plac. *Sollemnes ludos Circum,* Burm. *Sollemni Circum ludo.*

Pliadas adspicies omnes, totumque sororum
Agmen, ubi ante Idus nox erit una super.
Tum mihi non dubiis auctoribus incipit aestas,
Et tepidi finem tempora veris habent.

Idibus ora prior stellantia tollere Taurum
Indicat: huic signo fabula nota subest.
Praebuit, ut taurus, Tyriae sua terga puellae
Iuppiter, et falsa cornua fronte tulit;
Illa iubam dextra, laeva retinebat amictus;
Et timor ipse novi causa decoris erat.
Aura sinus implet: flavos movet aura capillos.
Sidoni, sic fueras aspicienda Iovi.
Saepe puellares subduxit ab aequore plantas,
Et metuit tactus assilientis aquae:

---

599. Un. opt. *invenies*, edd. nonn. *adspicias*. Cf. IV, 169. Colum. R. R. XI, 2, 39. *VI Idus Maias Vergiliae totae apparent; pridie aestatis initium.* Eratosth. 23. de Pleiade Μεγίστην ἔχουσι δόξαν ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἐπισημαίνουσαι καθ' ὥραν. 600. Un. ex opt. *erat*. 601. Arat. Phaen. 265. Ἦρι καὶ ἐσπέριαι, Ζεὺς δ' αἴτιος, εἰλίσσονται, Ὅς σφισι καὶ θέρεος καὶ χείματος ἀρχομένοιο Σημαίνειν ἐκέλευσεν. 603. Cf. IV, 717. V, 165. 604. Un. opt. *certa subest*. 605. Fabulam uberius narravit Moschus Id. II, et noster M. II, 833 sqq. — Noster l. c. (Iuppiter) *Induitur faciem tauri mixtusque iuvencis Mugit et in teneris formosus obambulat herbis.* 607. Un. ex opt. *iubas*. Moschus l. c. 122. Τῇ μὲν ἔχεν ταύρου δολιχὸν κέρας, ἐν χερὶ δ' ἄλλῃ Εἶρυε πορφυρέας κόλπου πλύχας — Κολπώθη δ' ὤμοισι πέπλος βαθὺς Εὐρωπείης, Ἰσθμὸν οἷα τε νηὸς, ἐλαφρίζεσκε δὲ κούρην. Noster l. c. 874. *dextra cornu tenet, altera dorso Imposita est; tremulae sinuantur flamine vestes.* 608. Mosch. Id. II, 87. Ἴσά τ' ἐπ' ἀλλήλοισι κέρα ἀνέτελλε καρήνου, Ἀντυγος ἡμιτόμου κεραῆς ὅτε κύκλα σελήνης. 610. Un. ex opt. et duo al. *accipienda*, quod Hs rec., duo *conspicienda*, cet. omn. *aspicienda*, quod retinui. 611. Duo *subducit*, quod Hs rec., ego servavi ceter. omnium lect. Noster M. VI, 107. *Ipsa videbatur — tactum vereri Assilientis aquae timidasq. reducere plantas.*

Saepe deus prudens tergum demittit in undas,
Haereat ut collo fortius illa suo.
Litoribus tactis stabat sine cornibus ullis
Iuppiter, inque deum de bove versus erat:
Taurus init coelum: te, Sidoni, Iuppiter implet,
Parsque tuum terrae tertia nomen habet.
Hoc alii signum Phariam dixere iuvencam,
Quae bos ex homine est, ex bove facta dea.
Tum quoque priscorum virgo simulacra virorum
Mittere roboreo scirpea ponte solet.
Corpora post decies senos qui credidit annos
Missa neci, sceleris crimine damnat avos
Fama vetus: tum quum Saturnia terra vocata est,
Talia fatidici dicta fuere dei:
Falcifero libata seni duo corpora, gentes,
Mittite, quae Tuscis excipiantur aquis.

---

613. Ex duob. opt. et al. mult. Hs rec. *demittit*, multi *dimittit*, un. *dimittis*, plurimi *dimisit*. 614. Un. opt. et duo al. *tergo*. 617. Eratosth. Catast. 14. Ταῦρος λέγεται ἐν τοῖς ἄστροις τεθῆναι, διὰ τὸ Εὐρώπην ἀγαγεῖν ἐκ Φοινίκης εἰς Κρήτην διὰ τοῦ πελάγους. 619. Multi al. *Hoc coeli sign.*; nostr. e melior. Hs c. Ciof. rec. Edd. nonn. *Et coeli s.* Fabulam Ius, Inachi filiae sive Isidis v. in M. I, 583 sq. ubi 747. *Nunc dea linigera colitur celeberrima turba.* 621. Octo *Tu quoque* — Un ex opt. *vulgo*, quod Hs plac. — Duo opt. et octo al. *deorum*, pro *reorum*, ut putat Hs. 622. Iidem duo *Mitti* — Un. ex his *solent*, alius ex opt. *soles*. Un. *robusto sc.* — Varro L. L. VI. p. 90. *Argei fiunt e scirpeis virgultis: simulacra sunt hominum triginta: ea quotannis a ponte Sublicio a sacerdotibus publice iaci solent in Tiberim.* Festus v. *Argei*, *Argeos vocabant scirpeas effigies, quae per virgines Vestales annis singulis iaciebantur in Tiberim.* 623. Duo ex opt. *condidit*, forte recte, addit Burm. 626. Meliores *fuere*, cet. *fuisse* — Un. tantum opt. *dei*, quod Hs rec., etsi idem mav. *Iovis*, quod un. ex opt. a manu prim. habet, cet. omnes *senis*. — Dionys. Hal. Antiq. I. p. 16 ed. Sylb. oraculum Iovis Dodonaei fuisse ait. Alii Apollinis fuisse dicunt.

Pliadas adspicies omnes, totumque soror
Agmen, ubi ante Idus nox erit una su
Tum mihi non dubiis auctoribus incipit
Et tepidi finem tempora veris habent.

Idibus ora prior stellantia tollere Taurun
Indicat: huic signo fabula nota subest.
Praebuit, ut taurus, Tyriae sua terga pu
Iuppiter, et falsa cornua fronte tulit;
Illa iubam dextra, laeva retinebat amictus
Et timor ipse novi causa decoris erat.
Aura sinus implet: flavos movet aura capil
Sidoni, sic fueras aspicienda Iovi.
Saepe puellares subduxit ab aequore planta
Et metuit tactus assilientis aquae:

---

599. Un. opt. *invenies*, edd. nonn. *adspicias*. Cf. IV, 16
R. R. XI, 2, 39. *VI Idus Maias Vergiliae totae apparent; pridie a*
tium. Eratosth. 23. de Pleiade Μεγίστην ἔχουσι δόξαν
ἀνθρώποις ἐπισημαίνουσαι καθ' ὥραν. 600. Un. ex o
601. Arat. Phaen. 265. Ἠρι καὶ ἐσπέριαι, Ζεὺς δ' αἴτιος
σονται, Ὅς σφισι καὶ θέρεος καὶ χείματος ἀρχομένοιο Σ
ἐκέλευσεν. 603. Cf. IV, 717. V, 165. 604. Un. opt. *cert*
605. Fabulam uberius narravit Moschus Id. II, et noster
833 sqq. — Noster l. c. (Iuppiter) *Induitur faciem tauri mixta*
vencis Mugit et in teneris formosus obambulat herbis. 607. Un. e
iubas. Moschus l. c. 122. Τῇ μὲν ἔχεν ταύρου δολιχὸν κέρ
χερὶ δ' ἄλλῃ Εἴρυε πορφυρέας κόλπου πτύχας — Κολπώ
μοισι πέπλος βαθὺς Εὐρωπείης, Ἴσιον οἷα τε νηὸς, ἐλαφρ
δὲ κούρην. Noster l. c. 874. *dextra cornu tenet, altera dorso Impositi*
tremulae sinuantur flamine vestes. 608. Mosch. Id. II, 87. Ἴσά τ
ἀλλήλοισι κέρα ἀνέτελλε καρήνου, Ἀντυγος ἡμιτόμ κεραΐ
κύκλα σελήνης. 610. Un. ex opt. et duo al. quod
rec., duo *conspicienda*, cet. omn. *aspiciend*, qu
subducit, quod Hs rec., ego servavi
M. VI, 107. *Ipsa videbatur — tactum*
ducere plantas.

rcadis Euandri nomen tibi saepe refertur:
Ille meas remis advena torsit aquas.
Venit et Alcides, turba comitatus Achiva.
Albula, si memini, tunc mihi nomen erat.
Excipit hospitio iuvenem Pallantius heros:
Et tandem Caco debita poena venit.
Victor abit, secumque boves, Erytheïda praedam,
Abstrahit. At comites longius ire negant:
Magnaque pars horum desertis venerat Argis.
Montibus his ponunt spemque Laremque suum.
Saepe tamen patriae dulci tanguntur amore;
Atque aliquis moriens hoc breve mandat opus:
Mittite me in Tiberin, Tiberinis vectus ut undis
Litus ad Inachium pulvis inanis eam.
Displicet heredi mandati cura sepulcri:
Mortuus Ausonia conditur hospes humo
Scirpea pro domino in Tiberin iactatur imago,
Ut repetat Graias per freta longa domos.

643. Cf. I, 471. IV, 65. 646. Un. ex opt. *Albida.* — Un. mel. *sic mem.* — Cf. II, 389. IV, 48. Liv. I, 3. *Tiberinus* (rex Albae) *in traiectu Albulae amnis submersus celebre ad posteros nomen flumini dedit.* 648. Sex opt. et septem al. *venit*, quod Hs rec., cet. *fuit.* Cf. I, 551. 649. Un. ex opt. et duo al *Erytheidas ultor*, quod idem Turneb. Advers. XIX, 17. coniecit. Cf. I, 543. 650. Tres opt. *Abstulit*, un. *Abstruit* — Plurimi *Et com.* — Duo ex opt. *ire iubet.* 651. Plurimi *mansit in agris*; quat. opt. et tres al. *venerat agris*, un. *arvis*; hinc nostr. Hs fec. et rec. — Virg. A. X, 778. *Herculis Antorem comitem, qui missus ab Argis Haeserat Euandro.* 652. Hs mav. *remque Lareuq.* 653. Un. opt. *dulcis* — Un. ex opt. *torquentur.* 655. Plurimi *me in Tiberin* (Tiberim), quod servavi; quid. *me Tiberin*, un. *Tiberis*; hinc Hs fec. et rec. *me Tiberi.* — Plurimi *in undis*, duo *ab undis.* 656. Horat. Od. IV, 7, 16. *Pulvis et umbra sumus.* Ceterum ipse noster Trist. III, 3, 65. *Ossa tamen facito parva referantur in urna, Sic ego non etiam mortuus exul ero.* 658. Plurimi *Hic tuus*, un. *Hinc tuus.* — Un. ex opt. *exul humo.* 659. Un. opt. *Stupea* — Un opt. *Tiberi*, quod c. Ciof. Hs rec., cet. *in Tiberim.* De codd. tamen Hs nihil hic refert, Neap. autem: Ex mss. et meis omnib. antiq. legas: *in Tiberim.* 660. Un. ex opt. *Et repetit* — Plurimi *repetant* — Quat. *longas per fr.*

Donec in haec venit Tirynthius arva, quotannis
Tristia Leucadio sacra peracta modo;
Illum stramineos in aquam misisse Quirites.
Herculis exemplo corpora falsa iaci.
Pars putat, ut ferrent iuvenes suffragia soli,
Pontibus infirmos praecipitasse senes.
Tibri, doce verum: tua ripa vetustior urbe.
Principium ritus tu bene nosse potes.
Tibris arundiferum medio caput extulit alveo,
Raucaque dimovit talibus ora sonis:
Haec loca desertas vidi sine moenibus herbas:
Pascebat sparsos utraque ripa boves.
Et quem nunc gentes Tiberin noruntque timentque,
Tunc etiam pecori despiciendus eram.

---

629. Cf. I, 547. 630. Optimi aut *deo*, quod Ciof. et Neap. praeferunt, aut *modo*, quod Hs rec. De Leucadio saxo Strabo X, 2. Πέτρα ἐστὶ λευκὴ τὴν χρόαν, προκειμένη τῆς Λευκάδος εἰς τὸ πέλαγος. Ἔχει δὲ τὸ τοῦ Λευκάτα Ἀπόλλωνος ἱερὸν καὶ τὸ ἅλμα, τὸ τοὺς ἔρωτας παύειν πεπιστευμένον. Ἦν δὲ καὶ πάτριον τοῖς Λευκαδίοις κατ' ἐνιαυτὸν ἐν τῇ θυσίᾳ τοῦ Ἀπόλλωνος ἀπὸ τῆς σκοπῆς ῥιπτεῖσθαί τινα τῶν ἐν αἰτίοις ὄντων ἀποτροπῆς χάριν. Noster Trist. V, 2, 76. *Hinc ego dum mutor — Vel freta Leucadii mittar in alta dei.* 632. Duo *missa iaci.* 633. Un. opt. *solatia.* 634. Multi *praecipitare.* Festus v. *Sexagenarius. Quo tempore primum per pontem coeperunt comitiis suffragium ferre iuniores, conclamaverunt, ut de ponte deiicerentur sexagenarii, qui iam nullo publico munere fungerentur.* 635. Baumg. Cr. hic et alibi rec. *Thybri,* quum forma sit Graeca. 636. Un. ex opt. *putes.* Hs coni. *te bene nosse putem.* 637. Un. ex opt. *arundineum.* — Un. ex opt. *alvo;* al. multi *mediis — undis.* Virg. A. VIII, 34. de deo Tiberino Aeneae apparente, *et crines umbrosa tegebat arundo.* 638. Duo ex opt. *Paucaque.* Hs mav. *Glaucaque.* — Ap. nostr. M. V, 600. Alpheus *rauco mihi dixerat ore,* et Virg. A. IX, 124. *cunctatur et amnis Rauco sonans, revocatque pedem Tiberinus ab alto.* 639. Duo mel. *et sine.* 640. Melior. *sparsos,* al. multi *sparsas,* quat. *paucos.* 641. Duo opt. *Tyberis,* alii *Tyberim* aut *Tyberin.* — Tres opt. *noscuntque.* Hs coni. *Tiberinum horrentque timentque.*

Arcadis Euandri nomen tibi saepe refertur:
Ille meas remis advena torsit aquas.
Venit et Alcides, turba comitatus Achiva.
Albula, si memini, tunc mihi nomen erat.
Excipit hospitio iuvenem Pallantius heros:
Et tandem Caco debita poena venit.
Victor abit, secumque boves, Erytheïda praedam,
Abstrahit. At comites longius ire negant:
Magnaque pars horum desertis venerat Argis.
Montibus his ponunt spemque Laremque suum.
Saepe tamen patriae dulci tanguntur amore;
Atque aliquis moriens hoc breve mandat opus:
Mittite me in Tiberin, Tiberinis vectus ut undis
Litus ad Inachium pulvis inanis eam.
Displicet heredi mandati cura sepulcri:
Mortuus Ausonia conditur hospes humo
Scirpea pro domino in Tiberin iactatur imago,
Ut repetat Graias per freta longa domos.

643. Cf. I, 471. IV, 65. 646. Un. ex opt. *Albida.* — Un. mel. *sic mem.* — Cf. II, 389. IV, 48. Liv. I, 3. *Tiberinus* (rex Albae) *in traiectu Albulae amnis submersus celebre ad posteros nomen flumini dedit.* 648. Sex opt. et septem al. *venit*, quod Hs rec., cet. *fuit.* Cf. I, 551. 649. Un. ex opt. et duo al *Erytheidas ultor*, quod idem Turneb. Advers. XIX, 17. coniecit. Cf. I, 543. 650. Tres opt. *Abstulit*, un. *Abstruit* — Plurimi *Et com.* — Duo ex opt. *ire iubet.* 651. Plurimi *mansit in agris*; quat. opt. et tres al. *venerat agris*, un. *arvis*; hinc nostr. Hs fec. et rec. — Virg. A. X, 778. *Herculis Antorem comitem, qui missus ab Argis Haeserat Euandro.* 652. Hs mav. *remque Lareuq.* 653. Un. opt. *dulcis* — Un. ex opt. *torquentur.* 655. Plurimi *me in Tiberin* (Tiberim), quod servavi; quid. *me Tiberin*, un. *Tiberis*; hinc Hs fec. et rec. *me Tiberi.* — Plurimi *in undis*, duo *ab undis.* 656. Horat. Od. IV, 7, 16. *Pulvis et umbra sumus.* Ceterum ipse noster Trist. III, 3, 65. *Ossa tamen facito parva referantur in urna, Sic ego non etiam mortuus exul ero.* 658. Plurimi *Hic tuus*, un. *Hinc tuus.* — Un. ex opt. *exul humo.* 659. Un. opt. *Stupea* — Un opt. *Tiberi*, quod c. Ciof. Hs rec., cet. *in Tiberim.* De codd. tamen Hs nihil hic refert, Neap. autem: Ex mss. et meis omnib. antiq. legas: *in Tiberim.* 660. Un. ex opt. *Et repetit* — Plurimi *repetant* — Quat. *longas per fr.*

Hactenus. Ut vivo subiit rorantia saxo
Antra, leves cursum sustinuistis aquae.

Clare nepos Atlantis, ades! quem mont.
Edidit Arcadiis Pleïas una Iovi.
Pacis et armorum superis imisque deorum
Arbiter, alato qui pede carpis iter:
Laete lyrae pulsu, nitida quoque laete
Quo didicit culte lingua favente loqui.
Templa tibi posuere Patres spectantia Circ
Idibus. Ex illo est haec tibi festa dies.
Te, quicumque suas profitentur vendere
Ture dato, tribuas ut sibi lucra, rogant.
Est aqua Mercurii portae vicina Capenae:
Si iuvat expertis credere, numen habet.

---

661. Quat. opt. et al. plurimi *ut vivo sub*, alii *et vivo subiit vivo*. Cf. II, 315. Noster M. III, 177. *Qui simul in fontibus antra*. Ib. XIII, 810. *Sunt mihi, pars montis, vivo p Antra* —. 663. Un. ex opt. et quinq. al. *Care*. — C 664. Bentlei. ad Horat. Od. I, 10, 1. leg. *uda;* Pliadas *aquosas, madidas, imbriferas*. 665. Ἑρμῆς κοινός. Horat. *Mercuri, facunde nepos Atlantis, Qui feros cultus hominum re formasti catus et decorae More palaestrae, Te canam, magni Io Nuntium, curvaeque lyrae parentem; Callidum, quidquid placuit dere furto*. Ib. 19. *superis deorum Gratus et imis*. 666. Cf. scriptio LXXVII. ap. Reines. p. 117. *Merc. Saer. Sum deu oruribus aethera carpo, Quem peperit magno lucida Maia Iovi. lyra pulsa* — Un. *nuda q*. Cf. V, 104. Noster Her. XIX, 11. *dona palaestrae*. Lucan. IX, 661. Mercurii *auctoris citharae palaestrae*. 668. Sex opt. et duo al. *favente*, quod Hs rec., 699. Templum dedicatum a. U. 258. a. C. 496. Liv. II, *anno — aedes Mercurii dedicata est Idibus Maiis*. Ib. 27. *Senat rum dedicatio iussu populi data esset, eum mercatorum collegiu iussit*. 670. Quat. opt. et sex al. *facta;* an *pacta*, an *sacra?* quat. *tua facta d*. 671. Quat. ex opt. et al. tres *profitetu rogat*, quod utrumq. Hs rec., ego servavi ceteror. lect. — G. VI, 17. de Gallis: *Mercurium omnium inventorem artium fe*

c venit incinctus tunicas mercator, et urna
urus suffita, quam ferat, haurit aquam.
a fit hinc laurus: lauro sparguntur ab uda
mnia, quae dominos sunt habitura novos.
rgit et ipse suos lauro rorante capillos,
t peragit solita fallere voce preces.
lue praeteriti periuria temporis, inquit,
blue praeterita perfida verba die.
e ego te feci testem, falsove citavi
on audituri numina magna Iovis;
e deum prudens alium divamve fefelli,
bstulerint celeres improba dicta Noti.
pereant veniente die periuria nobis,
ec curent superi, si qua locutus ero.

---

quaestus pecuniae mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. In libus *Merc. Negotiator, Nundinator.*

675. Octo opt. *tunicas,* quod Hs rec., idem tamen mav. *tunicam,* un. pro div. lect., cet. *tunica.* 676. Plurimi *suffusa,* un. omn. t. *suffitam,* alius opt. pro div. lect. *suffitas,* alius *suffecta,* tres opt. *fit aquam, suffit et haurit aquam;* hinc nostr. Hs rec. — Un. omn. t. *ferit,* puto *gerit,* addit Hs. Cf. IV, 731. 680. Multi *Incipit et.* — nn. *solitas.* — Multi *dicere voce,* quod Neap. praefert. — Similes rat. Epist I, 16, 58. *Iane pater, clare, clare quum dixit, Apollo, Labra et metuens audiri, pulchra Laverna, Da mihi fallere, da iusto sanctoque videri, Noctem peccatis et fraudibus obiice nubem.* 682. Duo opt. *praeterito* ie. Scaliger et Gruter. malunt *praeteritae — die* (i. e. diei). — oti *verba fide.* Hs mav. *praeteritis p. v. deis.* Slichtenhorst ap. — m. leg. *praeterea p. v. fide.* 683. Duo ex opt. *falsumque,* un. opt. q. tres *falsusve.* — Tres *vocavi.* 684. Nonn. *audituro numina vana* , alii *audituri nom. vana Iovis;* Hs nostr. ex quat. opt. et al. plu- is rec. — Noster Am. II, 8, 18. *Per Veneris feci numina magna fidem.* Plurimi *improba verba,* quid. *perfida verba,* quinq. opt. et duo al. . *dicta,* quod Hs rec., un. ex opt. *vota.* — Catull. LXIV, 142. *Quae tuta aërii discerpunt irrita venti.* Tibull. I, 5, 21. *Veneris periuria venti Inter terras et freta longa ferunt,* 687. Quinq. opt. et decem al. *pateant,* mente, addit Hs, neque tamen rec. — Duo ex opt. *noctis,* eleganter, lect. — Antiq. putat Burm. 688. Un. mel. *locutus ego.* Burm. mav. *iocatus ero.*

Hactenus. Ut vivo subiit rorantia saxo
Antra, leves cursum sustinuistis aquae.

Clare nepos Atlantis, ades! quem montibus olim
Edidit Arcadiis Pleïas una Iovi.
Pacis et armorum superis imisque deorum
Arbiter, alato qui pede carpis iter:
Laete lyrae pulsu, nitida quoque laete palaestra,
Quo didicit culte lingua favente loqui.
Templa tibi posuere Patres spectantia Circum
Idibus. Ex illo est haec tibi festa dies.
Te, quicumque suas profitentur vendere merces,
Ture dato, tribuas ut sibi lucra, rogant.
Est aqua Mercurii portae vicina Capenae:
Si iuvat expertis credere, numen habet.

---

661. Quat. opt. et al. plurimi *ut vivo sub*, alii *et vivo s.*, multi *Ut subiit vivo*. Cf. II, 315. Noster M. III, 177. *Qui simul intravit rorantia fontibus antra*. Ib. XIII, 810. *Sunt mihi, pars montis, vivo pendentia saxo Antra* —. 663. Un. ex opt. et quinq. al. *Care*. — Cf. V, 87 sq. 664. Bentlei. ad Horat. Od. I, 10, 1. leg. *uda;* Pliadas enim esse *aquosas, madidas, imbriferas*. 665. Ἑρμῆς κοινός. Horat. Od. I, 10, 1. *Mercuri, facunde nepos Atlantis, Qui feros cultus hominum recentum Voce formasti catus et decorae More palaestrae, Te canam, magni Iovis ac deorum Nuntium, curvaeque lyrae parentem; Callidum, quidquid placuit, iocoso Condere furto*. Ib. 19. *superis deorum Gratus et imis*. 666. Cf. V, 100. Inscriptio LXXVII. ap. Reines. p. 117. *Merc. Saer. Sum deus, alatis qui cruribus aethera carpo, Quem peperit magno lucida Maia Iovi*. 667. Un. *lyra pulsa* — Un. *nuda q*. Cf. V, 104. Noster Her. XIX, 11. *aut unctae dona palaestrae*. Lucan. IX, 661. Mercurii *auctoris citharae liquidaeque palaestrae*. 668. Sex opt. et duo al. *favente*, quod Hs rec., cet. *docente*. 699. Templum dedicatum a. U. 258. a. C. 496. Liv. II, 21. *Eodem anno — aedes Mercurii dedicata est Idibus Maiis*. Ib. 27. *Senatus, utri eorum dedicatio iussu populi data esset, eum mercatorum collegium instituere iussit*. 670. Quat. opt. et sex al. *facta;* an *pacta*, an *saera?* addit Hs; quat. *tua facta d*. 671. Quat. ex opt. et al. tres *profitetur*, et post *rogat*, quod utrumq. Hs rec., ego servavi ceteror. lect. — Caes. B. G. VI, 17. de Gallis: *Mercurium omnium inventorem artium ferunt, hunc*

Huc venit incinctus tunicas mercator, et urna
Purus suffita, quam ferat, haurit aquam.
Uda fit hinc laurus: lauro sparguntur ab uda
Omnia, quae dominos sunt habitura novos.
Spargit et ipse suos lauro rorante capillos,
Et peragit solita fallere voce preces.
Ablue praeteriti periuria temporis, inquit,
Ablue praeterita perfida verba die.
Sive ego te feci testem, falsove citavi
Non audituri numina magna Iovis;
Sive deum prudens alium divamve fefelli,
Abstulerint celeres improba dicta Noti.
Et pereant veniente die periuria nobis,
Nec curent superi, si qua locutus ero.

---

ad quaestus pecuniae mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. In lapidibus *Merc. Negotiator, Nundinator.*

675. Octo opt. *tunicas,* quod Hs rec., idem tamen mav. *tunicam,* ut un. pro div. lect., cet. *tunica.* 676. Plurimi *suffusa,* un. omn. opt. *suffitum,* alius opt. pro div. lect. *suffitas,* alius *suffecta,* tres opt. *suffit aquam, suffit et haurit aquam;* hinc nostr. Hs rec. — Un. omn. opt. *ferit,* puto *gerit,* addit Hs. Cf. IV, 731. 680. Multi *Incipit et.* — Nonn. *solitas.* — Multi *dicere voce,* quod Neap. praefert. — Similes Horat. Epist I, 16, 58. *Iane pater, clare, clare quum dixit, Apollo, Labra movet metuens audiri, pulchra Laverna, Da mihi fallere, da iusto sanctoque videri, Noctem peccatis et fraudibus obiice nubem.* 682. Duo opt. *praeterito — die.* Scaliger et Gruter. malunt *praeteritae — die* (i. e. diei). — Multi *verba fide.* Hs mav. *praeteritis p. v. deis.* Slichtenhorst ap. Burm. leg. *praeterea p. v. fide.* 683. Duo ex opt. *falsumque,* un. opt. et al. tres *falsusve.* — Tres *vocavi.* 684. Nonn. *audituro numina vana Iovi,* alii *audituri nom. vana Iovis;* Hs nostr. ex quat. opt. et al. plurimis rec. — Noster Am. II, 8, 18. *Per Veneris feci numina magna fidem.* 686. Plurimi *improba verba,* quid. *perfida verba,* quinq. opt. et duo al. *impr. dicta,* quod Hs rec., un. ex opt. *vota.* — Catull. LXIV, 142. *Quae cuncta aërii discerpunt irrita venti.* Tibull. I, 5, 21. *Veneris periuria venti Irrita per terras et freta longa ferunt,* 687. Quinq. opt. et decem al. *pateant,* recte, addit Hs, neque tamen rec. — Duo ex opt. *noctis,* eleganter, ut putat Burm. 688. Un. mel. *locutus ego.* Burm. mav. *iocatus ero.*

Da modo lucra mihi, da facto gaudia lucro,
Et face, ut emptori verba dedisse iuvet.
Talia Mercurius poscentem ridet ab alto,
Se memor Ortygias surripuisse boves.

At mihi pande, precor, tanto meliora petenti,
In Geminos ex quo tempore Phoebus eat.
Quum totidem de mense dies superesse videbis;
Quot sunt Herculei facta laboris, ait.
Dic, ego respondi, causam mihi sideris huius.
Causam facundo reddidit ore deus.
Abstulerant raptas Phoeben Phoebesque sororem
Tyndaridae fratres, hic eques, ille pugil.
Bella parant, repetuntque suas et frater et Idas,
Leucippo fieri pactus uterque gener.
His amor, ut repetant, illis, ut reddere nolint,
Suadet, et ex causa pugnat uterque pari.

---

690. Multi *Et fac, ut,* un. ex opt. et. quat. al. *Et fac empt.* Cf. III, 696. 691. Plurimi *poscentes,* tres opt. *poscenti,* quod Burm. arridet, duo opt. et quinq. al. *poscentem,* quod Hs rec. — Plurimi *risit.* 692. Cf. ad 665. Horat. Od. I, 10, 9. *Te, boves olim nisi reddidisses Per dolum amotas, puerum minaci Voce dum terret, viduus pharetra Risit Apollo.* Homer. H. in Merc. 18. Ἑσπέριος βοῦς κλέψεν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος cumq. raptum copiosius refert 69 — 146, et noster M. II, 685 sq. 693. Quid. *parce* — Opt. fere quisq. *tanto,* quod Hs rec., cet. *multo.* 697. Hs mav. *Dic age* — Un. *causas* — Un. mel. *foederis,* tres *nominis.* 698. E trib. opt. Hs rec. *prodidit,* ego servavi ceter. omn. lect., un. opt. *reddit ab ore,* alius ex opt. *retulit.* 699. Duo *raptam.* — Propert. I, 2, 15. *Non sic Leucippis succendit Castora Phoebe, Pollucem cultu non Hilaira soror.* Theocr. Id. XXII, 137. Τὼ μὲν ἀναρπάξαντε δύω φερέτην Διὸς υἱὼ Δοιὰς Λευκίπποιο κόρας· δοιὼ δ' ἄρα τώγε Ἐσυμένως ἐδίωκον ἀδελφεώ, νὺ Ἀφαρῆος, Γαμβρὼ μελλογάμω, Λυγκεὺς καὶ ὁ καρτερὸς Ἴδας. Cf. quae sequuntur. 700. Homer. Od. XI, 300. Κάσ|ορά θ' ἱππόδαμον καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα. Horat. Od. I, 12, 23. *Hunc equis, illum superare pugnis Nobilem.* 702. Un. ex opt. *Leucippi,* alius mel. *Leucadio.* 704. Trea opt. *a causa,* unde Hs mav. *e causa.*

Effugere Oebalidae cursu potuere sequentes:
Sed visum celeri vincere turpe fuga.
Liber ab arboribus locus est, apta area pugnae.
Constiterant illic: nomen Aphidna loco.
Pectora traiectus Lynceo Castor ab ense
Non exspectato vulnere pressit humum.
Ultor adest Pollux, et Lyncea perforat hasta,
Qua cervix humeros continuata premit.
Ibat in hunc Idas, vixque est Iovis igne repulsus:
Tela tamen dextrae fulmine rapta negant.
Iamque tibi coelum, Pollux, sublime patebat,
Quum, Mea, dixisti, percipe verba, Pater.
Quod mihi das uni coelum, partire duobus:
Dimidium toto munere maius erit.

---

705. Pausan. III, 1. Οἴβαλος παῖδα ἔσχε Τυνδάρεων. 708. Un. ex opt. *Constiterunt.* — Omnes fere *illo nomina fida loco;* unus tantum ille quidem opt. nostr., quod Hs rec. Steph. Byz h. v. Ἄφιδνα πόλις τῆς Λακωνικῆς, ὅθεν ἦσαν αἱ Λευκίππιδες Φοίβη καὶ Ἱλάειρα. Hygin. Astron. II, 22. *Castor in oppido Aphidnis* (Ariadnis) *est occisus.* Avian. Arat. 372. *Nam Lacedaemoniis Mars quum caluisset Aphidnis, Castora Cecropii tulit inclementia belli.* 711. Duo opt. *Victor.* 712. Un. ex opt. *Quo* — Meliores *premit,* quod Hs rec., cet. *tegit.* Noster M. XII, 299. *Qua iuncta est humero cervix.* 713. Duo *retentus.* 714. Duo ex opt. *dextra.* Theocr. Idyll. XXII, 208. σἰάλαν (σἰήλην) Τύμβω ἀναῤῥήξας ταχέως Μεσσάνιος Ἴδας Μέλλε κασιγνήτοιο βαλεῖν σφετέροιο φονῆα· Ἀλλὰ Ζεὺς ἐπάμυνε, χερῶν δέ οἱ ἔκβαλε τυκἰὰν Μάρμαρον, αὐτὸν δὲ φλογέῳ συνέφλεξε κεραυνῷ. Paullo aliter Apollod. III, 11, 2. Πολυδεύκης τὸν Ἴδαν διώκων βληθεὶς ὑπ' ἐκείνου πέτρᾳ κατὰ τῆς κεφαλῆς πἰπἰει σκοτωθείς. Καὶ Ζεὺς Ἴδαν κεραυνοῖ, Πολυδεύκην δὲ εἰς οὐρανὸν ἀνάγει. Hunc noster videtur secutus esse, significans Pollucem lapide Idae, Iovis fulmine non rapto, percussum esse. 716. Un. opt. *perfice;* alius opt. et quinq. al. *suscipe,* alius opt. *praecipe.* 717. Un. opt. *Quod dederas uni,* alii *Q. m. donasti.* 718. Un. ex opt. *numine.*

Dixit, et alterna fratrem statione redemit:
Utile sollicitae sidus uterque rati.
Ad Ianum redeat, qui quaerit, Agonia quid sint:
Quae tamen in fastis hoc quoque tempus habent.
Nocte sequente diem canis Erigoneïus exit;
Est alio signi reddita causa loco.

Proxima Vulcani lux est, Tubilustria dicunt.
Lustrantur purae, quas facit ille, tubae.

Quattuor inde notis locus est; quibus ordine lectis
Vel mos sacrorum, vel Fuga Regis inest.

Nec te praetereo, populi Fortuna potentis
Publica, cui templum luce sequente datum.

---

719. Alii etiam mel. *recepit.* Homer. Od. XI, 301. de Dioscuris Τοὺς ἄμφω ζωοὺς κατέχει φυσίζοος αἶα· Οἳ καὶ νέρθεν γῆς τιμὴν πρὸς Ζηνὸς ἔχοντες, Ἄλλοτε μὲν ζώουσ' ἑτερήμεροι, ἄλλοτε δ' αὖτε Τεθνᾶσιν· τιμὴν δὲ λελόγχασ' ἶσα θεοῖσιν. Virg. A. VI, 121. *Si fratrem Pollux alterna morte redemit, Itque reditque viam toties —.* 720. Duo opt. et septem al. *uterque*, quod Hs rec., cet. *utrumque.* Homer. Hymn. 33. Ζεὺς Σωτῆρας τέκε παῖδας ἐπιχθονίων ἀνθρώπων, Ὠκυπόρων τε νεῶν, ὅτε τε σπέρχωσιν ἄελλαι Χειμέριαι κατὰ πόντον ἀμείλιχον et sqq. Horat. Od. I, 12, 27. *quorum simul alba nautis Stella refulsit, Defluit saxis agitatus humor, Concidunt venti fugiuntq. nubes, Et minax — ponto Unda recumbit.* 721. Un. opt. *quae sint.* Cf. I, 317. 722. Duo opt. *infantes.* 724. Cf. IV, 936. 725. Omnes leg. *est,* quod servavi, Hs rec. *es.* — Quinq. opt. et tres al. *Ubilustria,* ex quo c. Scaligero Hs nostr. fec. et rec., cet. omn. *est, quam lustria.* Cf. III, 849. Varro L. L. V. p. 55. *Tubilustrium appellatur, quod eo die sacrorum tubae lustrantur.* 727. Tres opt. *locis* — Un. opt. *ductis.* Varro L. L. V. p. 60. *Dies, qui vocatur sic, Quando rex comitiavit fas, dictus ab eo, quod eo die rex sacrificulus dicat ad comitium, ad quod tempus est nefas, ab eo fas.* Plutarch. Quaest. Rom. 63. Ἔσθι γοῦν τις ἐν ἀγορᾷ θυσία πρὸς τῷ λεγομένῳ Κομητίῳ πάτριος, ἣν θύσας ὁ βασιλεὺς κατὰ τάχος ἅπεισι φεύγων ἐξ ἀγορᾶς. 729. Templum certe id, quod Plutarch. de fortuna Rom. 10 memo-

Hanc ubi dives aquis acceperit Amphitrite,
Grata Iovi fulvae rostra videbis avis.

Auferet ex oculis veniens Aurora Booten,
Continuaque die sidus Hyantis erit.

---

rat: Σέρβιος Τύλλιος ἱδρύσατο Τύχης ἱερὸν ἐν Καπιτωλίῳ, τὸ τῆς Πριμιγενείας λεγομένης. Idem intellige ap. Dion. Cass. XLII, 26. κεραυνοί τε ἐς τε τὸ Καπιτώλιον καὶ ἐς τὸν Τύχης τῆς Δημοσίας καλουμένης ναὸν κατέσκηψαν. Cf. IV, 375.

731. Un. ex opt. *aquas* — Duo opt. *susceperit*. Hs mav. *aquae suscep.* — Multi *Amphitrites*. 732. Alii *Iovis*. 733. Un. opt. et al. duo *Auferat*, quod Hs rec., nonn. *Aufert*, plurimi *Auferet*, quod servavi. 734. Cf. V, 167. *Continuus* ut VI, 720. In utroque loco significat *eundem*, non *sequentem*.

LIBER SEXTUS.

Hic quoque mensis habet dubias in nomine causas:
Quae placeant, positis omnibus, ipse leges.
Facta canam; sed erunt, qui me finxisse loquantur:
Nullaque mortali numina visa putent.
Est Deus in nobis: agitante calescimus illo.
Impetus hic sacrae semina mentis habet.
Fas mihi praecipue vultus vidisse Deorum:
Vel quia sum vates; vel quia sacra cano.
Est nemus arboribus densum, secretus ab omni
Voce locus, si non obstreperetur aquis.

---

1 Un. *varias* — Novem *de nomine*, duo ex opt. *sub nomine*. 2. Tres opt. *lege*, duo opt. *legas*. 3. Duo *vera*, totid. *acta*. Cf. III, 370. Petron. c. 76. *Factum, non fabula*. — Un. opt. *erit* et post *loquatur*. — Meliores *loquantur*, quod Hs rec., cet. *loquentur*. 5. Noster A. A. III, 549. *Est deus in nobis, sunt et commercia coeli, Sedibus aetheriis spiritus ille venit*. Id. Pont. III, 4, 93. *Deus est in pectore nostro, Haec duce praedico vaticinorque deo*. Plato Ion. p. 534 ed. St. (180. Bekk.) Κοῦφον χρῆμα ποιητής ἐστι καὶ πτηνὸν καὶ ἱερὸν, καὶ οὐ πρότερον οἷός τε ποιεῖν, πρὶν ἂν ἔνθεός τε γένηται, καὶ ἐκφρὼν καὶ ὁ νοῦς μήκετι ἐν αὐτῷ ἐνῇ. Cic. Tusc. I, 26. *Ego non puto poetam grave plenumque carmen sine coelesti aliquo mentis instinctu fundere*. Id. Arch. 8. *Poeta quasi divino quodam spiritu inflatur*. 6. Un. opt. *hinc*, elegantius addit Hs. — Un. ex opt. *somnia*, alius opt. *nomina*. 7. Un. ex opt. *dearum*. 9. Un. *securus*. 10. Un. opt. *adstrep.*, alius *constrep.* — Un. ex opt. *avis*. Hinc Hs coni. *obstreperetis aves*; Burm. *obstreperetur avi*. — Horat. Epod. II, 27. *Fontesque lymphis obstrepunt manantibus*.

Hic ego quaerebam, coepti quae mensis origo
  Esset, et in cura nominis huius eram.
Ecce deas vidi: non quas praeceptor arandi
  Viderat, Ascraeas quum sequeretur oves;
Nec quas Priamides in aquosae vallibus Idae
  Contulit; ex illis sed tamen una fuit.
Ex illis fuit una, sui germana mariti.
  Haec erat, — agnovi, — quae stat in arce Iovis.
Horrueram tacitoque animum pallore fatebar;
  Quum dea, quos fecit, sustulit ipsa metus:
Namque, ait, O vates, Romani conditor anni,
  Ause per exiguos magna referre modos,
Ius tibi fecisti numen coeleste videndi,
  Quum placuit numeris condere festa tuis.

---

12. *In cura esse*, ut *in exspectatione, spe, metu esse*, et similia. 13. Un. ex opt. *nec quas* — Un. opt. *spectator* — Un. opt. *amandi*. 14. Un. opt. et tres al. *dum sequer*. Hesiodus Th. 22. de Musis, αἵ νύ ποθ' Ἡσίοδον καλὴν ἐδίδαξαν ἀοιδήν, Ἄρνας ποιμαίνονθ' Ἑλικῶνος ὕπο ζαθέοιο. Noster A. A. I, 27. *Nec mihi sunt visae Clio Cliusque sorores, Pascenti pecudes vallibus, Ascra, tuis.* Propert. II. (III), 34 (30), 79. *Tu canis Ascraei veteris praecepta poetae, Quo seges in campo, quo viret uva iugo.* Idem II, 10, 25. *Nondum etiam Ascraeos norunt mea carmina fontes.* Strabo IX, 2. Ἐν τῇ τῶν Θεσπιέων ἔσʃι καὶ ἡ Ἀσκρη κατὰ τὸ πρὸς Ἑλικῶνα μέρος, ἡ τοῦ Ἡσιόδου πατρίς. 15. Duo mel. *Non quas* — Un. opt. *ter aq.* Eurip. Iph. Aul. 1294. ἀμφὶ τὸ λευκὸν ὕδωρ, ὅθι κρῆναι νυμφῶν κεῖνται, λειμών τ' ἄνθεσι θάλλων χλωροῖς· ἔνθα ποτὲ Παλλὰς ἔμολε, καὶ δολιόφρων Κύπρις, Ἥρα τε — κρίσιν ἔπι σʃυγνάν. 17. Cf. 27. Ipsa de se ap. Virg. A. I, 46. *Ast ego, quae divum invedo regina, Iovisque Et soror et coniux* —. 19. Cf. I, 97. II, 502. III, 331. — Ap. Nostr. Trist. I, 4, 11. *Navita confessus gelido pallore timorem.* M. VI, 35. *Pallas confessa est vultibus iram.* 21. Un. ex opt. *operosi conditor* —. 22. Cf. II, 3. 125. Noster Am. II, 1, 4. *Non estis teneris apta theatra modis.* 23. Edd. quaed. *nomen;* un. opt. *coelestia sacra videndi.* 24. Duo opt. *festa Iovis;* forte pro *novis*, addit Burm — Noster Am. I, 1, 1. *Arma gravi numero violentaque bella parabam Edere, materia conveniente modis.* Ib. 19. *Nec mihi materia est numeris levioribus apta.* Ib. 17. *Sex mihi surgat opus numeris, in quinque residat, Ferrea cum vestris bella valete modis.*

LIBER SEXTUS.

Hic quoque mensis habet dubias in nomine causas:
Quae placeant, positis omnibus, ipse leges.
Facta canam; sed erunt, qui me finxisse loquantur:
Nullaque mortali numina visa putent.
Est Deus in nobis: agitante calescimus illo.
Impetus hic sacrae semina mentis habet.
Fas mihi praecipue vultus vidisse Deorum:
Vel quia sum vates; vel quia sacra cano.
Est nemus arboribus densum, secretus ab omni
Voce locus, si non obstreperetur aquis.

---

1 Un. *varias* — Novem *de nomine*, duo ex opt. *sub nomine*. 2. Tres opt. *lege*, duo opt. *legas*. 3. Duo *vera*, totid. *acta*. Cf. III, 370. Petron. c. 76. *Factum, non fabula*. — Un. opt. *erit* et post *loquatur*. — Meliores *loquantur*, quod Hs rec., cet. *loquentur*. 5. Noster A. A. III, 549. *Est deus in nobis, sunt et commercia coeli, Sedibus aetheriis spiritus ille venit*. Id. Pont. III, 4, 93. *Deus est in pectore nostro, Haec duce praedico vaticinorque deo*. Plato Ion. p. 534 ed. St. (180. Bekk.) Κοῦφον χρῆμα ποιητής ἐστι καὶ πτηνὸν καὶ ἱερὸν, καὶ οὐ πρότερον οἷός τε ποιεῖν, πρὶν ἂν ἔνθεός τε γένηται, καὶ ἐκφρὼν καὶ ὁ νοῦς μήκετι ἐν αὐτῷ ἐνῇ. Cic. Tusc. I, 26. *Ego non puto poetam grave plenumque carmen sine coelesti aliquo mentis instinctu fundere*. Id. Arch. 8. *Poeta quasi divino quodam spiritu inflatur*. 6. Un. opt. *hinc*, elegantius addit Hs. — Un. ex opt. *somnia*, alius opt. *nomina*. 7. Un. ex opt. *dearum*. 9. Un. *securus*. 10. Un. opt. *adstrep.*, alius *constrep*. — Un. ex opt. *avis*. Hinc Hs coni. *obstreperetis aves;* Burm. *obstreperetur avi*. — Horat. Epod. II, 27. *Fontesque lymphis obstrepunt manantibus*.

Hic ego quaerebam, coepti quae mensis origo
  Esset, et in cura nominis huius eram.
Ecce deas vidi: non quas praeceptor arandi
  Viderat, Ascraeas quum sequeretur oves;
Nec quas Priamides in aquosae vallibus Idae
  Contulit; ex illis sed tamen una fuit.
Ex illis fuit una, sui germana mariti.
  Haec erat, — agnovi, — quae stat in arce Iovis.
Horrueram tacitoque animum pallore fatebar;
  Quum dea, quos fecit, sustulit ipsa metus:
Namque, ait, O vates, Romani conditor anni,
  Ause per exiguos magna referre modos,
Ius tibi fecisti numen coeleste videndi,
  Quum placuit numeris condere festa tuis.

---

12. *In cura esse,* ut *in exspectatione, spe, metu esse,* et similia. 13. Un. ex opt. *nec quas* — Un. opt. *spectator* — Un. opt. *amandi.* 14. Un. opt. et tres al. *dum sequer.* Hesiodus Th. 22. de Musis, αἵ νύ ποθ' Ἡσίοδον καλὴν ἐδίδαξαν ἀοιδήν, Ἄρνας ποιμαίνονθ' Ἑλικῶνος ὕπο ζαθέοιο. Noster A. A. I, 27. *Nec mihi sunt visae Clio Cliusque sorores, Pascenti pecudes vallibus, Ascra, tuis.* Propert. II. (III), 34 (30), 79. *Tu canis Ascraei veteris praecepta poetae, Quo seges in campo, quo viret uva iugo.* Idem II, 10, 25. *Nondum etiam Ascraeos norunt mea carmina fontes.* Strabo IX, 2. Ἐν τῇ τῶν Θεσπιέων ἐστὶ καὶ ἡ Ἀσκρη κατὰ τὸ πρὸς Ἑλικῶνα μέρος, ἡ τοῦ Ἡσιόδου πατρίς. 15. Duo mel. *Non quas* — Un. opt. *ter aq.* Eurip. Iph. Aul. 1294. ἀμφὶ τὸ λευκὸν ὕδωρ, ὅθι κρῆναι νυμφᾶν κεῖνται, λειμών τ' ἄνθεσι θάλλων χλωροῖς· ἔνθα ποτὲ Παλλὰς ἔμολε, καὶ δολιόφρων Κύπρις, Ἥρα τε — κρίσιν ἔπι σιγνάν. 17. Cf. 27. Ipsa de se ap. Virg. A. I, 46. *Ast ego, quae divum incedo regina, Iovisque Et soror et coniux* —. 19. Cf. I, 97. II, 502. III, 331. — Ap. Nostr. Trist. I, 4, 11. *Navita confessus gelido pallore timorem.* M. VI, 35. *Pallas confessa est vultibus iram.* 21. Un. ex opt. *operosi conditor* —. 22. Cf. II, 3. 125. Noster Am. II, 1, 4. *Non estis teneris apta theatra modis.* 23. Edd. quaed. *nomen;* un. opt. *coelestia sacra videndi.* 24. Duo opt. *festa Iovis;* forte pro *novis,* addit Burm — Noster Am. I, 1, 1. *Arma gravi numero violentaque bella parabam Edere, materia conveniente modis.* Ib. 19. *Nec mihi materia est numeris levioribus apta.* Ib. 17. *Sex mihi surgat opus numeris, in quinque residat. Ferrea cum vestris bella valete modis.*

LIBER SEXTUS.

Hic quoque mensis habet dubias in nomine caus..
Quae placeant, positis omnibus, ipse leges.
Facta canam; sed erunt, qui me finxisse loquantu..
Nullaque mortali numina visa putent.
Est Deus in nobis: agitante calescimus illo.
Impetus hic sacrae semina mentis habet.
Fas mihi praecipue vultus vidisse Deorum:
Vel quia sum vates; vel quia sacra cano.
Est nemus arboribus densum, secretus ab omni
Voce locus, si non obstreperetur aquis.

---

1 Un. *varias* — Novem *de nomine*, duo ex opt. *sub nomine*. 2. Tre opt. *lege*, duo opt. *legas*. 3. Duo *vera*, totid. *acta*. Cf. III, 370. Petron. c. 76. *Factum, non fabula*. — Un. opt. *erit* et post *loquatur*. — Meliores *loquantur*, quod Hs rec., cet. *loquentur*. 5. Noster A. A. II 549. *Est deus in nobis, sunt et commercia coeli, Sedibus aetheriis spiritus unde venit*. Id. Pont. III, 4, 93. *Deus est in pectore nostro, Haec duce praedicoque deo*. Plato Ion. p. 534 ed. St. (180. Bekk.) Κοῦφον χρῆμα ποιητής ἐστι καὶ πτηνὸν καὶ ἱερὸν, καὶ οὐ πρότερον οἷός τε ποιεῖν, πρὶν ἂν ἔνθεός τε γένηται, καὶ ἐκφρὼν καὶ ὁ νοῦς μηκέτι ἐν αὐτῷ ἐνῇ. Cic. Tusc. I, 26. *Ego non puto poetam grave plenumque carmen sine coelesti aliquo mentis instinctu fundere*. Id. Arch. 8. *Poeta quasi divino quodam spiritu inflatur*. 6. Un. opt. *hinc*, elegantius addit Hs. — Un. ex opt. *somnia*, alius opt. *nomina*. 7. Un. ex opt. *dearum*. 9. Un. *securus*. 10. Un. opt. *adstrep.*, alius *constrep*. — Un. ex opt. *avis*. Hinc Hs coni. *obstreperetis aves;* Burm. *obstreperetur avi*. — Horat. Epod. II, 27. *Fontesque lymphis obstrepunt manantibus*.

ic ego quaerebam, coepti quae mensis origo
Esset, et in cura nominis huius eram.
cce deas vidi: non quas praeceptor arandi
Viderat, Ascraeas quum sequeretur oves;
ec quas Priamides in aquosae vallibus Idae
Contulit; ex illis sed tamen una fuit.
x illis fuit una, sui germana mariti.
Haec erat, — agnovi, — quae stat in arce Iovis.
orrueram tacitoque animum pallore fatebar;
Quum dea, quos fecit, sustulit ipsa metus:
amque, ait, O vates, Romani conditor anni,
Ause per exiguos magna referre modos,
us tibi fecisti numen coeleste videndi,
Quum placuit numeris condere festa tuis.

---

12. *In cura esse,* ut *in exspectatione, spe, metu esse,* et similia. 13. Un. ex opt. *nec quas* — Un. opt. *spectator* — Un. opt. *amandi.* 14. Un. opt. sacra tres al. *dum sequer.* Hesiodus Th. 22. de Musis, αἵ νύ ποθ' Ἡσίοδον καλὴν ἐδίδαξαν ἀοιδήν, Ἄρνας ποιμαίνονθ' Ἑλικῶνος ὕπο ζαθέοιο. Noster A. A. I, 27. *Nec mihi sunt visae Clio Cliusque sorores, Pascenti pecudes vallibus, Ascra, tuis.* Propert. II. (III), 34 (30), 79. *T'u canis Ascraei veteris praecepta poetae, Quo seges in campo, quo viret uva iugo.* Idem II, 10, 25. *Nondum etiam Ascraeos norunt mea carmina fontes.* Strabo IX, 2. Ἐν τῇ τῶν Θεσπιέων ἔστι καὶ ἡ Ἄσκρη κατὰ τὸ πρὸς Ἑλικῶνα μέρος, ἡ τοῦ Ἡσιόδου πατρίς. 15. Duo mel. *Non quas* — Un. opt. *ter aq.* Eurip. Iph. Aul. 1294. ἀμφὶ τὸ λευκὸν ὕδωρ, ὅθι κρῆναι νομφῶν κεῖνται, λειμών τ' ἄνθεσι θάλλων χλαεροῖς· ἔνθα ποτὲ Παλλὰς ἔμολε, καὶ δολιόφρων Κύπρις, Ἥρα τε — κρίσιν ἔπι στυγνάν. 17. Cf. 27. Ipsa de se ap. Virg. A. I, 46. *Ast ego, quae divum incedo regina, Iovisque Et soror et coniux —.* 19. Cf. I, 97. II, 502. III, 331. — Ap. Nostr. Trist. I, 4, 11. *Navita consessus gelido pallore timorem.* M. VI, 35. *Pallas confessa est vultibus iram.* 21. Un. ex opt. *operosi conditor —.* 22. Cf. II, 3. 125. Noster Am. II, 1, 4. *Non estis teneris apta theatra modis.* 23. Edd. quaed. *nomen;* opt. *coelestia sacra videndi.* 24. Duo opt. *festa Iovis;* forte pro *Ioni-* addit Burm — Noster Am. I, 1, 1. *Arma gravi numero violentaque bella parabam Edere, materia conveniente modis.* Ib. 19. *Nec mihi materia est numeris leviobus apta.* Ib. 17. *Sex mihi surgat opus numeris, in quinque relabi.* Un. *dat. Ferrea cum vestris bella valete modis.*

LIBER SEXTUS.

Hic quoque mensis habet dubias in nomine causas:
Quae placeant, positis omnibus, ipse leges.
Facta canam; sed erunt, qui me finxisse loquantur:
Nullaque mortali numina visa putent.
Est Deus in nobis: agitante calescimus illo.
Impetus hic sacrae semina mentis habet.
Fas mihi praecipue vultus vidisse Deorum:
Vel quia sum vates; vel quia sacra cano.
Est nemus arboribus densum, secretus ab omni
Voce locus, si non obstreperetur aquis.

1 Un. *varias* — Novem *de nomine*, duo ex opt. *sub nomine*. 2. Tres opt. *lege*, duo opt. *legas*. 3. Duo *vera*, totid. *acta*. Cf. III, 370. Petron. c. 76. *Factum, non fabula*. — Un. opt. *erit* et post *loquatur*. — Meliores *loquantur*, quod Hs rec., cet. *loquentur*. 5. Noster A. A. III, 549. *Est deus in nobis, sunt et commercia coeli, Sedibus aetheriis spiritus ille venit*. Id. Pont. III, 4, 93. *Deus est in pectore nostro, Haec duce praedico rati-cinorque deo*. Plato Ion. p. 534 ed. St. (180. Bekk.) Κοῦφον χρῆμα ποιητής ἐστι καὶ πτηνὸν καὶ ἱερόν, καὶ οὐ πρότερον οἷός τε ποιεῖν, πρὶν ἂν ἔνθεός τε γένηται, καὶ ἐκφρὼν καὶ ὁ νοῦς μήκετι ἐν αὐτῷ ἐνῇ. Cic. Tusc. I, 26. *Ego non puto poetam grave plenumque carmen sine coelesti aliquo mentis instinctu fundere*. Id. Arch. 8. *Poeta quasi divino quodam spiritu inflatur*. 6. Un. opt. *hinc*, elegantius addit Hs. — Un. ex opt. *somnia*, alius opt. *nomina*. 7. Un. ex opt. *dearum*. 9. Un. *securus*. 10. Un. opt. *adstrep.*, alius *constrep*. — Un. ex opt. *avis*. Hinc Hs coni. *obstreperetis aves*; Burm. *obstreperetur avi*. — Horat. Epod. II, 27. *Fontesque lymphis obstrepunt manantibus*.

Hic ego quaerebam, coepti quae mensis origo
Esset, et in cura nominis huius eram.
Ecce deas vidi: non quas praeceptor arandi
Viderat, Ascraeas quum sequeretur oves;
Nec quas Priamides in aquosae vallibus Idae
Contulit; ex illis sed tamen una fuit.
Ex illis fuit una, sui germana mariti.
Haec erat, — agnovi, — quae stat in arce Iovis.
Horrueram tacitoque animum pallore fatebar;
Quum dea, quos fecit, sustulit ipsa metus:
Namque, ait, O vates, Romani conditor anni,
Ause per exiguos magna referre modos,
Ius tibi fecisti numen coeleste videndi,
Quum placuit numeris condere festa tuis.

---

12. *In cura esse*, ut *in exspectatione, spe, metu esse*, et similia. 13. Un. ex opt. *nec quas* — Un. opt. *spectator* — Un. opt. *amandi*. 14. Un. opt. et tres al. *dum sequer*. Hesiodus Th. 22. de Musis, αἵ νύ ποθ' Ἡσίοδον καλὴν ἐδίδαξαν ἀοιδήν, Ἄρνας ποιμαίνονθ' Ἑλικῶνος ὕπο ζαθέοιο. Noster A. A. I, 27. *Nec mihi sunt visae Clio Cliusque sorores, Pascenti pecudes vallibus, Ascra, tuis.* Propert. II. (III), 34 (30), 79. *Tu canis Ascraei veteris praecepta poetae, Quo seges in campo, quo viret uva iugo.* Idem II, 10, 25. *Nondum etiam Ascraeos norunt mea carmina fontes.* Strabo IX, 2. Ἐν τῇ τῶν Θεσπιέων ἔσλι καὶ ἡ Ἀσκρη κατὰ τὸ πρὸς Ἑλικῶνα μέρος, ἡ τοῦ Ἡσιόδου πατρίς. [illegible] Duo mel. *Non quas* — Un. opt. *ter aq.* Eurip. Iph. Aul. 1294. ἀμφὶ τὸ λευκὸν ὕδωρ, ὅθι κρῆναι νυμφῶν κεῖνται, λειμών τ' ἄνθεσι θαλλων χλωροῖς· ἔνθα ποτὲ Παλλὰς ἔμολε, καὶ δολιόφρων Κύπρις, [illegible] τε —κρίσιν ἔπι σίγνάν. 17. Cf. 27. Ipsa de se ap. Virg. A. I, 46. *Ast ego, quae divum incedo regina, Iovisque Et soror et coniux* —. 19. Cf. I, 97. II, 502. III, 331. — Ap. Nostr. Trist. I, 4, 11. *Navita confessus gelido pallore timorem.* M. VI, 35. *Pallas confessa est vultibus iram.* 21. Un. ex opt. *operosi conditor* —. 22. Cf. II, 3. 125. Noster Am. II 1, 4. *Non estis teneris apta theatra modis.* 23. Edd. quaed. *nomen;* [illegible] opt. *coelestia sacra videndi.* 24. Duo opt. *festa Iovis;* forte pro *nos moni-* addit Burm — Noster Am. I, 1, 1. *Arma gravi numero violentaque bella parabam Edere, materia conveniente modis.* Ib. 19. *Nec mihi materia est numeris levioribus apta.* Ib. 17. *Sex mihi surgat opus numeris, in quinque* [illegible]. Un. *dat, Ferrea cum vestris bella valete modis.*

Ne tamen ignores, vulgique errore traharis,
Iunius a nostro nomine nomen habet.
Est aliquid nupsisse Iovi, Iovis esse sororem.
Fratre magis, dubito, glorier, anne viro.
Si genus adspicitur, Saturnum prima parentem
Feci; Saturni sors ego prima fui.
A patre dicta meo quondam Saturnia Roma est:
Haec illi a coelo proxima terra fuit.
Si torus in pretio est, dicor matrona Tonantis,
Iunctaque Tarpeio sunt mea templa Iovi.
An potuit Maio pellex dare nomina mensi,
Hic honor in nobis invidiosus erit?

---

26. Edd. nonn. *numine.* — Tres *mensis habet.* Macrob. Saturn. I, 12. *Iunius, aut ex parte populi nominatus, aut, ut Cincius arbitratur, quod Iunonius ap. Latinos ante vocitatus, diuque ap. Aricinos Praenestinosq. hac appellatione in fastos relatus sit; adeo, ut, sicut Nisus in commentariis fastorum dicit, ap. maiores quoque nostros haec appellatio mensis diu manserit, sed post ex Iunonio Iunius dictus sit; nam et aedes Iunoni Monetae Cal. Iun. dedicata est.* 27. Nost. Ep. ex Pont. II, 7, 65. *Est aliquid patriis vicinum finibus esse.* 29. Un. ex opt. *arguitur.* Burm. mav. *inspicitur.* Ovid. M. V, 190. *Adspice, ait, Perseu, nostrae primordia gentis.* 30. Quat *pars ego.* — Ap. Homer. Il. IV, 59. Iuno de se ipsa: Καί με πρεσβυτάτην τέκετο Κρόνος. Aliter Homer. H. Ven. 22. Ἰσθλὴ, ἣν πρώτην τέκετο Κρόνος — Eandem primam nominat Hesiod. Th. 454. 31. Varro L. L. IV. p. 13. *Hunc* (Capitolinum) *antea montem Saturnium appellatum prodiderunt, et ab eo late Saturniam terram. Antiquum oppidum in hoc fuisse Saturniam scribitur. Eius vestigia etiam nunc manent tria.* 32. In uno deest *a.* Un. ex opt. *expulso prox.* — Ovid. Ep. ex P. II, 8, 37. *a Caesare proxime Caesar.* A. A. I, 139. *Proximus a domina — sedeto.* Simile illud Virg. E. V, 49. *tu nunc eris alter ab illo.* 33. Tres *dicar.* In ed. Burm. perverse illos *dicor* legere refertur, quum vulg. sit lectio *dicor*, non *dicar.* 34. Cf. ad 73. — 35. Similis interrogandi formula saepe ap. Ciceronem, ut Tusc. V, 32. *An Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere, nostrates philosophi facere non poterunt?* Quare delevi interrogationis signum, quod in edd. post *mensi* positum est. — De *pellice* cf. V, 85. 36. Un. ex opt. *eris.*

Cur igitur regina vocor, princepsque dearum?
  Aurea cur dextrae sceptra dedere meae?
An faciant mensem luces, Lucinaque ab illis
  Dicar, et a nullo nomina mense traham?
Tum me poeniteat posuisse fideliter iras
  In genus Electrae Dardaniamque domum.
Causa duplex irae. Rapto Ganymede dolebam:
  Forma quoque Idaeo iudice victa mea est.
Poeniteat, quod non foveo Carthaginis arces,
  Quum mea sint illo currus et arma loco.
Poeniteat Sparten, Argosque, measque Mycenas,
  Et veterem Latio supposuisse Samon.
Adde senem Tatium, Iunonicolasque Faliscos,
  Quos ego Romanis succubuisse tuli.

---

39. Plurimi *facient*, multi *faciunt*, un. ex opt. et octo al. *faciant*, quod Hs rec.; un. ex opt. *faciam pueris lucem*; quat. ex opt. *menses*. Haerere se fatetur Burm. Verba *et a nullo* — sunt apodosis negligenter protasi adiuncta, pro *a nullo tamen ego*. 41. Ed. Hs c. edd. vett. *Tum*, quod recepi; Burm. *Tunc*. 42. Cf. IV, 31. Virg. A. I, 26. *manet alta mente repostum Iudicium Paridis, spretaeque iniuria formae, Et genus invisum, et rapti Ganymedis honores*. 43. Ex quat. opt. *rapto G.* rec. Hs., cet. *raptum Ganymeda*. Homer. Il. XX, 232. ἀντίθεος Γανυμήδης, Ὃς δὴ κάλλιστος γένετο θνητῶν ἀνθρώπων· Τὸν καὶ ἀνηρείψαντο θεοὶ Διὶ οἰνοχοεύειν, Κάλλεος εἵνεκα οἷο, ἵν' ἀθανάτοισι μετείη. 44. Cf. VI, 15. — 45. Plurimi *fovi*, meliores *foveo*, quod Hs rec., un. ex opt. *foveam*. — Un. *urbes*, in marg. *duces* 46. Virg. A. I, 15. *Quam* (Carth.) *Iuno fertur terris magis omnibus unam Posthabita coluisse Samo: hic illius arma, Hic currus fuit;* ad quem locum Servius: *Sic autem esse etiam in sacris Tiburtibus constat, ubi sic precantur: Iuno Curulis, tuo curru clipeoque tuere meos, curiae vernulas sane*. Ap. Sabinos erat *Iuno Quiritis* sive *Curitis*. 47. Ap. Homer, Il. IV, 51. Iuno de se: Ἦτοι ἐμοὶ τρεῖς μὲν πολὺ φίλταταί εἰσι πόληες, Ἄργος τε, Σπάρτη τε καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη. 49. Multi *Iuniculosque*. De Tatio haec Dion. Hal. Ant. II, 50. ἐν ἁπάσαις ταῖς κουρίαις Ἥρα τραπέζας ἔθετο Κυριτίᾳ λεγομένῃ, αἳ καὶ εἰς τόδε χρόνου κεῖνται. Falisci oriundi ab Argivis cf. IV, 73. 50. Un. ex opt. *supposuisse*.

Sed neque poeniteat, nec gens mihi carior ulla est.
Hic colar, hic teneam cum Iove templa meo.
Ipse mihi Mavors, Commendo moenia, dixit,
Haec tibi: tu pollens urbe nepotis eris.
Dicta fides sequitur. Centum celebramur in aris:
Nec levior quovis est mihi mensis honor.
Nec tamen hunc nobis tantummodo praestat honorem
Roma: suburbani dant mihi munus idem.
Inspice, quos habeat nemoralis Aricia fastos,
Et populus Laurens, Lanuviumque meum:
Est illic mensis Iunonius. Inspice Tibur,
Et Praenestinae moenia sacra deae;
Iunonale leges tempus. Nec Romulus illas
Condidit: at nostri Roma nepotis erat.
Finierat Iuno. Respeximus. Herculis uxor
Stabat, et in vultu signa dolentis erant.

---

51. Un. *illa*. 52. Multi *color — teneo;* ex castigatior. nostr. Hs rec. — Un. *regna m.* 55. Un. ex opt. *Scitis celebr.* — Un. ex opt. *aras.* Cf. I, 359. III, 366. M. VIII, 711. *Vota fides sequitur.* — *Centum* ὑπερβολικῶς, etsi Romae multae multorum nominum Iunonis aedes fuerunt; πολυώνυμος enim erat. 57. Duo ex opt. *praestet.* Hs mav. *Ne — praestet.* 59. Un. ex opt. *fastus,* alius *fasces.* Cf. III, 263. Urbs post Albanum montem in via Appia, tredecim millia passuum a Roma. 60. Plurimi *Laviniumque,* quod metrum offendit, cf. III, 629; pauci nostr. quod Hs c. Scaligero rec., un. opt. *Laviniumque nemus.* — *Laurentum* vetusta regis Latini et Aboriginum sedes, non longe a Tiberi. — *Lanuvium* municipium Latii. Liv. VIII, 14. *Lanuvinis civitas data sacraque sua reddita cum eo, ut aedes lucusque Sospitae Iunonis communis Lanuvinis municipibus cum populo Rom. esset.* 61. Plurimi *Adspice;* e melior. nostr. rec. Hs. *Tibur ab Argeo positum colono,* ut ait Horat. Od. II, 6, 5. Cf. IV, 71. 62. Plurimi *meae.* Schol. Iuven. XIV, 90. *Fortunae apud Praenesten aedem pulcherrimam ferunt fuisse.* Strabo V, 3. Πραίνεστός δ' ἐστὶν ὅπου τὸ τῆς Τύχης ἱερὸν ἐπίσημον χρηστηριάζον. 63. Alii plurimi *Iunonisque* — Un. ex opt. *illos. Tempus* ut *tempora* III, 91. 65. Hesiod. Th. 950. Ἥβην δ' Ἀλκμήνης καλλισφύρου ἄλκιμος υἱὸς — Παῖδα Διὸς μεγάλοιο καὶ Ἥρης χρυσοπεδίλου Αἰδοίην Θέτ' ἄκοιτιν ἐν Οὐλύμπῳ νιφόεντι. Ἥβη Romanorum dea *Iuventas.* 66. Pleriq. *vigoris* vel *doloris,* quid, *decoris,* duo *ruboris,* un. *pudoris.* — Similis est Cereris IV, 586. —

Non ego, si toto mater me cedere coelo
  Iusserit, invita matre morabor, ait.
Nunc quoque non luctor de nomine temporis huius:
  Blandior, et partes paene rogantis ago;
Remque mei iuris malim tenuisse precando;
  Et faveas causae forsitan ipse meae.
Aurea possedit posito Capitolia templo
  Mater, et ut debet, cum Iove summa tenet.
At decus omne mihi contingit origine mensis.
  Unicus est, de quo sollicitamur, honor.
Quid grave, si titulum mensis, Romane, dedisti
  Herculis uxori, posteritasque memor?
Haec quoque terra aliquid debet mihi nomine magni
  Coniugis. Huc captas appulit ille boves.
Hic male defensus flammis et dote paterna
  Cacus Aventinam sanguine tinxit humum.

---

67. Un. ex opt. et edd. quaed. *deccdere.* 69, Tres *Nunc ego non,* alius *Hoc quoque non* — Un. ex opt. *quum luct.,* non male addit Burm., si post *huius* minor distinctio ponatur. 70. *Partes* cf. III, 684. A. A. I, 278. *Femina iam partes victa rogantis agat.* 71. Quat. et edd. nonn. *mallem.* 72. Alii *faveat — ipsa.* 73. Plurimi *posito,* quod revocavi; un. c. glossa *aedificato;* Hs vet. lect. *socio* servavit. *Aurea* cf. I, 203. Plin. H. N. XXXIII, 3. *Laquearia post Carthaginem eversam primo inaurata sunt in Capitolio, et Catulus tegulas aereas Capitolii inauravit primus.* 74. Nonn. *templa tenet.* Dion. Hal. Antiq. IV, 61. de templo Iovis Capitolini inter alia haec: ἐν δὲ αὐτῷ τρεῖς ἕνεισι σηκοὶ παράλληλοι κοινὰς ἔχοντες πλευράς· μέσος μὲν ὁ τοῦ Διός· παρ' ἑκάτερον δὲ τὸ μέρος, ὅ τε τῆς Ἥρας καὶ ὁ τῆς Ἀθηνᾶς, ὑφ' ἑνὸς ἀετοῦ καὶ μιᾶς σ]έγης καλυπ]όμενοι. 76. Un. ex mel. *Sollicitemur.* 77. Omnes fere *dedisti,* quod servavi; tres ex opt. *dedistis,* quod Hs rec., un. ex opt. *mensis mihi, Roma, dedisti.* 80. Un. opt. *captos,* duo *raptos* — Duo ex opt. *attulit,* un. ex opt. *abstulit.* Historiam v. I, 543. sq. 81. Un ex opt. *arte pat.* Cf. I, 571. Virg. A. VIII, 198. *Huic monstro Volcanus erat pater; illius atros Ore vomens ignes magna se mole ferebat.* Ib. 252. *Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu, Evomit involvitque domum caligine caeca, Prospectum eripiens oculis, glomeratque sub antro Fumiferam noctem commixtis igne tenebris.*

Ad propiora vocor. Populum digessit ab annis
Romulus, in partes distribuitque duas.
Haec dare consilium, pugnare paratior illa est:
Haec aetas bellum suadet, at illa gerit.
Sic statuit, mensesque nota secrevit eadem.
Iunius est iuvenum; qui fuit ante, senum.
Dixit: et in litem studio certaminis issent,
Atque ira pietas dissimulata foret;
Venit Apollinea longas Concordia lauro
Nexa comas, placidi numen opusque ducis.
Haec ubi narravit Tatium, fortemque Quirinum,
Binaque cum populis regna coisse suis,
Et Lare communi soceros generosque receptos;
His nomen iunctis Iunius, inquit, habet.
Dicta triplex causa est. At vos ignoscite, divae:
Res est arbitrio non dirimenda meo.
Ite pares a me. Perierunt iudice formae
Pergama: plus laedunt, quam iuvet una, duae.

83. Un. *ab armis.* Cf. I, 41. V, 78. Macrob. Sat. I, 12. *Fulvius Nobilior in fastis suis Romulum dicit, postquam populum in maiores iunioresque divisit, ut altera pars consilio, altera armis remp. tueretur, in honorem utriusque partis hunc Maium, sequentem Iunium vocasse.* Varro L. L. V. p. 60. *A maioribus Maius, a iunioribus Iunius appellatus est.* 84. Duo ex opt. et tres al. *constituitque.* 85. Cf. V, 59. Eurip. Fragm. Melan. 17. Παλαιὸς αἶνος· Ἔργα μὲν νεωτέρων, Βουλαὶ δ' ἔχουσι τῶν γεραιτέρων κράτος 86. Plurimi *suadet, at illa gerat;* un. opt. et al. melior. *suadet et illa gerit,* quod Hs placet, qui tamen nostr. e sex codd. rec.; nonn. *suadeat, illa gerat,* duo *suadet, ut illa gerat.* 88. Un. ex opt. *Iunius hic iuv.* Hs mav. *Iunius hinc iuv. — — senum est.* 89. Un. mel. *in partem.* 91. Concordia Augusta Cf. I, 637. Laurus victrix corona Phoebi sacra (cf. III, 139.) additur ob Tiberium victorem. 92. Tres mel. *munus opusque,* quod Hs placet. — Un. mel. *opusque dei.* 93. Rem narrat Liv. I, 13. *Ad foedus faciendum duces prodeunt, nec pacem modo, sed et civitatem unam ex duabus faciunt; regnum consociant.* 94. Duo *signa.* 97. Un. ex opt. *Nymphae.* 98. Hs legendum esse existimat *Lis.* — Duo ex opt. *iudicio.* 99. Hs mav. *parcs ambae.* Cf. V, 109. 100. Tres ex opt. et undecim al. *iuvet,* quod Hs rec., cet. *iuvat.*

Prima dies tibi, Carna, datur. Dea cardinis haec est;
  Numine clausa aperit, claudit aperta suo.
Unde datas habeat vires, obscurior aevo
  Fama; sed e nostro carmine certus eris.
Adiacet antiquus Tiberino lucus Helerni:
  Pontifices illuc nunc quoque sacra ferunt.
Inde sata est Nymphe, — Cranen dixere priores, —
  Nequidquam multis saepe petita procis.
Rura sequi iaculisque feras agitare solebat,
  Nodosasque cava tendere valle plagas.
Non habuit pharetram: Phoebi tamen esse sororem
  Credebant; nec erat, Phoebe, pudenda tibi.
Huic aliquis iuvenum dixisset amantia verba,
  Reddebat tales protinus illa sonos:

---

101. Hanc deam Tertullianus, Cyprianus et Augustinus plerumq. *Cardeam* appellant. Macrob. Saturn. I, 12. *Nonnulli putaverunt, Iunium mensem a Iunio Bruto, qui primus Romae consul factus est, nominatum, quod hoc mense, id est Kal. Iun. pulso Tarquinio sacrum Carnae deae in Coelio monte voti reus fecerit. Hanc deam vitalibus humanis praeesse credunt, ab ea denique petitur, ut iecinora et corda, quaeque sunt intrinsecus viscera, salva conservet. Et quia cordis beneficio, cuius dissimulatione Brutus habebatur, idoneus emendationi publici status exstitit, hanc deam, quae vitalibus praeest, templo sacravit. Cui pulte fabacia et larido sacrificatur, quod his maxime rebus vires corporis roborentur; nam et Calendae Iuniae fabariae vulgo vocantur, quia hoc mense adultae fabae divinis rebus adhibentur.* 103. Hs mav. *ratas;* vulg. lect. defendit Bentl. Horat. Serm. II, 2, 31. 104. Alii *Fama est, sed nostro.* — Sex *doctus eris.* Nost. Ep. ex P. II, 7, 28. *Citius — Quot natent pisces aequore, certus eris, Quam —.* 105. Plurimi nostr., quod retinui; tres ex opt. *antiqui,* quod Hs rec. — Un. mel. *Tiberini,* tres *Tiberinae luc. Hilernae.* — Al. *Hilerni* aut *Hylerni.* — *Tiberinus* ut IV, 291. — *Hilernus* aut *Hilerna* quis fuerit, non constat. 106. Un. mel. *illic* — Un. ex opt *canunt.* 107. Alii plurimi *Cranen,* quod praetuli; alii *Granen,* quod Hs rec., al. *Grangen,* al. *Gramen.* — *Priores,* ut I, 329. IV, 329. 110. Un. *vaga tend.* 111. Similiter de Nympha Syringe Nost. M. I, 695. *Ritu quoque cincta Dianae falleret, et credi posset Latonia.* 113. Duo ex opt. et duo al. *Huic si quis,* un. *ius. si dixit,* alius *quum dixit.* Ellipsis coniunct. *si,* ut ap. Cic. Off.

Haec loca lucis habent nimis, et cum luce pudoris.
Si secreta magis ducis in antra, sequor.
Credulus ante subit. Frutices haec nacta resistit,
Et latet, et nullo est invenienda loco.
Viderat hanc Ianus, visaeque cupidine captus
Ad duram verbis mollibus usus erat:
Nympha iubet quaeri de more remotius antrum:
Utque comes sequitur, destituitque ducem.
Stulta! videt Ianus, quae post sua terga gerantur;
Nil agis, en! latebras respicit ille tuas.
Nil agis, en! dixi. Nam te sub rupe latentem
Occupat amplexu; speque potitus ait:
Ius pro concubitu nostro tibi cardinis esto;
Hoc pretium positae virginitatis habe.
Sic fatus, virgam, qua tristes pellere posset
A foribus noxas, — haec erat alba — dedit.

III, 19. *Dares hanc vim M. Crasso: in foro, crede mihi, saltaret.* Coniunctivus Plusq. idem est atque Graecor. Optativus Aoristi: uterque repetitam actionem designat.

116. Duo *deserta*, quod Burm. placet. — E melior. Hs rec. *sequor*, cet. *sequar*. 117. Plurimi *ante subit*, quod revocavi; alii *anteiit*, al. *ante iniit*; duo ex mel. *antra subit*, quod Hs rec. — *Resistit*, ut II, 86. 118. Edd. quaed. et un. liber Neap. *modo*, quod Hs rec., alii *loco*, quod ego recepi. De codd. qui quid legant, tacet Hs. 119. Un. *formaeque cupidine*. — Duo *tactus*. 120. Tibull. IV, 4, 76. *Vincuntur molli pectora dura prece*. 121. Un. ex opt. et duo al. *iubet, de more, petat*, tunc *semotius* vel *secretius* legendum esse addit Burm. 123. Edd. nonn. *geruntur*. Quid codd. legant, non annotatur. — De Iano cf. I, 91. — Allocutiones a poeta ipso ita insertae etiam alibi, ut in Narcissi historia, M. III, 432. *Credule, quid frustra simulacra fugacia captas?* etc. 124. Un. ex opt. *en*, quod Hs rec., cet. omn. *et* — Un. mel. *perspicit*. 125. Tres ex opt. *dixi*, quod Hs rec., cet. *dixit*, un. mel. *dico*. Hs tamen mav. *dixin'?* 126. Ex duob. opt. Hs rec. *speque*, cet. *teque*, quod Gierig. rec. Noster M. XI, 527. de forti milite, *Spe potitur tandem*. 127. Un. *nostri*. 129. Omnes fere *virgam*, quod reduxi; Hs rec. *spinam*, nulla addita codd. auctoritate. — Virgam primo non satis definit poeta; accuratius postea 165, nisi

Sunt avidae volucres; non quae Phineïa mensis
  Guttura fraudabant: sed genus inde trahunt.
Grande caput: stantes oculi: rostra apta rapinae;
  Canities pennis, unguibus hamus inest.
Nocte volant, puerosque petunt nutricis egentes,
  Et vitiant cunis corpora rapta suis.
Carpere dicuntur lactentia viscera rostris;
  Et plenum poto sanguine guttur habent.
Est illis strigibus nomen: sed nominis huius
  Causa, quod horrenda stridere nocte solent.

---

forte in versu seq. scripsit *spina erat alba*. Quam vim ei tribuit, eandem rhamno synonymae spinae albae adscribit Dioscorides I, 119. Λέγεται δὲ καὶ κλῶνας αὐτῆς θύραις προσπεθέντας ἀποκρούειν τὰς τῶν φαρμάκων κακουργίας. Cf. 165.

131. De Harpyiis Virg. A. III, 214. *Tristius haud illis monstrum; nec saevior ulla Pestis et ira deum Stygiis sese extulit undis. Virginei volucrum vultus, foedissima ventris Proluvies, uncaeque manus et pallida semper Ora fame.* Apollod. I, 9, 21. Ἐν τῇ Θρᾴκης Σαλμυδησσῷ ᾤκει Φινεὺς μάντις τὰς ὄψεις πεπηρωμένος. — Ἐπεμψαν δὲ αὐτῷ καὶ τὰς Ἁρπυίας οἱ θεοί. Ἱερωταὶ δὲ ἦσαν αὗται, καὶ, ἐπειδὰν τῷ Φινεῖ παρετίθετο τράπεζα, ἐξ οὐρανοῦ καθιπταμέναι τὰ μὲν πλείονα ἀνήρπαζον, ὀλίγα δὲ ὀσμῆς ἀνάπλεα κατέλειπον. 133. Sex *grandes oc.*, quat. *stantesque.* Plin. H. N. XI, 39, 95. *Lac nulli, nisi animali parienti; volucrum vespertilioni tantum. Fabulosum enim arbitror de strigibus, ubera eas infantium labris immulgere. Esse in maledictis iam antiquis strigem convenit; sed quae sit avium, constare non arbitror.* Isidor. Orig. XII, 7. *Strix nocturna avis, habens nomen de sono vocis; quando enim clamat, stridet. Vulgo Amma dicitur aò amando parvulos, unde et lac praebere dicitur nascentibus.* 134. Un. ex opt. et tres al. *plumis.* — Un. mel. *hamus erat.* 136. Duo *Et iugulant.* 137. Tres ex opt. *lactantia.* — Tres *pectora*, un. ex opt. et undec. al. *corpora.* 138. Un. mel. *puro s.* — Un. ex opt. *pectus h.* 139. Un. opt. *striges*, quat. *strigilis.* 140. Hs vel contra libros *voce* legendum esse censet, Ian. Ulitius mav. *horrendum.* Alterutrum verum. Virg. A. IX, 112. *tum vox horrenda per auras Excidit.* Valer. Fl. Argon. I, 209. *vox reddita tandem, Vox horrenda viris.* Cf. IV, 190. Virg. VI, 288. *bellua Lernae Horrendum stridens.* Ib. IX, 632. *Effugit horrendum stridens adducta sagitta.*

Sive igitur nascuntur aves, seu carmine fiunt,
Neniaque in volucres Marsa figurat anus;
In thalamos venere Procae. Proca natus in illis
Praeda recens avium quinque diebus erat;
Pectoraque exsorbent avidis infantia linguis.
At puer infelix vagit opemque petit.
Territa voce sui nutrix accurrit alumni,
Et rigido sectas invenit ungue genas.
Quid faceret? color oris erat, qui frondibus olim
Esse solet seris, quas nova laesit hiems.
Pervenit ad Cranen, et rem docet. Illa, Timorem
Pone! tuus sospes, dixit, alumnus erit.
Venerat ad cunas: flebant materque paterque:
Sistite vos lacrimas! ipsa medebor, ait.
Protinus arbutea postes ter in ordine tangit
Fronde: ter arbutea limina fronde notat.

---

141. Carmen magicum rhythmicum, idem cum nenia, de cujus vi Virg. E. VIII, 69. *Carmina vel coelo possunt deducere Lunam, Carminibus Circe socios mutavit Ulixi, Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.* 142. Quat. opt. *Marsa,* quod Hs c. Scal. rec., un. *saga,* cet. omn. *falsa.* Horat. Epod. XVII, 28. *credo Sabella pectus increpare carmina, Caputque Marsa dissilire nenia;* ad quem loc. Cruq. Schol. *Nenia pp. carmen funestum; hic pro maleficio carmine.* Idem ad Ep. VII, 76. *Marsi, Italiae populi, ita venenorum fuere periti, ut et saliva soliti sint etiam morsus curare serpentum.* Ovid. A. A. II, 101. *Non faciant, ut vivat amor, Medeides herbae, Mistaque cum magicis nenia Marsa sonis.* — Carmine mutatur anus in volucrem. Ovid. Am. I, 8, 13. *Hanc ego nocturnas vivam volitare per umbras Suspicor, et pluma corpus anile tegi.* Festus: *Striges maleficis mulieribus nomen inditum est, quas volaticas etiam vocant.* 145. Un. ex opt. *Exsorb. avid. inf. pect. linguis.* 146. Pleriq. *Et puer.* 147. Un. mel. *genitrix occurrit;* idem *occurrit* alius mel. 148. Un. opt. *fractas.* 149. Un. mel. *faciat. Olim* ut *quondam.* Cf. III, 555. — 150. Tres *tardis, q.,* — Nonn. *laedit.* — Cf. IV, 918. 152. Duo opt. *tuum* — Sept. *inquit.* 153. Quinq. *flebat.* — Un. *matresque patresque.* 155. Un. *texit,* unde Hs coni. *tergit. Ter* cf. ad IV, 655. *Arbutus* nusquam alibi ad lustrationem adhibetur. — Diog. Laert. IV, 7, 10. de Bione aegrotante: Καὶ γραῦ δῶκεν εὐμαρῶς τράχηλον εἰς ἐπῳδήν, Ῥάμνον τε καὶ κλᾶδον δάφνης ὑπὲρ θύρην ἔθηκεν. 156. Un. *lumina.* — Duo *tegit,* unde Hs coni. *terit.*

Spargit aquis aditus, et quae medicamen habebant:
  Extaque de porca cruda bimestre tenet.
Atque ita, Noctis aves, extis puerilibus, inquit,
  Parcite! pro parvo victima parva cadit.
Cor pro corde, precor, pro fibris sumite fibras.
  Hanc animam vobis pro meliore damus.
Sic ubi libavit, prosecta sub aethere ponit:
  Quique sacris adsunt, respicere illa vetat.
Virgaque Ianalis de spina ponitur alba,
  Qua lumen thalamis parva fenestra dabat.
Post illud nec aves cunas violasse feruntur,
  Et rediit puero, qui fuit ante, color.

157. Duo ex opt. *et quae*, quod recepi, cet. omn. *et aquae*. Hs rec. *sed quae* nullius cod. auctoritate. Praeter aquam multi alii καθαρμοὶ (februa, piamina, purgamina, medicamina. Cf. II, 21.) erant. Hinc Lucianus Necyom. p. 107. ed. Samb. περιήγνισέ με δᾳδὶ καὶ σ::ίλλῃ καὶ ἄλλοις πλείοσι. Cf. II, 573. IV, 725. V, 677. — 158. Un. *porco* — Duo mel. *bimatre*. *Bimestre* more poetarum, ut brevis fiat syllaba extrema. 160. Tres *puero vict.* — Duo ex opt. *datur*. Eadem diversitas I, 388. — *Fibrae* lobi apud medicos; in his iecur, lien, ren, pulmones, bilis, quae omnes cum corde sunt exta. Noster M. XV, 136. *Protinus ereptas viventi pectore fibras Inspiciunt, mentesque deum scrutantur in illis.* 163. E melior. Hs rec. *aethere*, cet. *acthera*, edd. nonn. *aëre*. Festus: *Exta dicta, quod ea diis prosecentur, quae maxime extant eminentque.* Idem: *Prosicium, quod prosecatum proiicitur.* Arnob. VII. p. 260. *Omnes has partes, quas prosicias* (praesicias) *dicitis, accipere dii amant.* 164. Duo ex opt. et sex al. *sacris adsunt*, quod Hs rec., cet. *adsunt sacris*. — Un. *respuere*, tres *prospicere*. — Un. mel. *exta vet.* Cf. V, 436. 165. Un. ex opt. *Naialis*, unde Hs coni. *Maialis* vel. *ramalis*. Cur *Ianalis* cf. 129; novum ut videtur vocabulum. — Duo opt. et plurimi al. *ponitur*, quod recepi; idem probat Hs, Ian. Ulitius mav. *subditur*, cet. *sumitur*. Spina alba rhamno est synonyma, de qua supra 129. Adde Schol. Nicandr. Ther. 861. Τὴν δὲ ῥάμνον ἀλεξιάρην φησὶν, οὐ μόνον, ὅτι ἀγαθή ἐστιν ἀπαλέξειν τοὺς ὑπὸ ἑρπετῶν πληγέντας τοῦ πάθους, ἀλλ' ὅτι καὶ εἰς φαντάσματα βοηθεῖ. 167. Eandem vim *allio* tribuit auctore Titinio Seren. Sammon. 1044. *Praeterea si forte premit strix atra puellos Virosa immulgens exsertis ubera labris, Allia praecepit Titini sententia necti,*

Pinguia cur illis gustentur larda Kalendis,
Mixtaque cum calido sit faba farre, rogas.
Prisca dea est, aliturque cibis, quibus ante solebat,
Nec petit adscitas luxuriosa dapes.
Piscis adhuc illi populo sine fraude natabat:
Ostreaque in conchis tuta fuere suis:
Nec Latium norat, quam praebet Ionia dives,
Nec, quae Pygmaeo sanguine gaudet, avem;
Et praeter pennas nihil in pavone placebat:
Nec tellus captas miserat ante feras.
Sus erat in pretio: caesa sue festa colebant.
Terra fabas tantum duraque farra dabat.
Quae duo mixta simul sextis quicumque Kalendis
Ederit, huic laedi viscera posse negant.

---

169. Cf. ad 101. 170. Pleriq. *cum cal.*, quod servavi; un. ex opt. *cur*, quod Burm. rec. Cf. I, 577. Hs mav. *si faba f. rog.* Cf. I, 219.—Tres *fit.* Varro Fragm. p. 241. *Kalendis Iuniis et publice et privatim fabatam pultem diis mactant.* 172. Un. *acoitas*, alius *adcitas.* — Ut rusticus ille ap. Horat. Ep. II, 48. qui cupit, ut pudica mulier *Dapes inemptas apparet; Non me Lucrina iuverint conchylia Magisve rhombus aut scari; Non Afra avis descendat in ventrem meum, Non attagen Ionicus Iucundior, quam lecta de pinguissimis Oliva ramis arborum.* 173. Alii *illis populis* vel *illic populi.* Hs eoni, *vilis populi.* De ferrea aetate Virg. G. I, 139. *tum laqueis captare feras et fallere visco Inventum — Atque alius latum funda iam verberat amnem.* Contra Horat. Sat. II, 2, 49. olim *Tutus erat rhombus, tutoque viconia nido.* 174. Un. mel. *Ostra quoque.* 175. Un. opt. et sex al. *quod pr.* — Duo ex opt. *Aonia.* Martial. XIII, 61. *Inter sapores fertur alitum primus Ionicarum gustus attagenarum.* 176. Quat. opt. *avem*, quod tamquam venustum et verum Hs rec., cet. *avis.* De gruibus Homer. Il. III, 5. κλαγγῇ ταίγε πέτονται ἐπ' Ὠκεανοῖο ῥοάων, Ἀνδράσι Πυγμαίοισι φόνον καὶ Κῆρα φέρουσαι. 177. Horat. Sat. II, 2, 25. *venit auro Rara avis et picta pandit spectacula cauda.* 178. Un. ex opt. pro div. lect. *arte fer.* Hs mav. *Afra* vel *Inda*; Burm. *Nec Delus capos mis.*, *ante feros* aut *arte ferax.* 179. Un. mel. *earebant*; an *calebant?* addit Burm. 180. Un. ex opt. *fabas populo.* — Un. ex opt. *dabas.* 182. Fabas in lustrationibus adhibitas fuisse patet ex IV, 725 et V, 436.

Arce quoque in summa Iunoni templa Monetae
Ex voto memorant facta, Camille, tuo.
Ante domus Manli fuerant, qui Gallica quondam
A Capitolino reppulit arma Iove.
Quam bene — Di magni! — pugna cecidisset in illa
Defensor solii, Iuppiter alte, tui!
Vixit, ut occideret damnatus crimine regni.
Hunc illi titulum longa senecta dabat.
Lux eadem Marti festa est; quem prospicit extra
Appositum Tectae porta Capena viae.
Te quoque, Tempestas, meritam delubra fatemur;
Quum paene est Corsis obruta classis aquis.
Haec hominum monumenta patent. Si quaeritis astra,
Tunc oritur magni praepes adunca Iovis.

---

183. Edd. nonn. *ex summa*. Cf. I, 638. Livius VII, 28. *Dictator inter ipsam dimicationem aedem Iunoni Monetae vovit, cuius damnatus voti quum victor Romam revertisset, dictatura se abdicavit. Locus in arce destinatus, quae area aedium M. Manlii Capitolini fuerat. Anno post, quam vota erat, aedes Monetae dedicatur.* 185. Ex trib. opt. et al. trib. Hs rec. *fuerant*, cet. *fuerat*. — Multi *Malli*. Manlius Capitolium servavit a. U. 364. a. C. 390. Rem narrat Liv. V, 47. 187. Similiter Noster Trist. III, 3, 31. *Quantum erat, o magni, perituro parcere, divi! Ut saltem patria contumularer humo.* 188. Un. opt. *alme*, alius opt. *ante*. 189. Un. ex opt. *crimine turpi*; alius opt. *versatus crim. Maii*. Manlius capitis damnatus a. U. 371. a. C. 383. Rem v. ap. Liv. VI, 20. 191. Liv. VII, 23. *extra portam Capenam ad Martis aedem*. Ib. X, 23. *Eodem anno Cn. et Q. Ogulnii aediles curules — semitam saxo quadrato a Capena porta ad Martis straverunt.* 192. Un. opt. *Adiunctum*. — Nonn. *rectae*, un. *dextrae*, alterutrum praef. Burm.; vulgatam Hs c. aliis servat. 193. Un. ex opt. *Nos tibi, Tempestas* — Unus mel. *fatentur*. 194. Duo *eruta*; un. ex opt. *est illis obruta*. A. U. 495. a. C. 259. L. Cornelius Scipio Consul fugata Carthagin. classe Corsicam aggreditur. In veteri lapide ad portam Capenam effosso ap. Reines. Insor. VI, 34. p. 410. inter alia haec: *Lucium Scipionem. Filios Barbati hic fuit. Hic cepit Corsicam Aleriamque urbem. Dedit Tempestatibus aedem merito.* 195. Un. mel. *manent*; alii *patet* aut *probet* aut *probant*. — Un. omn. opt. et tres al. *quaeritis*, quod Hs rec., cet. *quaerimus*.

Postera lux Hyades, Taurinae cornua frontis,
Evocat: et multa terra madescit aqua.

Mane ubi bis fuerit, Phoebusque iteraverit ortus,
Factaque erit posito rore bis uda seges;
Hac sacrata die Tusco Bellona duello
Dicitur: et Latio prospera semper adest.
Appius est auctor: Pyrrho qui pace negata
Multum animo vidit; lumine captus erat.
Prospicit a templo summum brevis area Circum.
Est ibi non parvae parva columna notae.
Hinc solet hasta manu, belli praenuntia, mitti,
In regem et gentes quum placet arma capi.

---

197. De hoc astro IV, 679. V, 164 sq. 198. Un. opt. *madescet.* 199. In ed. Mitsch. *intraverit.* 200. Hs mav. *Tactaque.* Cf. I, 312. III, 880. IV, 166. 201. Appius vovit a. U. 458. a. C. 296. Liv. X, 19. *Dicitur Appius in medio pugnae discrimine ita precatus esse: Bellona si hodie nobis victoriam duis, ast ego templum tibi voveo.* Plin. H. N. XXXV, 2, 3. *App. Claudius posuit in Bellonae aede maiores suos placuitque in excelso spectari, et titulos honorum legi.* 203. Hoc factum a. U. 474. a. C. 280. Valer. Max. VIII, 12. *App. Claudius fessus iam vivendo lectica se in curiam deferri iussit, ut cum Pyrrho deformem pacem fieri prohiberet. Hunc caecum aliquis nominet, a quo patria, quod honestum erat, per se parum cernens coacta est pervidere?* Cic. Cato 6. *Ad App. Claudii senectutem accedebat etiam, ut caecus esset: tamen is, quum sententia senatus inclinaret ad pacem et foedus faciendum cum Pyrrho non dubitavit dicere illa, quae versibus persecutus est Ennius: Quo vobis mentes, rectae quae stare solebant Antehac, dementes sese flexere viai!* 204. Un. opt. et quinq. al. *Multa* — Ultra viginti *caecus;* duo ex opt. *cassus,* un. *quassus.* 205. Un. omn. opt. et alius ex opt. *templo,* quod Hs rec., cet. *tergo.* P. Victor de region. urb. L. I. Reg. IX. *Circus Flaminius — Aedes Bellonae versus portam Carmentalem. Ante hanc aedem columna index belli inferendi.* Festus: *Bellona dicebatur dea bellorum; ante cuius templum erat columella, quae bellica vocabatur, supra quam hastam iaciebant, quum bellum indicebatur.* 206. Neap. mav. *ubi.* 208. Quat. *sequi.* Morem Fetialium describit Liv. I, 32.

Altera pars Circi custode sub Hercule tuta est:
Quod deus Euboico carmine munus habet.
Muneris est tempus, qui Nonas Lucifer ante est.
Si titulos quaeris, Sulla probavit opus.

Quaerebam, Nonas Sanco Fidione referrem,
An tibi, Semo pater: quum mihi Sancus ait:
Cuicumque ex illis dederis, ego munus habebo.
Nomina trina fero: sic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt aede Sabini:
Inque Quirinali constituere iugo.

Est mihi, sitque, precor, nostris diuturnior annis,
Filia, qua felix sospite semper ero.

---

209. P. Victor loc. cit. *Aedes Herculi Magno Custodi circi Flaminii.* Idem Sextus Rufus. Diversa videtur ab ea, quam 802 Noster memorat. 210. Multi *Qui*, un. ex opt. *Quam*. De Euboico carm. cf. IV, 257. 211. Un. omn. opt. *quo*. — Hs mav. *anteit*. 212. Ian. Ulitius mav. *rogavit*. Huc respiciunt certe, quae narrat Plut. Sull. 35. Ἀποθνῶν δὲ τῆς οὐσίας ἁπάσης ὁ Σύλλας τῷ Ἡρακλεῖ δεκάτην. 213. Codd. opt. *Sco*, al. *Sanco* aut *Sancto*. 214. Pleriq. *Semipater*, nonn. *Semicaper*. — Sabinorum deus *Semo Sancus Deus* (*Dius*) *Fidius*, ut aliquoties in Inscriptt. Liv. VIII, 20. *Bona Vitruvii Semoni Sanco censuerunt consecranda*. Varro L. L. IV. p. 20. *Aelius Gallus Dius Fidius dicebat Diovis filius, ut Graeci* Διόσκουρον *Castorem, et putabant hunc esse Sanctum ab Sabina lingua, et Herculem ab Graeca*. 216. Quinq. *trina*, quod Hs rec., cet. *terna*. Cf. V, 146. 217. Duo *Hae;* duo al. ex opt. *Hanc*, un. mel. *Hinc*. Varro L. L. IV. p. 22. *Tatii regis voto sunt Romae aedes dedicatae — Opi Floraeque, Diovi* (cf. 214) *Saturnoque* etc. Aliter Dion. Hal. Antiq. IX, 60. Ἐν τῇ πόλει τὸν νεὼν τοῦ Πιστίου Διὸς Σπόριος Ποστούμιος μηνὸς Ἰουνίου ταῖς καλουμέναις Νόναις ἐπὶ τοῦ Ἐνναλίου λόφου, κατασκευασθέντα μὲν ὑπὸ τοῦ τελευταίου βασιλέως Ταρκυνίου, τῆς δὲ νομιζομένης παρὰ Ῥωμαίοις ἀνιερώσεως οὐ τυχόντα ὑπ' ἐκείνου. Hoc factum a. U. 288. a. C. 466. 219. De filia Noster Trist. IV, 10, 75. *Filia me mea bis prima fecunda iuventa, Sed non ex uno coniuge fecit avum.* Senec. de const. sap. 17. *In senatu flentem vidimus Fidum Cornelium, Nasonis generum.*

Hanc ego quum vellem genero dare, tempora taedis
Apta requirebam, quaeque cavenda forent.
Tum mihi post sacras monstratur Iunius Idus
Utilis et nuptis, utilis esse viris;
Primaque pars huius thalamis aliena reperta est,
Nam mihi sic coniux sancta Dialis ait:
Donec ab Iliaca placidus purgamina Vesta
Detulerit flavis in mare Tibris aquis,
Non mihi detonsos crines depectere buxo,
Non ungues ferro subsecuisse licet:
Non tetigisse virum; quamvis Iovis ille sacerdos,
Quamvis perpetua sit mihi lege datus.
Tu quoque ne propera: melius tua filia nubet,
Ignea quum pura Vesta nitebit humo.

Tertia post Nonas removere Lycaona Phoebe
Fertur: et a tergo non habet Ursa metum.

---

221. De tempore rite nubendi cf. II, 557. III, 393. 222. Un. ex opt. *timenda*. 223. Hs coni. *actas monstr.* Cf. II, 121. 226. Hs mav. *cincta D.* Cf. III, 397. 227. De hoc ritu Festus: *Stercus ex aede Vestae XVII Kal. Iul. defertur in angiportum medium fere clivi Capitolini, qui locus clauditur porta stercoraria. Tantae sanctitatis maiores nostri esse iudicaverunt.* Varro L. L. V. p. 60. *Dies qui vocatur, Quando stercus delatum, fas: ab eo appellatus, quod eo die ex aede Vestae stercus everritur, et per Capitolinum clivum in locum defertur certum.* 228. *Flavus.* Cf. I, 242. Horat. Od. I, 2, 13. *Vidimus flavum Tiberim.* Virg. A. VII, 30. *Hunc inter* (lucum) *fluvio Tiberinus amoeno Vorticibus rapidis et multa flavus arena In mare prorumpit.* 229. Quid. *detonso,* duo *detenso,* tres *detonsum,* duo *detonsos crines,* quod Burm. rec. etsi idem etiam *detonsum crinem* probat; ed. pr. *detonsae,* un. ex opt. *detonsa;* alius ex opt. *dentoso;* hinc Hs scr. et rec. *dentosa crinem.* Idem coni. *dentata.* — Plurimi *crinem.* Cf. III, 398. — 232. Gell. N. A. X, 15. *Matrimonium Flaminis nisi morte dirimi non est ius.* Tertull. Exhort. ad cast. 13. p. 568. *Certe Flaminica non nisi univira est, quae et Flaminis lex est.* 234. Omnes fere *veste nitebit humus;* duo tant. *humo.* Ios. Scaligeri nostra est lectio, quam rec. Hs. — Un. *virebit.* 235. Un. mel. *Lycaoni.* Hs varie tentavit, vel

Tunc ego me memini Ludos in gramine Campi
  Adspicere, et didici, lubrice Tibri, tuos.
Festa dies illis, qui lina madentia ducunt,
  Quique tegunt parvis aera recurva cibis.

Mens quoque numen habet. Menti delubra videmus
  Vota metu belli, perfide Poene, tui.
Poene, rebellaras: et leto Consulis omnes
  Attoniti Mauras pertimuere manus.
Spem metus expulerat, quum Menti vota Senatus
  Suscipit; et melior protinus illa venit.
Adspicit instantes mediis sex lucibus Idus
  Illa dies, qua sunt vota soluta deae.

Vesta, fave! tibi nunc operata resolvimus ora,
  Ad tua si nobis sacra venire licet.

---

removente Lycaoni Ph. Ferris — vel *removere Lycaonis orbem fertur;* deinde nihil mutandum censebat et de Arctophylace capiebat. Colum. R. R. XI, 2, 45. VII *Idus Iun. Arcturus occidit.* De Arcturo sive Arctophylace sive Boote cf. II, 153. 190. III, 405. V, 733. Est Lycaonis nepos, Lycaonides, cuius loco hic dicitur *Lycaon*, ut Hyperion (I, 385) pro Hyperionide iam ap. Homerum.

237. Un. *ego commemini.* Festus: *Piscatorii ludi vocantur, qui quotannis mense Iunio trans Tiberim fieri solent a Praetore urbano pro piscatoribus Tiberinis.* 238. E melior. Hs rec. *didici*, cet. *dici. Lubricus* ut IV, 337. 240. Un. *pravis.* Hs mav. *parcis.* Nost. M. VIII, 857. *O qui pendentia parvo Aera cibo celas, moderator arundinis.* 241. Livius XXII, 9. (A. U. 537. a. C. 217. post pugnam Trasimenam) *Decemviri libros Sibyllinos adeunt et referunt Patribus — et Iovi ludos magnos et aedes Veneri Erycinae et Menti vovendas esse.* Ib. 10. *Menti aedem T. Otacilius Praetor vovit.* Ib. XXIII, 31. idem eandem dedicat. Aliter Cicer. N. D. II, 23. *ut Mens, quam in Capitolio dedicatam videmus proxime a M. Aemilio Scauro.* Is Consul fuit centum annis post; 243. Melior. *rebellaras*, quod Hs rec., cet. *rebellabas.* — Un. ex opt. *principis.* Liv. XXII, 6. *Circa consulem* (C. Flaminium) *acrior infestiorque pugna est — donec Insuber eques — consulem lancea transfixit.* 244. Un. ex opt. *extimuere.* 245. Ultra viginti *extulerat*, edd. quaed. *abstulerat.* 246. Un. ex opt. *Excipit.* 247. Tres *ex lucibus*, un. *post lucibus.* 249. Duo opt. et quat. al.

In prece totus eram; coelestia numina sensi,
Laetaque purpurea luce refulsit humus.
Non equidem vidi — valeant mendacia vatum —
Te, dea; nec fueras adspicienda viro.
Sed quae nescieram, quorumque errore tenebar,
Cognita sunt nullo praecipiente mihi.
Dena quater memorant habuisse Palilia Romam,
Quum flammae custos aede recepta sua est.
Regis opus placidi, quo non metuentius ullum
Numinis ingenium terra Sabina tulit.

---

operosa. — Cf. IV, 723. *Operari, facere,* ῥέζειν, ἔρδειν, δρᾶν, ποιεῖν sacra vocabula. Cf. III, 261. Virg. G. I, 341. *atque annua magnae Sacra refer Cereri laetis operatus in herbis.*

251. Horat. Sat. I, 9, 2. *Ibam forte via sacra — Nescio quid meditans nugarum, totus in illis.* — Divinum spiritum in se sentit, ut vs. 3 supra. 252. Un. *resolvit hum.* Cf. 291. — 253. Tres *pereant m.* — *Valere* et Graec. χαίρειν voces contemnentis. Horat. Epist. II, 1, 80. *Valeat res ludicra!* Terent. Andr. IV, 2, 13. *Valeant qui inter nos discidium volunt!* Theocr. XVI, 64. Χαιρέτω ὅσσις τοῖος. Xen. Cyrop. VII, 5, 42. ἐγὼ μὲν χαίρειν ταύτην τὴν εὐδαιμονίαν κελεύω. Cf. VI, 701. — *Mendacia,* ut fabulas de inferis Pythagoras ap. Ovid. M. XV, 155. appellat *Materiem vatum,* et Socrates ap. Plat. Rep. X, p. 473. de poetis, φαντάσματα ἀλλ' οὐκ ὄντα ποιοῦσιν. 254. Multi *Tu, dea, non f.* — Duo ex opt. *conspic.* 255. Tres mcl. et quat. al. *trahebar,* ut supra 25. *Error* cf. V, 362. 256. Un. *Agnita* — Duo opt. et sex al. *nulla,* un. *illa,* quod Hs plac., et Heinzius Opusc. p. 235. unice verum esse censet. 257. Un. ex opt. *Denaque ter* — Un. omn. opt. *Parilia.* — Duo opt. et al. plur. *nomen,* tres opt. et duo al. *numen,* unde Hs mav. *abiisse Palilia, numen Quum fl.* De Palilibus IV, 721. — 258. Alii *Dum* — Un. *urbe rec.* Burm. mav. *sede.* — Duo ex opt. *sua est,* quod Hs rec., cet. *dea est.* Dion. Hal. Ant. II, 65. Αὐτὸς (Νομᾶς) πρῶτος ἱερὸν ἱδρυσάμενος Ῥωμαίοις Ἑστίας καὶ παρθένους ἀποδείξας αὐτῇ θυηπόλους. Liv. I, 20. *Numa Virgines Vestae legit, Alba oriundum sacerdotium.* Vellei. II, 131. *perpetuorum custos Vesta ignium.* 259. Un. opt. *opus quo non placidi.* Noster M. I, 322. de Deucalione et Pyrrha, *Non illo melior quisquam — Vir fuit, aut illa metuentior ulla deorum.* 260. Horat. Sat. I, 5, 41. *animae, quales neque candidiores Terra tulit.*

Quae nunc aere vides, stipula tunc tecta videres,
Et paries lento vimine textus erat.
Hic locus exiguus, qui sustinet atria Vestae,
Tunc erat intonsi regia magna Numae.
Forma tamen templi, quae nunc manet, ante fuisse
Dicitur: et formae causa probanda subest.
Vesta eadem est, et Terra: subest vigil ignis utrique,
Significant sedem terra focusque suam.
Terra pilae similis, nullo fulcimine nixa,
Aëre subiecto tam grave pendet onus.
Ipsa volubilitas libratum sustinet orbem:
Quique premat partes, angulus omnis abest.
Quumque sit in media rerum regione locata,
Et tangat nullum plusve minusve latus;

---

261. Pleriq. *nitent, stip. t. t. virebant,* plurimi *virent — — virebant,* quod Heinz. l. c. unice placet, duo opt. et al. plur. *vides — virebant,* duo omn. opt. et tres al. *vides — videres,* quod Hs rec. — Cf. I, 199. III, 183. — 262. Nonn. *tectus.* Intus in hac aede erat penus Vestae, de quo Festus: *Penus vocatur locus in aede Vestae intimus tegetibus septus, qui certis diebus circa Vestalia aperitur.* 263. Duo ex opt. *qui nunc tenet.* Cf. II, 69. Plut. Num. 14. Ἐδείματο πλησίον τοῦ τῆς Ἑστίας ἱεροῦ τὴν καλουμένην Ῥηγίαν. Ovid. Trist. III, 1, 30. *Haec fuit antiqui regia parva Numae.* 265. Duo ex opt. *tenet, ante.* Plut. Num. 11. τὸ τῆς Ἑστίας ἱερὸν ἐγκύκλιον — ἀπομιμούμενος τὸ σχῆμα τοῦ σύμπαντος κόσμου. Festus: *Rotundam aedem Vestae Numa consecravit, quod eandem esse terram credebat, eamque pilae forma esse, ut sui simili templo dea coleretur.* 266. Un. *Creditur* — Hs mav. *sua est.* 267. Plurimi *et Terra,* quod servavi; un. omn. opt. et duo al. *quae T.,* quod Hs rec. Cf. 460. Eurip. Fragm. 178. Καὶ Γαῖα μήτερ, Ἑστίαν δὲ σ' οἱ σοφοὶ Βροτῶν καλοῦσιν, ἡμένην ἐν αἰθέρι. 270. Hs mav. *quam grave.* 271. Edd. quaed. *subiectum sust.* Hi sex versus (271 — 276) absunt a plerisq. codd. Optimus tamen et sex al. eos habent; in uno ex opt. post 280 leguntur. Eos spurios esse iudicat Gierig. — Cic. N. D. II, 19. *Mundi volubilitas nisi in globosa forma esse non potest.* 273. Un. ex opt. *locatum.*

Ni convexa foret, parti vicinior esset,
Nec medium terram mundus haberet onus.
Arce Syracosia suspensus in aëre clauso
Stat globus, immensi parva figura poli;
Et quantum a summis, tantum secessit ab imis
Terra. Quod ut fiat, forma rotunda facit.
Par facies templi: nullus procurrit in illo
Angulus. A pluvio vindicat imbre tholus.
Cur sit virgineis, quaeris, dea culta ministris,
Inveniam causas hac quoque parte suas.
Ex Ope Iunonem memorant Cereremque creatas
Semine Saturni: tertia Vesta fuit.
Utraque nupserunt: ambae peperisse feruntur.
De tribus impatiens restitit una viri.

---

275. Tres mel. *connexa*. 276. Quat. *terram*, quod Hs rec., un. *terras*, cet. *terrae*. Cic. Somn. Sc. 3. *illum globum, quem in hoc templo medium vides, quae terra dicitur*. 277. Un. opt. et duo al. *Arce*, quod Hs rec., cet. *Arte*. — Omnes *Syracusia*. Hs rec. *Syracosia*. Graece vel Συρακούσιος, tertia vocali longa, vel Συρακόσιος, vocali brevi. Virg. E. VI, 1. *Prima Syracosio — lusit versu nostra Thalia*. — Automaton pneumaticum in sphaera vitrea Archimedis Siculi opus, de quo Cic. Rep. I, 14. inter alia: *Admirandum esse inventum Archimedi, quod excogitasset, quemadmodum in dissimillimis motibus inaequabiles et varios cursus servaret una conversio. Hanc sphaeram Gallus quum moveret, fiebat, ut soli luna totidem conversionibus in aëre illo, quot diebus in ipso coelo succederet*. Idem Tusc. I, 25. *Archim. Lunae, Solis, quinque errantium motus in sphaeram illigavit*. De hac sphaera Claudian. LXVIII, 7. *Inclusus variis famulatur spiritus astris, Et vivum certis motibus urget opus*. Idem 1. *Iuppiter, in parvo quum cerneret aethera vitro, Risit*. 283. E melior. Hs rec. *virgineis*, cet. *virginibus*. — Un. ex opt. *dea laeta*. 284. Un. opt. *Invenies*. — De hac re Cic. Leg. II, 12. *Quum Vesta quasi focum urbis — complexa sit, ei colendae virgines praesint, ut advigiletur facilius ad custodiam ignis, et sentiant mulieres naturam feminarum omnem castitatem pati*. 285. Un. ex mel. *creatam*. Hesiod. Th. 453. Ῥείᾳ — Κρόνῳ τέκε φαίδιμα τέκνα, Ἱστίην, Δήμητρα καὶ Ἥρην χρυσοπέδιλον etc. Cf. VI, 30. De Ope cf. IV, 201. 288. De Daphne Nost. M. I, 478. *illa aversata petentes Impatiens expersque viri nemorum avia lustrat*.

Quid mirum, virgo si virgine lacta ministra
Admittet castas in sua sacra manus?
Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam;
Nataque de flamma corpora nulla vides.
Iure igitur virgo est, quae semina nulla remittit,
Nec capit: et comites virginitatis habet.
Esse diu stultus Vestae simulacra putavi:
Mox didici curvo nulla subesse tholo
Ignis inextinctus templo celatur in illo;
Effigiem nullam Vesta, nec ignis, habent.
Stat vi terra sua: vi stando Vesta vocatur;
Causaque par Graji nominis esse potest.
At focus a flammis, et quod fovet omnia, dictus:
Qui tamen in primis aedibus ante fuit.
Hinc quoque vestibulum dici reor: inde precando
Affamur Vestam, Quae loca prima tenes.

---

290. Duo ex opt. et duo al. *sua castra*, un. *sua iura*, alius *ad sua s.* 291. Un. *castam int.*, alius *puram*, alius *meram*. Lactant. Inst. I, 12. *Idcirco virginem putant Vestam, quia ignis inviolabile sit elementum nihilque nasci possit ex eo; quippe qui omnia, quae arripuerit, absumat.* 294. Tres opt. et novem al. *habet*, quod Hs rec., cet. *amat*. 295. Ut supra III, 45. 297. Quinq. *celebratur*, quod Burm. plac., quia perpetuus sit. 298. Duo ex opt. et multi al. *habet*. 299. Plat. Phaedr. p. 41. ed. Beck. Μένει Ἑστία ἐν θεῶν οἴκῳ μόνη. Hinc Arnob. III. p. 137: *Terram quidam — dixerunt esse Vestam, quod in mundo stet sola, ceteris eius partibus mobilitate in perpetua constitutis.* Aliter Cicer. N. D. II, 27. *Vestae nomen a Graecis est; ea est enim, quae ab illis Ἑστία dicitur. Vis autem eius ad aras et focos pertinet. Itaque in ea dea, quae est rerum custos intimarum, omnis et precatio et sacrificatio extrema est.* 301. Festus: *Focus a fovendo id est calefaciendo.* 303. Nonn. *unde.* — Plurimi *precamur*. 304. Quat. opt. et al. nonn. *Quae famur, Vesta*, plur. al. *Quae famur vestra est* aut *Quae f. Vestam*, un. *Quaeramus Vesta*, alius *Quaeramur*, unus *Dicimus, o Vesta*, quod Ciof. et Neap. praeferunt; tres *Affamur Vestam*, quod Hs rec.; idem tamen coni. *Praefamur Vestam*, vel; *inde precamur Praefati Vestam;* Burm. nav. *inque precando Aff. V.* — Nonn. *tenet.* — De precatione cf. Cicer. l. c. Nec minus ap. Graecos. Cornut. N. D. 28. Ταῖς θυσίαις οἱ Ἕλληνες ἀπὸ τῆς πρώτης τε αὐτῆς (Ἑστίας) ἤρχοντο καὶ ἐς ἐσχάτην αὐτὴν κατέπαυον.

Ante focos olim longis considere scamnis
Mos erat, et mensae credere adesse deos.
Nunc quoque, quum fiunt antiquae sacra Vacunae,
Ante Vacunales stantque sedentque focos.
Venit in hos annos aliquid de more vetusto:
Fert missos Vestae pura patella cibos.
Ecce, coronatis panis dependet asellis,
Et velant scabras florea serta molas.
Sola prius furnis torrebant farra coloni;
Et Fornacali sunt sua sacra deae.
Supposítum cineri panem focus ipse parabat,
Strataque erat tepido tegula quassa solo.

---

305. Virg. A. VII, 175. *Hae sacris sedes epulis; hic ariete caeso Perpetuis soliti patres considere mensis.* 307. Duo *Lacunae*, Horat. Epist. I, 10, 49. *Haec tibi dictabam post fanum putre Vacunae* — ad quem loc. Schol. Cruq. *Vacuna ap. Sabinos plurimum colitur. Quidam Dianam, nonnulli Cererem esse dixerunt; alii Venerem, alii Victoriam, deam vacationis, quod faciat vacare a curis. Sed Varro primo rer. divin. Minervam dicit, quod ea maxime hi gaudent, qui sapientiae vacant.* 308. Iidem duo *Lacunales*, un. ex opt. *Vacanales.* 309. Alii *aliquo.* 310. Duo *Fert iussos.* — Tres ex opt. *curva p.*, un. *parva.* 311. Lactant. Inst. I, 21. *Apud Romanos asellus Vestalibus sacris in honorem pudicitiae conservatae panibus coronatur.* Propert IV, 1, 21. *Vesta coronatis pauper gaudebat asellis.* Panes illi qualem formam habuerint vs 347 docet. 312. Tres *florea*, quod recepi, cet. *florida*, un. *mollia. Floreum*, id in quo flores sunt aut quod ex floribus nexum est: *floridum*, quod floret, tamquam flosculi. Hinc *florea* rura, Hybla, corona; *florida* aetas, puella, oratio. — Tres *farra m.* — Quat. *comas.* Ovid. A. A. III, 290. *Ut rudit ad scabram turpis asella molam.* 313. Cf. II, 525. 314. Quat. et edd. prim. *stata sacra.* — Un. mel. *templa d.* Hs mav. *Hinc Vorn. sunt data sacra d.* 315. Senec. Ep. 90. *Panem primo cinis calidus et fervens testa percoxit; deinde furni paullatim reperti sunt et alia genera.* 316. Un. *erant.* — Multi *foco*, cet. *solo.* Pro *quassa* I. H. Voss alicubi leg. *cassa*, cui vim *cavae testae* attribuit. Cf. II, 645. Tales panes *testitii* vel *testuatii* nominantur. Cato R. R. 74. *Panem testitium sic facito* — *Ubi bene subegeris, defingito coquitoque sub testu.* Similiter 75. *Libum hoc modo facito* — *In foco calda sub testu coquito leniter.* Varro l. L. IV, p. 27. *Testuatium, quod in testu caldo coquebatur.*

Inde focum servat pistor, dominamque focorum,
Et quae pumiceas versat asella molas.
Praeteream, referamne tuum, rubicunde Priape,
Dedecus? est multi fabula parva ioci.
Turrigera frontem Cybele redimita corona
Convocat aeternos ad sua festa deos.
Convocat et Satyros, et, rustica numina, Nymphas.
Silenus, quamvis nemo vocarat, adest.
Nec licet, et longum est epulas narrare deorum:
In multo nox est pervigilata mero.
Hi temere errabant in opacae vallibus Idae:
Pars iacet, et molli gramine membra levat.
Hi ludunt, hos somnus habet; pars brachia nectit,
Et viridem celeri ter pede pulsat humum.
Vesta iacet, placidamque capit secura quietem,
Sicut erat positum cespite fulta caput.
At ruber hortorum custos Nymphasque deasque
Captat, et errantes fertque refertque pedes.
Adspicit et Vestam; dubium, Nymphamne putarit,
An scierit Vestam: scisse sed ipse negat.

---

318. Plurimi *puniceas*, quod c. Taubnero et Heinzio Opuse. p. 236, paene praetuli. 319. Alii *Praeterea*. — Similis fabula I, 391, ubi 415 de Priapo. 320. Meliores magno numero *parva*, quod reduxi, cet. *plena*. Cf. II, 304. — Un. ex mel. *multo* — *ioco*. 321. Omnes fere *Turrigeram*, un. ex opt. *thuriferam*. Cf. IV, 219. 322. Duo *Evocat*. 324. Un. ex opt. et octo al. *vocaret*. 325. Hs mav. *libet*. 326. Duo *pervigil acta*, un. ex opt. *evigilata*. 327. E melior. Hs rec. *Hi*, cet. *Di* — Plurimi *collibus*. Cf. supra 15. Locus Cybelae iucundissimus, cf. IV, 249. 328. Un. ex opt. et quinq. al. *levant*. 329. Sex *nectunt*, un. *iactat*, quod Taubn. placet, alius *vertit*. Horat. Od. I, 4, 6. *Iunctaeque Nymphis Gratiae decentes Alterno terram quatiunt pede*. Ib. IV, 1, 27. *pede candido In morem Salium ter quatiunt humum*. Ib. II, 12, 17. *Quam* (Licymniam) *nec ferre pedem dedecuit choris, Nec certare ioco, nec dare brachia Ludentem nitidis virginibus sacro Dianae celebris die*. 330. Quinq. *Pars vir*. 332. Duo ex opt. *posito*. 335. E praestantior. Hs rec. *dubium*, cet. *dubium est*. 336. Un. ex opt. *quod ipse negat*. — Un. *neget*.

Spem capit obscenam, furtimque accedere tentat,
Et fert suspensos, corde micante, gradus.
Forte senex, quo vectus erat, Silenus asellum
Liquerat ad ripas lene sonantis aquae.
Ibat, ut inciperet, longi deus Hellespontí,
Intempestivo quum rudit ille sono.
Territa voce gravi surgit dea. Convolat omnis
Turba; per infestas effugit ille manus.
[Lampsacos hoc animal solita est mactare Priapo:
Apta asini flammis indiciis exta damus.]
Quem tu, diva memor, de pane monilibus ornas.
Cessat opus: vacuae conticuere molae.
Nomine, quam pretio celebratior, arce Tonantis,
Dicam, Pistoris quid velit ara Iovis.
Cincta premebantur trucibus Capitolia Gallis.
Fecerat obsidio iam diuturna famem.

---

338. Un. *ore*. — Un. mel. *trèmente*. Cf. I, 425. 340. Tres ex opt. et al. quid. *ripam*. 341. *Ibat, ut inc.* Rarissima loquendi ratio pro *Incepturus erat*; alias *Ire* c. Infin. aut Supino alius verbi. — *Longus H.* ut IV, 567. et III, 868. 342. Cf. I, 433. 343. Duo *fugit d.* 344. Un. ex opt. *confugit*. Ed. Neap. *ille*, quod Taubnero plac. — *Ille* quis? Asinus an Priapus? 345. Ex nonn. Hs rec. *Lampsacos*, cet. *Lampsacus*. 346. Meliores omnes *Apta*, quod Hs rec., cet. *Hinc*, quod Neap. et Burm. praeferunt. Hs tamen totum distichon ab aliquo homine male feriato praeter rem inculcatum esse censent; hinc uncis inclusit, quos ego servavi. Gierig. c. Heinzio Opusc. p. 236. uncos delevit. Burm. refingit: *Lamps. hinc anim. solita hac m. Pr., Hinc asini*. Cf. I, 391. Lactant. Inst. I, 21. *Hac de causa Lampsacenos asellum Priapo quasi in ultionem mactare consuevisse; apud Romanos vero eundem Vestalibus sacris in honorem pudicitiae conservatae panibus coronari.* An umquam a Romanis asinus Priapo mactatus sit, dubito; nec umquam Vestae asini exta oblata sunt. 350. Alii *Discant* vel *Dicant pistores*, alii *Dissant Pistoris*. Hs mav. *Die iam* vel *Dicite*. Iovem Pistorem nemo novit praeter Nostrum et Lactantium Inst. I, 20, qui sua ex Ovidio omnia deprompsit. 351. Duo mel. *Cuncta*. Roma a Gallis capta a. U. 364. a. C. 390. Cf. Liv. V, 35 sqq. 352. Liv. V, 48. *Sed*

Iuppiter ad solium Superis regale vocatis,
  Incipe, ait Marti. Protinus ille refert:
Scilicet, ignotum est, quae sit fortuna meorum;
  Et dolor hic animi voce querentis eget?
Si tamen, ut referam breviter mala iuncta pudori,
  Exigis: Alpino Roma sub hoste iacet.
Haec est, cui fuerat promissa potentia rerum,
  Iuppiter, hanc terris impositurus eras?
Iamque suburbanos Etruscaque contudit arma,
  Spes erat in cursu; nunc Lare pulsa suo est.
Vidimus ornatos aerata per atria picta
  Veste triumphales occubuisse senes,

ante omnia obsidionis belliquae mala fames utrinque exercitum urgebat. — Superatis humanis omnibus malis famem unam cibo deficiente natura vinci non sinebat.

354. Ita *incipe* elliptice Virg. E. III, 58. *Incipe, Damoeta; tu deinde sequere, Menalca.* Similiter *desine* Ib. E. V, 19. *Sed tu desine plura, puer; successimus antro.* 355. Meliores magno numero *fort. malorum*, un. *f. locorum*, alius *f. deorum*, tertius *f. viarum*, un. ex opt. *quo sit Romana loco res.* 357. Un. *parker.* 358. Un. ex opt. *fuit*, forte *ruit* addit Hs. 359. Un. mel. *permissa.* — Cf. I, 517. M. II, 259. *Cuique fuit rerum promissa potentia, Tibrin.* 360. Cf. IV, 858. Liv. XLV, 36. *Si domini militem imperatoribus imponantur.* 361. Un. ex opt. *percutit*, alius mel. *percutit.* Perpetua diversitas, ut IV, 628. *Suburbani* cf. VI, 58. 362. Un. ex opt. *Spesque*, alius *Spes erat in Crasso victa repulsa suo.* In cursu esse, ut V, 245. M. XIII, 508. *In cursuque meus dolor est.* 363. Duo mel. *aurata*, quod Federo Obss. crit. p. 91. unice placet; un. ex opt. *erriata.* Lipsius in Epist. quaest. IV, 5. leg. *cerata.* Hs mav. *rasserata*, quod Gierig. placet. De re ipsa Liv. V, 41. *Turba senionum domos regressa adventum hostium expectabat. Qui eorum curules gesserant magistratus, ut in fortunae pristinae honorumque aut virtutis insignibus morerentur, quae angustissima vestis est tensas ducentibus triumphantibusve, ea vestiti medio aedium eburneis sellis sedere. Galli patentibus atriis principum intuebantur in aedium vestibulis sedentes vivos simillimos diis. A Papirio initium caedis ortum, ceteri in sedibus suis trucidati.* 364. Quat. *succub.*, alii *accub.* vel *procub.* vel *concub.*

Vidimus Iliacae transferri pignora Vestae
Sede. Putant aliquos scilicet esse deos.
At si respicerent, qua vos habitatis in arce,
Totque domos vestras obsidione premi;
Nil opis in cura scirent superesse deorum,
Et data sollicita tura perire manu.
Atque utinam pugnae pateat locus! arma capessant;
Et, si non poterunt exsuperare, cadant.
Nunc inopes victus, ignavaque fata timentes,
Monte suo clausos barbara turba premit.
Tum Venus, et lituo pulcher trabeaque Quirinus,
Vestaque pro Latio multa locuta suo.
Publica, respondit, cura est pro moenibus istis,
Iuppiter, et poenas Gallia victa dabit.

---

365. Tres *pectora* vel *praemia*. — Un. ex opt. *gentis*. De re v. Liv. V, 40. *Flamen Quirinalis virginesque Vestales alia sacra condita in doliolis sacello proximo aedibus Flaminis defodere; cetera inter se onere partita ferunt via, quae sublicio ponte ducit ad Ianiculum.* 366. Quid. *Aede*, alii *Code*. — Un. *Putent*, quod sine interrogatione verum esse censet Heinz. Opusc. p. 237. Ego quoque signum interrogationis sustuli utique retineus Indic. *Putant*. — Noster M. VI, 542. *Si numina divum sunt aliquid.* 367. Annon scribendum *habitetis?* 369. Tres opt. et al. mult. *curas*. Virg. E. VIII, 35. *Nec curare deum credis mortalia quemquam.* 371. Melior. *capessant*, quod Hs rec., cet. *capessent*. 372. Sex *poterint*. — Illi iidem *cadant*, quod Hs rec., cet. *cadent*. 373. Hs coni. *victosque*. Ambigue enim dictum, quum et *victus* dicatur *inops*, et homo *inops victus*. — Quinq. *facta*, unde Hs coni. *pacta*. 374. Burm. mav. *tuo*. — Duo ex opt. *impia t.* — Un. ex opt. *premunt*. 375. Liv. I, 18. *Augur ad laevam eius sedem cepit dextra manu baculum sine nodo adluncum tenens, quem lituum appellaverunt.* Cic. Divin. I, 17. *Litius ille, quod clarissimum est insigne auguratus, unde vobis est traditus? Nempe eo Romulus regiones direxit tum, quum urbem condidit.* Iam de Pico veteri Latii rege Virg. A. VII, 187. *Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat Succinctus trabea.* De trabea cf. I, 37. II, 504. 377. Un. mel. *causa*. — Un. mel. *moen. urbis*. Noster M. II, 35. de sole: *O lux immensi publica mundi.* Ib. XIII, 506. *finita est publica clades.* 378. Un. opt. *poenam*. — Duo *Gallica turba*.

Tu modo, quae desunt fruges, superesse putentur,
Effice, nec sedes desere, Vesta, tuas.
Quodcumque est Cereris solidae, cava machina frangat,
Mollitamque manu duret in igne focus.
Iusserat: et fratris virgo Saturnia iussis
Annuit; et mediae tempora noctis erant.
Iam ducibus somnum dederat labor. Increpat illos
Iuppiter, et sacro, quid velit, ore docet:
Surgite, et in medios de summis arcibus hostes
Mittite, quam minime tradere vultis, opem.
Somnus abit, quaeruntque novis ambagibus acti,
Tradere quam nolint et iubeantur, opem.
Ecce, Ceres visa est. Iaciunt Cerealia dona.
Iacta super galeas scutaque longa sonant.
Posse fame vinci spes excidit. Hoste repulso
Candida Pistori ponitur ara Iovi. —

---

380. Duo ex opt. *Latium des., Vesta, tuum.* 381. Multi *Quodcumque est solidae Cer.*; un. ex opt. *Quod superest solidae C.* — Virg. A. I, 177. *Tum Cererem corruptam undis Cerealiaque arma Expediunt — frugesque receptas Et torrere parant flammis et frangere saxo.* 382. Hs mav. *Mollitumque.* 383. Hs mav. *at fr. Virgo Sat.* cf. 285. 384. Hs mav. *eunt.* 385. Un. ex opt. *Excitat illos,* duo opt. *Incr. omnes,* 388. Quinq. opt. *minime mittere,* quod Hs plac., plurimi *tradere,* quod c. Hs hic et postea servavi; quat. et ed. pr. *perdere,* quod Burm. rec., un. *credere.* 389. *S. abit* ut III, 23. — Al. *Iovis. Ambages* ut IV, 61. 377. M. XIV, 57. *obscurum verborum ambage novorum.* 390. Omnes *Tradere,* Hs mav. *Prodere,* Burm. rec. *Perdere* sine ulla cod. auctoritate. 391. Duo opt. et octo al. *Ecce C.,* quod Hs rec., cet. *Esse C.* Liv. V, 48. *In colloquiis* (Gallorum c. Romanis) *quum identidem Galli famem obiicerent, eaque necessitate ad deditionem vocarent, dicitur avertendae eius opinionis causa multis locis panis de Capitolio iactatus esse in hostium stationes.* De inopiae magnitudine haec narrat Serv. ad Virg. A. VIII, 652. *In tantam autem cibi penuriam redacti erant in obsidione, ut coriis madefactis et postea frictis vescerentur: cuius rei argumentum est, quod hodieque ara in Capitolio est Iovis Soteris, in qua liberati obsidione coria et sola vetera concremaverunt.* 393. Un. mel. *Vincere posse fame.*

Forte revertebar festis Vestalibus illac,
Qua Nova Romano nunc via iuncta Foro est.
Huc pede matronam vidi descendere nudo:
Obstupui, tacitus sustinuique gradum.
Sensit anus vicina loci, iussumque sedere
Alloquitur, quatiens voce tremente caput.
Hoc, ubi nunc fora sunt, udae tenuere paludes:
Amne redundatis fossa madebat aquis.
Curtius ille lacus, siccas qui sustinet aras,
Nunc solida est tellus, sed lacus ante fuit.
Qua Velabra solent in Circum ducere pompas,
Nil praeter salices crassaque canna fuit.

---

395. Un. *revectabar*, quod Burm. plac. — Tres *sacris Vest.*, quod Burm. rec., tres al. *festis Cerealibus*, duo *f. natalibus*, cet. omnes *festis Vest*, quod servavi, etsi Burm. ait esse *κακέμφατον*. — Ex plerisq. Hs rec. *illac* pro *illa*. 396. Liv. V, 32. *Caedicius in Nova via, ubi nunc sacellum est, supra aedem Vestae vocem noctis silentio audivit clariorem humana, quae Magistratibus dici iuberet Gallos adventare.* 397. Tres *Hoc*, un. ex opt. *Hic*. 398. Decem *gradus*; hinc Hs mav. *tacitos — gradus*. 401. Tres opt. et quat. al. *Hoc*, novem *Haec*, tres *Hac*, cet. *Hic*. — Nonn. *tremuere* vel *tumuere*. 402. Ita ex melior. rec. Hs, alii *Mane redundanti f. m. aqua*. 403. Varro L. L. IV. p. 41. *In foro lacum Curtium a Curtio dictum constat; de eo triceps historia.* — *Locus palustris tum fuit in foro, antequam cloacae sunt factae.* Liv. I, 13. *Locum, ubi primum ex profunda emersus palude equus Mettum Curtium in vado statuit, Curtium lacum appellarunt.* P. Victor. Reg. VIII. *Forum Rom. Ara Saturni in lacu Curtii.* 405. Varro L. L. IV. p. 14. *Aventinum montem maxime puto dictum ab advectu; nam olim paludibus mons erat ab reliquis disclusus. Itaque eo ex urbe qui advehebantur ratibus, quadrantem solvebant; cuius vestigia, quod ea, qua tum itur, Velabrum, et unde adscendebant ad rumam, nova via. Velabrum dicitur a vehendo; velaturam facere etiam nunc dicuntur, qui id mercede faciunt.* Ap. Propert. IV, 9, 5. Hercules venit, *Qua Velabra suo stagnabant flumine, quaque Nauta per urbanas velificabat aquas.* De Romuli tempore Tibull. II, 5, 33. *At qua Velabri regio patet, ire solebat Exiguus pulsa per vada linter equa.* 406. Omn. fere *crassaque*, quod retinui, tres mel. *cassaque*, quod Hs rec.

Saepe suburbanas rediens conviva per undas
Cantat, et ad nautas ebria verba iacit.
Nondum conveniens diversis iste figuris
Nomen ab averso ceperat amne deus.
Hic quoque lucus erat iuncis et arundine densus,
Et pede velato non adeunda palus.
Stagna recesserunt, et aquas sua ripa coërcet:
Siccaque nunc tellus. Mos tamen ille manet.
Reddiderat causam; Valeas, anus optima! dixi:
Quod superest aevi, molle sit omne, tui!
Cetera iam pridem didici puerilibus annis;
Non tamen idcirco praetereunda mihi.
Moenia Dardanides nuper nova fecerat Ilus:
Ilus adhuc Asiae dives habebat opes.
Creditur armiferae signum coeleste Minervae
Urbis in Iliacae desiluisse iuga.

---

408. Hs mav. *dicta.* — Quat. *facit.* 409. Varro L. L. IV. p. 14. *In vico Tusco Vortumnus stat deus Etruriae.* Copiosius de eo Nost. M. XIV, 642. Propert. IV (V), 2, 1. *Quid mirare meas tot in uno corpore formas? Accipe Vertumni signa paterna dei. Tuscus ego, et Tuscis orior. — Romanum satis est posse videre forum. Hac quondam Tiberinus iter faciebat, et aiunt Remorum auditos per vada pulsa sonos. At postquam ille suis tantum concessit alumnis, Vertumnus verso dicor ab amne deus.* Ib. 21. *Opportuna mea est cunctis natura figuris; In quamcumque voles, verte, decorus ero.* 410. Plurimi *adverso*, un. *everso.* 411. Un. ex opt. *virgis et ar.* 412. Duo opt. *nudato.* 414. Ex uno mel. Hs rec. *inde*, ect. omn. *ille*, quod retinui. 415. Duo ex opt. *huic optima.* 416. Nost. Trist. III, 1, 24. *Di tibi dent — Molliter in patria vivere posse tua.* 419. Apollod. III, 12, 3. Ἶλος εἰς Φρυγίαν ἀφικόμενος, πόλιν κλίσας, ταύτην μὲν Ἴλιον ἐκάλεσε. Τῷ δὲ Διὶ σημεῖον εὐξάμενος αὐτῷ τι φανῆναι, μεθ' ἡμέραν τὸ διϊπετὲς Παλλάδιον πρὸ τῆς σκηνῆς κείμενον ἐθεάσατο· ἦν δὲ τῷ μεγέθει τρίπηχυ, τοῖς δὲ ποσὶ συμβεβηκὸς, καὶ τῇ μὲν δεξιᾷ δόρυ διηρμένον ἔχον, τῇ δὲ ἑτέρᾳ ἠλακάτην καὶ ἄτρακτον. 421. Duo opt. *vitale*, puto pro *fatale*, addit Hs. 422. Multi *iugo*, quat. *iugis.* Douza mav. *iugum.*

Cura videre fuit: vidi templumque locumque.
Hoc superest illi: Pallada Roma tenet.
Consulitur Smintheus: lucoque obscurus opaco
Hos non mentito reddidit ore sonos:
Aetheriam servate deam: servabitis urbem:
Imperium secum transferet illa loci.
Servat et inclusam summa tenet Ilus in arce:
Curaque ad heredem Laomedonta venit.
Sub Priamo servata parum. Sic ipsa volebat,
Ex quo iudicio forma revicta sua est.
Seu genus Adrasti, seu furtis aptus Ulixes,
Seu pius Aeneas eripuisse datur;

---

424. Omn. fere *illic*, duo opt. *illi*, quod Hs rec., Burm. mav. *Ili* (h. e. Ilii). Templum Palladis Iliense a Lysimacho urbe restituta exstructum bello Mithridatico a Fimbria incensum postea restitutum esse videtur, idque vidit Noster et Strabo XIII, 1. Palladium autem non Ilienses, sed Romam tenere ait poeta. 425. Schol. Homer. Il. I, 39. Σμινθεὺς ἐπίθετον Ἀπόλλωνος· Σμίνθος γὰρ τόπος τῆς Τρῳάδος, ἐν ᾧ ἱερὸν Ἀπόλλωνος Σμινθίου 426. Un. opt. *mentitos*. Nost. M. XV, 647. *certas — sortes*. Senec. Oedip. 1042. *Te fatidice, te praesidem veri deum Compello*. Contra M. X, 19. *falsi ambagibus oris*. Senec. Oed. 1046. *Phoebe mendax*. 427. Haec coniunctio Imperativi et Futuri sive Fut. exacti saepe alibi. Cic. Catil. I, 5, 10. *Educ tecum omnes tuos: magno me metu liberabis*. Id. Tusc. I, 13. *Tolle hanc opinionem: luctum sustuleris*. 430. Duo opt. *redit*. 431. Melior, *volebat*, quod Hs rec., cet. *volebas*. 432. Quid. *reiecta*, duo *relicta*, un. ex opt. *relata tuo*. — Melior. aut *suo est*, quod Hs rec., aut *sua est*, quod ego praetuli. De Paridis iudicio cf. 15. 433. Plurimi *genet*. — Un. *notus* i. e. *natus*, addit Burm. Virg. A. II, 163. *Impius ex quo Tydides sed enim, scelerumque inventor Ulixes Fatale aggressi sacrato avellere templo Palladium*. Apollod. I, 8, 5. Τυδεὺς φυγὼν εἰς Ἄργος ἦκε πρὸς Ἄδρασ̣τον, καὶ τὴν τούτου γήμας θυγατέρα ἐγέννησε Διομήδην. Homer. Od. III, 121. μάλα πολλὸν ἐνίκα δῖος Ὀδυσσεὺς Παντοίοισι δόλοισι. Hinc ποικιλομῆτις, δόλων ἄτος (Hom. Od. XIII, 293). Ap. Nostr. M. XIII, 111. Ulixis sinistra vocatur *nata ad furta*. 434. Fere omnes *ferunt*, un. ex opt. *datur*, quod Hs rec., un. mel. *eripuisse eam*; an *eripuere deam?* addit Hs. In multis

Auctor in incerto. Res est Romana: tuetur
  Vesta, quod assiduo lumine cuncta videt.
Heu quantum timuere Patres, quo tempore Vesta
  Arsit, et est tectis obruta paene suis!
Flagrabant sancti sceleratis ignibus ignes,
  Mixtaque erat flammae flamma profana piae.
Attonitae flebant, demisso crine, ministrae:
  Abstulerat vires corporis ipse timor.
Provolat in medium, et magna, Succurrite! voce,
  Non est auxilium flere, Metellus ait.
Pignora virgineis fatalia tollite palmis!
  Non ea sunt voto, sed rapienda manu.
Me miserum! dubitatis? ait — Dubitare videbat,
  Et pavidas posito procubuisse genu. —

---

nummis gentis Iuliae Aeneas cum Palladio conspicitur, tamquam hic secum ex Troia in Italiam rapuerit. Idem alios dicit narrare Dion. Hal. Ant. II, 66. *Datur*, ut Claudian. Rapt. Pros. III, 337. *illic posuisse cruentam Aegida captivamque pater post proelia praedam Advexisse datur.* Stat. Theb. VII, 315. *Asopos genuisse datur.*

435. Al. *incerto est.* — Hs mav. *Troiana*, aut potius: *A. in inc. Praeses Romana tuetur Vesta, quod assiduo lum. iuncta videt*; aut: *Praestes Rom. tuetur.* Etiam I. F. Gronovius coni. *iuncta.* Scaliger: *cetusque Vesta.* Salmasius Epist. 102. ad Gronov. vulgatam tuetur. Dion. Hal. Ant. II, 66. εἰσί τινες οἳ φασιν ἔξω τοῦ πυρὸς ἀπόῤῥητα τοῖς πολλοῖς ἱερὰ κεῖσθαί τινα ἐν τῷ τεμένει τῆς Ἑστίας, ὧν οἵ τε ἱεροφάνται τὴν γνῶσιν ἔχουσι καὶ αἱ παρθένοι. In his erat Palladium. 438. Ex duob. opt. *adytis* rec. Hs, cet. *tectis*, quod servavi. Incendium fuit a. U. 513. a. C. 241. tempore belli Punici secundi. — 439. Idem eadem de re verborum lusus ap. Manil. IV, 67. *Quid numerem eversas urbes — raptosque ex ignibus ignes, Cedentemque viro flammam, quae templa ferebat?* 440. Un. ex opt. *proterva.* 441. Un. mel. *stabant.* — Quinq. *dimisso.* — Un. mel. *magistrae.* 443. Sex *Pervolat*, tres *praevolat* — Quat. *viva, S.*, quod Hs plac. 444. Plurimi *officium.* L. Caecilius Metellus Consularis Pontifex Maximus, de quo ad 452. — 445. *Pignora* cf. III, 422. Pleriq. *flammis*; Hs c. Ciof. et Neap. ex al. opt. *palmis* rec. 447. Un. mel. *dubitatis adhuc?*

Haurit aquas, tollensque manus, Ignoscite, dixit,
Sacra! vir intrabo non adeunda viro.
Si scelus est, in me commissi poena redundet;
Sit capitis damno Roma soluta mei.
Dixit et irrupit. Factum dea rapta probavit,
Pontificisque sui munere tuta fuit.
Nunc bene lucetis sacrae sub Caesare flammae:
Ignis in Iliacis nunc erit, estque, focis;
Nullaque dicetur vittas temerasse sacerdos
Hoc duce, nec viva defodietur humo.
Sic incesta perit: quia, quam violavit, in illam
Conditur: et Tellus Vestaque numen idem est.
Tum sibi Callaïco Brutus cognomen ab hoste
Fecit, et Hispanam sanguine tinxit humum.

---

449. Ut Claudia IV, 314; omnino in omnibus sacrificiis et lustrationibus usus aquae. 450. Un. ex opt. *ait, intrabo.* — *Sacra* quaecumque dei erant, etiam simulacra. Propert. II (III), 10 (1), 24. *Pauperibus sacris vilia tura damus.* Appian. Bell. civ. I. p. 646. de Asillio praetore: Πολλοί τε τῶν διωκόντων, ἐς τὰς παρθένους αὐτὸν ἡγούμενοι καταφεύγειν, ἐσέδραμον, ἔνθα μὴ θέμις ἦν ἀνδράσιν. Lucan. I, 603. de Vestali: *Troianam soli cui fas vidisse Minervam.* 451. Tristem Metelli casum refert praeter alios. Plin. H. N. VII, 43. *Metellus orbam luminibus exegit senectam amissis incendio, quum Palladium raperet ex aede Vestae. Tribuit autem ei populus Rom., quod nunquam ulli alii ab condito aevo contigit, ut, quoties in Senatum iret, curru veheretur ad Curiam.* 453. Quid. *eripuit,* al. *arripuit,* al. *irripuit.* 455. E melior. Hs rec. *sacrde,* cet. *sacro.* — *Augustus* enim, auct. Sueton. Aug. 31. *Sacerdotum et numerum et dignitatem, sed et commoda auxit, praecipue Vestalium virginum.* 456. Cf. III, 29. 142. 418. — 457. Un. ex opt. *temerata. Vittae* signum castitatis. Cf. III, 30. — 458. Schol. Iuven. IV, 9. *Haec Virginibus Vestae poena fuit decreta: si virginitate fuissent vinctae in parietibus struebantur, aut sub terra obruebantur.* Livius VII, 15. *Minucia Vestalis — viva sub terram ad portam Collinam dextra via strata defossa. Sceleratoque campo. Credo ab incesto id et loco nomen factum.* 459. Meliores *in illam,* quod Hs rec., cet. *in illa.* 460. Hs mav. *at Tellus.* — Meliores non habent *est.* Cf. ad 267. — 461. Un. cod. Neap. *Gallaeco,* cet. omnes *Callaico.* Etsi codd. Flori, Velleii et alior. etiam

Scilicet, interdum miscentur tristia laetis,
Ne populum toto pectore festa iuvent.
Crassus ad Euphraten aquilas, natumque, suosque
Perdidit, et leto est ultimus ipse datus.
Parthe, quid exsultas? dixit dea. Signa remittes:
Quique necem Crassi vindicet, ultor erit.

At simul auritis violae demuntur asellis,
Et Cereris fruges aspera saxa terunt;
Navita puppe sedens, Delphina videbimus, inquit,
Humida quum pulso nox erit orta die.

Iam, Phryx, a nupta quereris, Tithone, relinqui,
Et vigil Eois Lucifer exit aquis.
Ite, bonae matres, — vestrum Matralia festum —
Flavaque Thebanae reddite liba deae.

---

nonn. inscriptt. scripturam *Gallaeci* confirmant, tamen, quum a Strabone gens Καλλαϊκοί et Brutus Καλλαϊκός nominetur, utique lectio omnium fere codd. Ovidii retinenda videtur. Rem a. U. 619. a. C. 135. factam narrat Florus II, 17, 12. *D.* (Iunius) *Brutus aliquanto latius Celticos Lusitanosque et omnes Gallaecias populos, formidatumque militibus flumen Oblivionis* (Lethen); *peragratoque victor Oceani litore non prius signa convertit, quam cadentem in mari solem obrutumque aquis ignem non sine quodam sacrilegii metu et horrore deprehendit.* Vellei. II, 5, 1. *Gallaeci cognomen meruit.*

463. *Scilicet* cf. IV, 627. 464. Meliores *Ne — iuvent*, quod Ha rec., cet. *Nec — iuvant*, quod Taubn. plac. — Scaliger mav. *toto tempore*, 465. Cf. ad V, 580. 469. Duo mel. *auratis*. — E melior. Ha rec. *demuntur*, et vs. sq. *terunt*, ceter. *demantur — terent*. Multus in sacris coronarum usus. Cf. I, 345. 663. V, 52. VI, 311. — 470. Cf. VI, 312. 348. — 471. Colum. R. R. XI, 2, 45. *IV Idus Iun. Delphinus vespere exoritur.* 472. Un. ex opt. *pulsa*. 473. Un. opt. *relicta*. Cf. I, 461. III, 403. IV, 943. — 474. Tres ex opt. et tredec. al. *equis*, ceter. *aquis*. Noster M. XV, 189. *quumque albo Lucifer exit Clarus equo.* Ep. Pont. II, 5, 50. *Qualis ab Eois Lucifer ortus* (exit) *aquis*. 476. Dictt. Ino, mater Matuta, Cadmeis, De libis redditis cf. 532. —

Pontibus et magno iuncta est celeberrima Circo
Area, quae posito de bove nomen habet.
Hac ibi luce ferunt Matutae sacra parenti
Sceptriferas Servi templa dedisse manus.
Quae dea sit: quare famulas a limine templi
Arceat, — arcet enim — libaque tosta petat;
Bacche, racemiferos hedera redimite capillos,
Si domus illa tua est, dirige vatis opus.
Arserat obsequio Semele Iovis: accipit Ino
Te, puer, et summa sedula nutrit ope.
Intumuit Iuno, raptum quod pellice natum
Educet. At sanguis ille sororis erat.

477. Plures *Pontibus*. — Un. ex opt. *Baccho*. 478. De foro Boario Tacit. A. XII, 24. *ubi aereum tauri simulacrum adspicimus*. De insula Aegina officinis aeris nobilitata Plin. H. N. XXXIV, 2. *Bos aereus inde captus in foro Boario est Romae*. 479. Quo anno imperii Serviani (a. U. 176. a. C. 578. usque ad a. U. 220. a. C. 534.) non constat. Liv. V, 19. *Camillus Dictator ludos magnos ex S. C. vovit Veiis captis se facturum aedemque Matutae matris refectam dedicaturum, iam ante ab rege Servio Tullio dedicatam*. Idem Plut. Camill. 5. Πρῶτον μὲν εὐχὰς ἐποιήσατο τοῖς θεοῖς τὰς μεγάλας θέας ἄξειν, καὶ νεὼν θεᾶς, ἣν Μητέρα Ματούταν καλοῦσι Ῥωμαῖοι, καθιερώσειν. Ταύτην ἂν τις ἀπὸ τῶν ὁρωμένων ἱερῶν μάλιστα Λευκοθέαν νομίσειεν εἶναι. Haec aedis dedicatio facta a U. 359. a. C. 395. Aedes in foro Boario. Liv. XXXIII, 27. *L. Stertinius de manubiis duo fornices in foro Boario ante Fortunae aedem et Matris Matutae fecit*. 481. Cf. ad 551. — 482. Quinq. opt. et duo al. *petat*, quod Hs rec., ceter. *petit*. 483. Quat. opt. *distincte cap*. Cf. I, 393. — 484. Un. ex opt. *domus alta* — Un. mel. *vatis iter*, duo ex opt. *navis iter*, quod Hs rec., ceteri *vatis opus*, quod ego servavi. Illud quidem alibi, ut I, 4. 466; nec tamen ita semper. Cf. III, 724. IV, 16. 192. 729. — 485. Duo ex opt. *excipit*. Cf. III, 725. 769. Nost. M. III, 313. *Furtim illum* (Bacchum) *primis Ino matertera cunis Educat; inde datum Nymphae Nyseides antris Occuluere suis, lactisque alimenta dedere*. 486. Unus *sedulitate fovet*, alius *sedula fovit ope*. 487. Pleriq. *raptum*, quod recepi, cet. *rapta*, quod Hs rec., ipse tamen mav. *partum*. Copiosius hac de re Nost. M. IV, 416 sqq. ubi: *Adspicit hanc* (Ionem) *natis thalamoque Athamantis habentem Sublimes animos et alumno numine Iuno*.

Hinc agitur furiis Athamas, et imagine falsa:
  Tuque cadis patria, parve Learche, manu.
Maesta Learcheas mater tumulaverat umbras,
  Et dederat miseris omnia iusta rogis:
Haec quoque, funestos ut erat laniata capillos,
  Prosilit, et cunis te, Melicerta, rapit.
Est spatio contracta brevi, freta bina repellit,
  Unaque pulsatur terra duabus aquis.
Huc venit insanis natum complexa lacertis,
  Et secum e celso mittit in altà iugo.
Excipit illaesos Panope centumque sorores,
  Et placido lapsu per sua regna ferunt.
Nondum Leucotheë, nondum puer ille Palaemon
  Vorticibus densis Tibridis ora tenent.

---

489. Sex opt. et sex al. *et imag.*, quod Hs rec., duod. *sub*, cet. *sed.* 490. Duo *Tu cadis a patria.* — Noster M. IV, 516. de Athamante: *Deque sinu matris ridentem et parva Learchum Brachia tendentem rapit et bis terque per auras More rotat fundae, rigidoque infantia saxo Discutit ossa ferox.* 491. Duo *turbaverat.* — Ut V, 451. Virg. A. III, 67. *animamque sepulcro Condimus*, ad quem loc. Servius: *Insepultorum animae vagae sunt; rite reddita legitima sepultura, redit anima ad quietem.* Hinc vaga Archytae insepulti umbra petit ap. Horat. Od. I, 28, 23. *At tu, nauta, vagae ne parce malignus arenae Ossibus et capiti inhumato Particulam dare.* 492. Cauter. Nov. lectt. I, 8. leg. *omina.* Cf. II, 569. III, 560. V, 452. — 493. Nost. M. IV, 519. *Tum denique concita mater Ululat passisque fugit male sana capillis, Teque ferens parvum nudis, Melicerta, lacertis, Euoe, Bacche, sonat.* 495. Un. opt. *contacta*, alius *constructa*, al. *contecta*, al. opt. *contenta.* Schol. Stat. Theb. VI, 10. *concreta.* Propert. III, 21, 22. *Isthmos qua terris arcet utrumque mare.* 497. Noster M. IV, 525. *Imminet aequoribus scopulus — frontemque in apertum porrigit aequor. Occupat hunc Ino. — Seque super pontum — Mittit onusque suum.* 498. Plurimi *excelso* aut *e celso*, quod Hs rec., un. *Et se de celso*, ceter. omnes *secum e summo.* 499. Plurimi *illaesum*, sex *illaesam.* Panopè una ex iis, de quibus Hesiod. Th. 263. Αὐταὶ μὲν Νηρῆος ἁμύμονος ἐξεγένοντο Κοῦραι πεντήκοντα —. 501. De nominibus infra 545. *Nondum* ut IV, 835. M. II, 219. *et nondum Oeagrius Haemos.* 502. Omnes *densis*, quod retinui; Hs ex suo ingenio rec. *densi*, cui

Lucus erat: dubium Semelae Stimulaene vocetur;
Maenadas Ausonias incoluisse ferant.
Quaerit ab his Ino, quae gens foret. Arcadas esse
Audit, et Euandrum sceptra tenere loci.
Dissimulata deam Latias Saturnia Bacchas
Instimulat fictis insidiosa sonis:
O nimium facilis! o toto pectore captae!
Non venit haec nostris hospes amica choris.
Fraude petit, sacrique parat cognoscere ritum;
Quo possit poenas pendere, pignus habet.
Vix bene desierat; complent ululatibus auras
Thyades effusis per sua colla comis.
Iniiciuntque manus, puerumque revellere pugnant.
Quos ignorat adhuc, invocat illa deos:

---

favet Nost. M, IX, 106. *Verticibusque frequens erat atque impervius amnis.* Cf. ad VI, 228.

503. Duo *Semeles* + Alii etiam mel. *Stimelene*, alii *Stimulaene* — Tres opt. et tres al. *vocatur*. Hs addit, puto *vocatus*, vel potius *dicatus*, vel *dicetur*. Sex. Rufus. *Regio Circi Max. Lucus Semeles. Aedes Portumni*. P. Victor Reg. XI. *Aedes* (tres) *Portumni. Aedes Iunonis* (leg. Inonis) *Matutae* — nulla Luci illius mentione facta. Schol. Iuvenal. II, 3. *Sacra Bacchanalia condemnata sunt, quum probatum esset Senatui, honestissimas feminas ad Stimulae deae lucum foede adulterari.* In plerisq. codd. Livii XXXIX, 12. est: *in luco Similae*. Ceterum de dea *Maia*, eadem Bona dea, loquens Macrob. Sat. I, 12. addit: *Boeoti Semelam credunt, nec non eandem Fauni filiam dicunt.* 504. Un. opt. *Ausonidas*. 505. Un. ex opt. *Arc. audit*, venusta repetitione ait Hs. 506. Cf. I, 471. — 509. Un. opt. *caeco pect.* — Nonn. *captae*, quid. *raptae*. 510. Multi *vestris*. 512. Un. opt. et tres al. *solvere*. 513. *Vix b.* ut V, 278. 514. Omnes fere *infusis in sua*, alii *effusis in s.*, alii et edd. vett. *eff. per s.*, quod Hs retinuit. De Bacchanalibus Liv. XXXIX, 12. *matronas Baccharum habitu crinibus sparsis cum ardentibus facibus decurrere ad Tiberim.* Ib. 15. *Bacchanalia tota iam pridem Italia esse crepitibus ululatibusque nocturnis, qui personant tota urbe, certum habeo.* Cf. IV, 458. Schol. Apoll. I, 636. Θυάδες, Μαινάδες, Βάκχαι, παρὰ τὸ θύειν καὶ ὁρμᾶν μαινόμεναι. 515. Meliores *revellere*, quod Hs rec., cet. *avellere*. — E melior. Hs rec. *pugnant*, cet. *tentant*.

Dique, virique loci, miserae succurrite matri.
  Clamor Aventini saxa propinqua ferit.
Appulerat ripae vaccas Oetaeus Iberus:
  Audit, et ad vocem concitus urget iter.
Herculis adventu, quae vim modo ferre parabant,
  Turpia femineae terga dedere fugae.
Quid petis hinc, — cognorat enim — matertera Bacchi?
  An nomen, quod me, te quoque vexat, ait?
Illa docet partim, partim praesentia nati
  Continet, et Furiis in scelus isse pudet.
Rumor — ut est velox — agitatis pervolat alis:
  Estque frequens, Ino, nomen in ore tuum.
Hospita Carmentis fidos intrasse penates
  Diceris, et longam deposuisse famem.

517. Omnes fere *Dique virique*, quod restitui; ex uno opt. Hs rec. *Dique deaeque*, etsi ipse necesse non esse fatetur addens locum M. II, 578. *Inde deos hominesque voco, nec contigit ullum Vox mea mortalem.* 518. Duo ex opt. *proxima saxa f.* 519. Un. ex opt. *Oeteius heros*, alius *Tirynthius heros*. Cf. I, 543. *Oetaeus* per Prolepsin. Apollod. II, 7, 7. Ἡρακλῆς τοιαύτῃ συμφορᾷ κατασχεθεὶς, παραγενόμενος εἰς Οὔτην ὄρος ἐκεῖ πυρὰν ποιήσας ἐκέλευσεν ἐπιβάντος ὑφάπτειν. Καιομένης δὲ τῆς πυρᾶς λέγεται νέφος ὑποστὰν μετὰ βροντῆς αὐτὸν εἰς οὐρανὸν ἀναπέμψαι. 523. Un. *agnorat*, tres *cognovit*, quod Burm. plac. 524. De Hercule Nost. Her. IX, 5. *Quem numquam Iuno seriesque immensa laborum Fregit — Plus tibi quam Iuno nocuit Venus.* Hesiod. Th. 315. Ἥρη, Ἄπλητον κοτέουσα βίῃ Ἡρακληείῃ. 525. Plurimi *dolet*. 526. Nost. M. V, 668. *Ibimus in poenas et, quo vocat ira, sequemur.* 527. Hs mav. *provolat*. De Fama Virg. A. IV, 174. *Fama malum, quo non aliud velocius ullum — Illam Terra parens — Progenuit pedibus celerem et pernicibus alis.* Claudian. XXII, 408. *Iam fama loquacibus ales Pervolat Oceanum linguis.* 528. Alii *Estque frequens nomen semper in.* 529. Un. opt. *Carmentae*. Cf. I, 499. Dion. Hal. Ant. I, 31. Εὔανδρος Ἑρμοῦ γενόμενος καὶ Νύμφης τινὸς, ἣν οἱ μὲν Ἕλληνες Θέμιν εἶναι λέγουσι, καὶ θεοφόρητον ἀποφαίνουσιν· οἱ δὲ Ῥωμαῖοι Καρμένταν ὀνομάζουσιν· εἴη δ' ἂν Ἑλλάδι φωνῇ θεσπιῳδὸς τῇ νύμφῃ τοὔνομα. Τὴν δὲ γυναῖκα ταύτην ὁμολογοῦσι δαιμονίῳ πνεύματι κατάσχετον γινομένην, τὰ μέλλοντα συμβαίνειν δι' ᾠδῆς προλέγειν. 530. Un. ex opt. *fugam*.

Liba sua properata manu Tegeaea sacerdos
Traditur in subito cocta dedisse foco.
Nunc quoque liba juvant festis Matralibus illam;
Rustica sedulitas gratior arte fuit.
Nunc, ait, o vates, venientia fata resigna,
Qua licet: hospitiis hoc, precor, adde meis.
Parva mora est: coelum vates ac numina sumit,
Fitque sui toto pectore plena dei.
Vix illam subito posses cognoscere; tanto
Sanctior, et tanto, quam modo, maior erat.
Laeta canam; gaude, defuncta laboribus, Ino!
Dixit, et huic populo prospera semper ades!

---

532. E melior. Hs rec. *in subito*, ceteri *et sub.* Varro L. L. IV. p. 31. *Libum, quod libaretur, ut erat, priusquam esset coctum. Testuatium, quod in testu caldo coquebatur, ut etiam nunc Matralibus id faciunt matronae.* 533. E melior. Hs rec. *illam*, ceteri *illa*, quod alii ad *liba*, alii ad seq. *Rust. sed.* referunt. 534. Un. omnium opt. et al. nonn. *ante*, cet. *arte*. 535. Duo opt. *Protinus, o vat.* — Alibi fata *revolvere, recensere, movere*. 536. Un. ex opt. et tres al. *libet*, un. *Quaelibet*. Hs mav. *Quamlibet* — Un. ex opt. *officiis* — *tuis*, alius *off.* — *meis*, un. etiam *hosp.* — *tuis*. — Inest sententia Heleni ap. Virg. A. III, 379. *prohibent nam cetera Parcae Scire Helenum, farique vetat Saturnia Iuno.* Idem 461. *Haec sunt, quae nostra liceat te voce moneri.* 537. Omnes fere *sumit*, quod restitui, un. mel. *sensit*, quod Burm. rec., una ed. *sentit*. Huic lect. favet VI, 251. Virg. A. III, 360. *Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis, Et volucrum linguas et praepetis omina pennae.* Alteri nostrae I, 473. Stat. Theb. X, 160. de vate Thyodamante, *Impatiensque dei, fragili quem mente receptum Non capit.* 538, Cf. I, 474. Stat. Theb. X, 618. *plenum Phoebo vatem.* 539. Virg. A. VI, 47. de Sibylla: *Subito non vultus, non color unus, Non comptae mansere comae; sed pectus anhelum Et rabie fera corda tument, maiorque videri, Nec mortale sonans, afflata est numine quando Iam propiore dei.* Stat. Theb. X, 750. *At pius — Menoeceus, Iam sacer aspectu solitoque augustior ore. — Posses*, ut alibi *videres, cerneres, crederes*. Cf. II, 391. III, 296. — 542. E quat. Hs rec. *dextera*, ut I, 67. cet. omn. *prospera*, quod servavi. Cf. VI, 202. Virg. E. V, 65. *Sis bonus, o felixque tuis*. Duo ex opt. *prosp. numen ades.*

Numen eris pelagi: natum quoque pontus habebit.
In nostris aliud sumite nomen aquis.
Leucotheë Graiis, Matuta vocabere nostris;
In portus nato ius erit omne tuo.
Quem nos Portunum, sua lingua Palaemona dicet.
Ite, precor, nostris aequus uterque locis!
Annuerant: promissa fides: posuere labores;
Nomina mutarunt: hic deus, illa dea est.
Cur vetet ancillas accedere, quaeritis. Odit,
Principiumque odii, si sinat ipsa, canam.
Una ministrarum solita est, Cadmeï, tuarum
Saepe sub amplexus coniugis ire tui.
Improbus hanc Athamas furtim dilexit: ab illa
Comperit agricolis semina tosta dari.

---

544. Meliores *vestris*, quod Hs rec., cet. *nostris*. — In ed. Burm. mendose *numen*, in ceter. omn. *nomen*. 545. Iam Homer. Od. V, 333. Τὸν δὲ ἴδεν Κάδμου θυγάτηρ, καλλίσφυρος Ἰνώ, Λευκοθέη, ἣ πρὶν μὲν ἦν βροτὸς αὐδήεσσα, Νῦν δ' ἅλὸς ἐν πελάγεσσι θεῶν ἐξέμμορε τιμῆς. Cic. Tusc. I, 12. *Quid? Ino Cadmi filia, nonne Leucothea nominata a Graecis, Matuta habetur a nostris?* 546. De Palaemone Orph. H. 74, 6. Ποντοπλάνοις γὰρ ἀεὶ ναυσὶν χειμῶνος ἐναργὴς Φαινόμενος σωτὴρ μοῦνος θνητοῖς ἀναφαίνῃ, Ῥυόμενος μῆνιν χαλεπὴν κατὰ πόντιον οἶδμα. 547. Al. *Portumnum*, veterrimi *Portunum*. Cic. N. D. II, 26. *Ut Portunus a portu, sic Neptunus a nando.* 548. Edd. quaed. *Este*, pr. — Hs coni. *focis*. — *Aequus, iniquus*, ut in noto illo Nostri Trist. I, 2, 6. *Aequa Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.* Cf. VI, 766. 549. Tres *Annuerant*, quod Hs rec., etsi *Annuerunt* mav., cet. *Annuerat*. — Un. ex opt. *promissa fide*, quod Hs praefert; mav. tamen *Adfuerat promissa fides*. Cf. III, 366. 551. Hac de re Plut. Qu. Rom. 16. Διὰ τί δούλαις τὸ τῆς Λευκοθέας ἱερὸν ἄβατόν ἐστι· μίαν δὲ μόνην αἱ γυναῖκες εἰσάγουσαι παίουσιν ἐπὶ κόρρης καὶ ῥαπίζουσιν; cui quaestioni pluribus respondet. 552. Melior. *ipsa*, quod Hs rec., cet. *illa*. 553. Un. opt. *Cadmei*, quod Hs rec., tres *Cadmeia*, cet. *Cadmea*. *Cadmeis* Patronymicum, *Cadmeus* et *Cadmeïus* Adiectivum, quod an umquam Patronymici loco usurpetur, dubium. 555. Un. mel. *furto*. 556. A qua data fuerint cf. II, 628. et III, 853. Τὴν δούλην, inquit Plut. Qu. Rom. 16. Ἕλληνες

Ipsa quidem fecisse negat, sed fama fecepit.
Hoc est, cur odio sit tibi serva mamma.
Non tamen hanc pro stirpe sua pia mater adoret:
Ipsa parum felix visa fuisse parens.
Alterius prolem melius mandabitis illi:
Utilior Baccho quam fuit ipsa suis.
Hanc tibi, Quo properas, memorant dixisse, Rutili?
Luce mea Marso Consul ab hoste cades.
Exitus accessit verbis: flammeque Tyrreni
Purpureum mixtis sanguine fluxit aquis.
Proximus annus erat: Pallantide, caesus eadem
Didius hostiles ingeminavit opes.

Αἰτωλίδα γένει φασὶν εἶναι, καλεῖσθαι δ' Ἀντιφέραν. Διὸ καὶ παρ' ἡμῖν ἐν Χαιρωνείᾳ πρὸ τοῦ σηκοῦ τῆς Λευκοθέας ὁ νεωκόρος λαβὼν μάστιγα, κηρύσσει, μὴ δοῦλον εἰσιέναι, μὴ δούλαν, μηδ' Αἰτωλὸν, μηδ' Αἰτωλάν.

557. Un. mel. *se scisse n.* — Cic. Att. XIII, 1. *de aestate polliceris vel potius recipis.* 558. Duo *sit sibi.* — Ovid. Am. I, 6, 26. *Nec tibi perpetuo serva bibatur aqua.* Horat. Ep. I, 19, 19. *imitatorum servum pecus.* 559. Causam quaerit Plut. Qu. Rom. 17. Διὰ τί παρὰ τῇ θεῷ ταύτῃ τοῖς μὲν ἰδίοις τέκνοις οὐκ εὔχονται τἀγαθά, τοῖς δὲ τῶν ἀδελφῶν; Ὅτι φιλάδελφος μέν τις ἡ Ἰνὼ καὶ τὸν ἐκ τῆς ἀδελφῆς ἐπιθηήσατο, περὶ τοὺς δὲ ἑαυτῆς παῖδας ἐθυσιόχησεν. 561. Duo opt. et duo al. *mand. inquam,* duo al. opt. *m. inquit.* Hs aliquid latere censet. 562. Pleriq. mel. *illa sibi.* Cf. 485. — 563. Omnes fere *tibi proposito* aut *praeposito,* ut refert Burm. Bello Marsico a. U. 664. a. C. 90. occidit Consul P. Rutilius Lupus. Velleï II, 16. *Tam varia atq. atrox fortuna Italici belli fuit, ut per biennium continuum duo Romani Consules Rutilius ac deinde Cato Porcius ab hostibus occiderentur, exercitus pop. Rom. multis in locis funderentur.* — *Marsus,* ut Horat. Od. I, 1, 28. *Marsus aper.* Ita *Claudia manus, Romula gens, Alones montes, Medus Hydaspes, Quirinus mons,* alia. 565. Pleriq. vetustior. *Toleni,* quod servavi, alii *Toloni,* tres *Tolenum,* quod Hs rec., un. *Telonum. Toleni* ut ap. alios *amnis Eridani, amnis Cocyti, urbs Patavii,* alia similia. 566. Ex uno opt. Hs rec. *Purpureo,* cet. omn. *Purpureum,* quod restitui; idque iunge cum verbo. 567. Neapolis coni. *Annus erat decimus.* — *Pallantis* cf. IV, 373. — Quinq. *vicus.* 568. Duo opt. *Vidius,* un. opt. pro div. lect. *Tullius,* alius opt. *Di-*

Lux eadem, Fortuna, tua est, auctorque, locusque.
Sed superinjectis quis latet aede togis? 570
Servius est: hoc constat enim. Sed causa latendi
Discrepat, et dubium me quoque mentis habet.
Dum dea furtivos timide profitetur amores,
Coelestemque homini concubuisse pudet;
Arsit enim magna correpta cupidine regis, 575
Caecaque in hoc uno non fuit illa viro.
Nocte domum parva, solita est intrare fenestra:
Unde Fenestellae nomina porta tenet.

---

lius. Hs mav. *Tullius,* ut L. Iulium Caesarem innuat; Burm. coni. *Porcius,* quum sequenti anno L. Porcius Cato Cens. bello Marsico interierit. — *T. Didium* Legatum alterius Consulis L. Iulii Caesaris fuisse dicunt Cicer. pr. Font. 15 et Appian. B. Civ. I. p. 635. ed. Toll., cui, ut ceteris utriusq. consulis legatis, sua provincia attributa est.

570. Alii *quis latet iste,* quat. *quid l. iste,* duo opt. *quis l. aede,* quod Hs rec. — Un. mcl. *superingestis,* alius mcl. *superinvectis.* 571. Sex libri ita, ut c. Ciof. Hs rec., ceteri *et constat eum.* Huius statuae in aede Fortunae (cuius Fortunae fuerit, incertum) in foro Boario exstructa meminit Plin. H. N. VIII, 48, 74. *Auctor est M. Varro jactam a Tanaquile togam regiam undulatam in aede Fortunae, qua Servius Tullius fuerat usus. — Servii praetextae, quibus signum Fortunae ab eo dicatae coopertum erat, duravere ad Sciani exitum.* Ecce Plinium diversum ab Ovidio! Varro ipse ap. Nonium II, p. 592. *Virginis Fortunae simulacrum duplici undulatis togis est opertum, proinde ut olim reges undulatas et praetextas togas soliti sint habere.* Virginem F. memorat Plut. de fort. Rom. 10. παρὰ τὴν Μουσώσαν καλουμένην κρήνην Παρθένου Τύχης ἱερόν ἐστι. 573. Sex *Dum,* quod Hs c. Ciof. rec., cet. *Tum.* 575. *Arsit* cf. III, 545. — Un. omn. opt. *magno,* quat. *magni.* — Un. opt. *libidine.* 576. Cic. Lael. 15. *Non solum ipsa Fortuna caeca est, sed eos etiam plerumque efficit caecos, quos complexa est.* Pacuvius ap. Auct. ad Heren. II, 23. *Caecam eo eam rem esse iterant, quia nihil cernat, quo sese applicet.* 577. Eadem Plut. de Fort. Rom. 10. Σέρβιος δὲ αὐτὸς ἑαυτὸν εἰς τὴν τύχην ἀνῆψε, καὶ ἀνεδείτο τὴν ἡγεμονίαν ἐξ ἐκείνης ὥσθ' καὶ συνεῖναι δοκεῖν αὐτῷ τὴν Τύχην διά τινος θυρίδος καταβαίνουσαν εἰς τὸ δωμάτιον, ὃ νῦν Φενεστέλλαν πύλην καλοῦσιν. Idem in Qu. Rom. 36. — 578. Optimi *Fenestellae,* quod

Nunc pudet, et vultus velamine celat amatos,
Oraque sunt multa regia tecta toga.
An magis est verum, post Tulli funera plebem
Confusam placidi morte fuisse ducis?
Nec modus ullus erat: crescebat imagine luctus,
Donec eam positis ecculuere togis.
Tertia causa mihi spatio maiore canenda est:
Nos tamen adductos intus agemus equos.
Tullia, coniugio sceleris mercede peracto,
His solita est dictis exstimulare virum:
Quid iuvat esse pares, te nostrae caede sororis,
Meque tui fratris, si pia vita placet?
Vivere debuerant et vir meus, et tua coniux,
Si nullum ausuri maius eramus opus.

---

c. Ciof. Hs rec., un. opt. et tres al. *Fenestratae*, alii *Fenestrile*, *Fenestrale*, *Fenestralis* etc.

581. Dion. Hal. Ant. IV, 40. Θόρυβος ἐγένετο πολὺς ἐπὶ τὴν πόλιν ὅλην, καὶ οἰμωγὴ ἐπὶ τῷ Τυλλίου θανάτῳ. *Placidi.* Liv. I, 48. *Servius regnavit ita, ut bono etiam moderatoque successori regi difficilis aemulatio esset. Id ipsum tam mite ac tam moderatum imperium — deponere in animo habuit.* 584. Meliores *eam*, quod Hs rec., cet. *cum.* Quid. *compositis.* — Un. mel. *concaluere*, alius opt. pro div. lect. *evoluere*, unde Hs mav. *appositis involuere togis.* 585. Cf. ad IV, 10. 586. Duo opt. *Et non add.* — Un. *admissos* — Duo *inter ag.*, alius *agamus.* — Horat. Sat. II, 6, 25. *seu bruma nivalem Interiore diem gyro trahit.* 587. E melior, Hs rec. *peracto*, cet. *parato.* Liv. I, 46 et 47. *L. Tarquinius et Tullia minor prope continuatis funeribus* (alter uxoris, mariti altera) *quum domos vacuas novo matrimonio fecissent, iunguntur nuptiis. Iam ab scelere ad aliud spectare mulier scelus, nec nocte nec interdiu virum conquiescere pati, ne gratuita parricidia essent.* 588. Un. *sollicitare*, duo *sollicitasse.* 589. Tulliae verba pleniora dat Liv. I, 47. inter alia haec: *Si tu is es, cui nuptam esse me arbitror, et virum et regem appello; sin minus, eo nunc peius mutata est res, quod isthinc cum ignavia est scelus. Quin accingeris? Dii te Penates patriique et patris imago et domus regia et in domo regale solium et nomen Tarquinium creat vocatque regem.* 590. Alii *vota placent*, tres *iura placent*, quod Hs arridet.

Et caput et regnum facio dotale parentis.
Si vir es, i, dictas exige dotis opes!
Regia res scelus est. Socero cape regna necato,
Et nostras patrio sanguine tinge manus.
Talibus instinctus solio privatus in alto
Sederat: attonitum vulgus ad arma ruit.
Hinc cruor, hinc caedes: infirmaque vincitur aetas.
Sceptra gener socero rapta Superbus habet.
Ipse sub Esquiliis, ubi erat sua regia, caesus

---

593. Un. omn. opt. et quinq. al. *facito*, un. opt. *facis est*, alius *faciam*, alius *facias*, duo opt. multiq. al. *facio*, quod Hs rec., cet. *factum est d.* Hs tamen mav. *Sit caput, ut regn.; faxo dot.* vel *Stet capite, ut regno, pactum d.* vel *En caput, ut regnum, facio.* 594. Omn. fere *indictas*, ex uno opt. Hs rec. *i dictas.* Idem addit posse etiam legi *en dictas* — Omn. fere *exige*, quod c. Ciof. Hs rec., alii *erige.* — Un. *matris opes.* — Virg. A. IX, 634. *I, verbis virtutem illude superbis!* Horat. Ep. I, 6, 17. *I nunc, argentum et marmor vetus — Suspice!* 595. Atrei regis verba in Senec. Thyest. 217. *Sanctitas, pietas, fides Privata bona sunt; qua iuvat, reges eant.* Soph. Aiax 1337. Τὸν τοι τύραννον εὐσεβεῖν οὐ ῥᾴδιον. 596. Alii etiam opt. *tingue.* 597. Optim. fere quisq. *instinctus*, quod Hs rec., cet. *instructus.* Liv. I, 47. *His muliebribus instinctus furiis Tarquinius circumire — stipatus agmine armatorum in forum irrupit; inde omnibus perculsis pavore, in regia sede pro curia sedens Patres in curiam per praeconem ad regem Tarq. citari iussit.* 598. Tres opt. et multi al. *in arma*, quod Hs placeret, nisi *in* praecessisset. 599. E duob. opt. et quinq. al. Hs rec. *hinc caedes* pro *et c.* Liv. I, 48. *Clamor ab utriusque fautoribus oritur, et concursus populi fiebat in curiam, apparebatque regnaturum, qui vicisset. Tum Tarquinius multo et aetate et viribus validior medium arripit Servium, elatumque e curia in inferiorem partem per gradus deiicit. Servius prope exsanguis quum domum se reciperet pervenissetque ad summum Cyprium vicum ab iis, qui missi ab Tarquinio fugientem consecuti erant, interficitur.* 600. Similiter Liv. I, 49. *Inde L. Tarq. regnare occepit, cui Superbo cognomen facta indiderunt, quia socerum gener sepultura prohibuit* etc. 601. Duo ex opt. *suberat sua regia. Sua* ut III, 200. Liv. I, 44. *Servius addit duos colles, Quirinalem Viminalemque; inde deinceps auget Esquiliis, ibiq. ipse, ut loco dignitas fieret, habitat.* Idem I, 48. *Tullia carpento in forum invecta, nec reverita coetum vi-*

Concidit in dura sanguinolentus humo.
Filia carpento patrios initura Penates
Ibat per medias alta ferosque vias.
Corpus ut adspexit, lacrimis auriga profusis
Restitit. Hunc tali corripit illa sono:
Vadis? an exspectas pretium pietatis amarum?
Duc, inquam, invitas ipsa per ora rotas!
Certa fides facti, dictus Sceleratus ab illa
Vicus, et aeterna res ea pressa nota.
Post tamen hoc ausa est templum, monumenta parentis,
Tangere: mira quidem, sed tamen acta loquar.
Signum erat in solio residens sub imagine Tulli:
Dicitur hoc oculis oppesuisse manum.
Et vox audita est, Vultus abscondite nostros,
Ne natae videant ora nefanda meae.

---

rorum evocavit virum e curia, regemque prima appellavit. A quo facessere iussa ex tanto tumultu quum se domum reciperet, auriga flectens carpentum dextra in Virbium clivum, ut in collem Esquiliarium eveheretur, restitit pavidus iacentemque dominae Servium trucidatum ostendit.

602. Un. opt. *Occidit*, duo *Conditur*. — Un. ex opt. *duram — humum*. 604. Ut Niobe ap. Nostr. M. VI, 169. *oculos circumtulit alta superbos*. 607. Un. *adspectus* — Un. *amarae*, quid. ex opt. *iniquum*. Livius l. c. *Foedum inhumanumq. inde traditur scelus, monumentoque locus est; Sceleratum vicum vocant, quo amens Tullia per patris corpus carpentum egisse fertur*. Dion. Hal. Ant. IV, 39. Πυνθανομένης ἐκείνης, τί παθὼν οὐκ ἄγει τὸ ζεῦγος· Οὐχ ὁρᾷς, εἶπεν, ὦ Τυλλία, τὸν πατέρα σου νεκρὸν κείμενον, καὶ πάροδον οὐκ οὖσαν ἄλλην, εἰ μὴ διὰ τοῦ πτώματος; ἡ δ' ἐκπικρανθεῖσα, καὶ ἀπὸ τῶν ποδῶν τὸ βάθρον ἁρπάσασα βάλλει τὸν ὀρεωκόμον, καί φησιν; Οὐκ ἄξεις, ἀλιτήριε, καὶ διὰ τοῦ νεκροῦ; κἀκεῖνος ἄγει βίᾳ τὰς ἡμιόνους κατὰ τοῦ πτώματος. Οὗτος ὁ στενωπὸς, Ὄλβιος καλούμενος πρότερον, ἐξ ἐκείνου τοῦ δεινοῦ καὶ μυσαροῦ πάθους Ἀσεβὴς ὑπὸ Ῥωμαίων καλεῖται. 609. Pleriq. *facti est*, un. mel. *factis*; Burm. mav. *facto d. Sc. ab illo*. 610. *Nota* ut V, 314. 589. 611. Meliores *hoc*, quod Hs rec., cet. *haec*. 612. Hs ex duob. opt. multisq. al. rec. *loquar*, cet. *loquor*, un. tant. *canam*. Cf. III, 370. 615. Tres *vestros*.

Veste data tegitur: vetat hanc Fortuna moveri:
Et sic e templo est ipsa locuta suo:
Ore revelato qua primum luce patebit
Servius, haec posiți prima pudoris erit.
Parcite, matronae, vestigia attingere vestes:
Sollemni satis est voce movere preces:
Sitque caput semper Romano tecta amictu,
Qui rex in nostra septimus urbe fuit.
Arserat hoc templum: signo tamen ille pepercit
Ignis; opem nato Mulciber ipse tulit.
Namque pater Tulli Vulcanus, Ocresia mater,
Praesignis facie, Corniculana fuit.
Hanc secum Vestae, sacris de more peractis,
Iussit in ornatum fundere vina focum.

617. Un. ex opt. *videri.* 618. Multi *illa*, alii *ista*, Hs rec. *ipsa.* — Un. *notata.* 620. Duo *plena pud.* 621. *Parc.* cf. IV, 102. 204. 622. E melior. Hs rec. *Sollemni*, cet. *Sollemnes.* 624. Pleriq. *septimus*, quod c. Ciof. rec. Hs, alii *sextus in*; duo mel. *Romana sextus in*, totid. *semper in. Tatii* regis mentionem facit Noster aliquoties, ut I, 262. II, 135. VI, 49. 625. Tres *ipse pep.* Valer. Max. I, 8, 11. *Serv. Tullii statua, quum aedes Fortunae deflagrasset, inviolata permansit.* Dion. Hal. Ant. IV, 40. Ἐν τῷ ναῷ τῆς Τύχης, ὃν Σέρβιος κατεσκεύασεν, εἰκὼν αὐτοῦ κειμένη ξυλίνη κατάχρυσος, ἐμπρήσεως γενομένης, τῶν ἄλλων πάντων διαφθαρέντων, μόνη διέμεινεν οὐδὲν λωβηθεῖσα ὑπὸ τοῦ πυρός. 627. Libri vett. *Cresia* vel *Cressia*, unde Hs rec. *Ocresia*, cet. *Ocrisia.* Inscriptt. quaed. *Ocresiam*; ita etiam Plutarch. de Fort. Rom. 10. Ὀκρησία. Dion. Hal. contra semper Ὀκρισία. Fabulam de Servio ex Vulcano nato refert etiam Dion. Ant. IV, 2. eamq. in multis Romanorum historiis se invenisse ait. Liv. I, 39. *Eorum magis sententiae sum, qui, Corniculo capto, Serv. Tullii, qui princeps in illa urbe fuerat, gravidam viro occiso uxorem — partum Romae edidisse Prisci Tarquinii domo.* 628. Duo opt. *Praesigni faciem*, Hs mav. *Praesignis faciem.* Dion. l. c. IV, 1. Ὀκρισία, καλλίστη τε καὶ σωφρονεστάτη τῶν ἐν Κορνικόλῳ γυναικῶν. 629. Duo ex opt. *puratis*, quod Hs rec., cet. omn. *peractis*, quod retinui, un. *lotis*: Hostia mactata in epulis sacris iterum libabatur. 630. Plin. H. N. XII, 19. *Iam tunc* (Tarquinio Pr. regnante) *cotonae decorum honos erant et Latium publicor. privatorumq.*

Hic inter cineres obsceni forma virilis
Aut fuit, aut visa est: sed fuit illa magis.
Iussa loco captiva fovet. Conceptus ab illa
Servius a coelo semina gentis habet.
Signa dedit genitor, tum quum caput igne corusco
Contigit, inque coma flammeus arsit apex.
Te quoque magnifica, Concordia, dedicat aede
Livia, quam caro praestitit illa viro.
Disce tamen, veniens aetas, ubi Livia nunc est
Porticus, immensae tecta fuisse domus.
Urbis opus domus una fuit: spatiumque tenebat,
Quo brevius muris oppida multa tenent.

---

631. Un. *obsceni f. Priapi,* alius *ornati f. v.,* alius *ornatus* — Dion. l. c. IV, 2. Ἀπὸ τῆς ἑσ]ίας — ὑπὲρ τοῦ πυρὸς ἀναισχεῖν λέγουσιν αἰδοῖον ἀνδρός. Τοῦτο θεάσασθαι τὴν Ὀκρισίαν πρώτην, φέρουσαν τοὺς εἰωθότας πελάνους ἐπὶ τὸ πῦρ — καὶ μετὰ τοῦτο τὴν γυναῖκα — κατακλεισθῆναι μόνην εἰς τὸν οἶκον, ἐν ᾧ τὸ τέρας ὤφθη· μιχθέντος δέ τινος αὐτῇ θεῶν — ἐγκύμονα γενέσθαι καὶ τεκεῖν τὸν Τύλλιον ἐν τοῖς καθήκουσι χρόνοις. 633. Duo ex opt. et quat. al. *I. loco c. fovet,* quod Burm. rec., Hs e tribus *foco c. fovet,* cet. *foco c. sedet.* 635. Liv. I, 39. *Puero dormienti Servio caput arsisse ferunt, et quum quidam familiarium aquam ad restinguendum ferret, ab regina retentum, eamque moveri vetuisse puerum, donec sua sponte experrectus esset. Mox cum somno et flammam abisse.* 636. Meliores *coma,* quod Hs rec., quinq. *comas,* cet. *comis.* — Plurimi *exit ap.,* un. pro divers. lect. *haesit. Apex* ut ap. Virg. A. II, 682. *Ecce levis summo de vertice visus Iuli Fundere lumen apex* —. 637. Cf. I, 639. Dio Cass. LV, 8. Τιβέριος τὸ Ὁμονόειον αὐτὸς ἑαυτῷ ἐπισκευάσαι προσ]αξας, τά τε νικητήρια ἤγαγε, καὶ τὸ τεμένισμα τὸ Λιούϊον ὠνομασμένον καθιέρωσε μετὰ τῆς μητρός. 638. Un. opt. *claro,* duo opt. *primo,* un. opt. *sacro.* 640. E melior. Hs rec. *fuisse,* cet. *fuere.* Dio Cass. LIV, 23. Αὔγουσ]ος τὴν οἰκίαν αὐτοῦ (Οὐηδίου Πωλίωνος) ἐς ἔδαφος καταβαλὼν περίσ]ον ᾠκοδομήσατο, καὶ οὐ τὸ ὄνομα τὸ τοῦ Πωλίωνος, ἀλλὰ τὸ τῆς Λιουΐας ἐπέγραψε. Dedicata a. U. 764. 642. Un. *brevibus* — Un. ex opt. *lata ten.* Sall. Cat. 12. *domos atque villas in urbium modum exaedificatas.*

Haec acquata solo est, nullo sub crimine regni,
Sed quia luxuria visa nocere sua.
Sustinuit tantas operum subvertere moles
Totque suas heres perdere Caesar opes.
Sic agitur censura, et sic exempla parantur;
Quum vindex, alios quod monet, ipse facit.

Nulla nota est veniente die; quam dicere possim.
Idibus Invicto sunt data templa Iovi.
Et iam Quinquatrus iubeor narrare minores.
Nunc ades o coeptis, flava Minerva, meis.
Cur vagus incedit tota tibicen in urbe?
Quid sibi personae, quid stola longa, volunt?

643. Un. ex opt. *discrimine*; Hs coni. *nullius cr. t.* Dio Cass. LIV. 23. Οὐήδιος Πωλίων ἀνὴρ ἄλλως μὲν οὐδὲν μνήμης ἄξιον παρασχόμενος, καὶ γὰρ ἐξ ἀπελευθέρων ἐγεγόνει, καὶ ἐν τοῖς ἱππεῦσιν ἐξητάζετο· ἐπὶ δὲ δὴ τῷ πλούτῳ τῇ τε ὠμότητι ὀνομαστότατος γενόμενος. Οὗτος ἄλλοις τε πολλοῖς πολλὰ, καὶ τῷ Αὐγούστῳ τοῦ τε κλήρου συχνὸν μέρος, καὶ τὸ Παυσίλυπον, τὸ χωρίον τὸ μεταξὺ τῆς τε Νέας πόλεως καὶ τῶν Ποντεόλων ὃν κατέλιπε. Plin. H. N. IX, 23. *Invenit in hoc animali* (muraena) *documenta saevitiae Vedius Pollio, eques Rom., ex amicis divi Augusti, vivariis earum immergens damnata mancipia.* Tale quid narrat Seneca de ira III, 40. 645. Un. mel. *Instituit* — Un. *submittere*, quod Burm. mav. 647. Sueton. Aug. 27. *Recepit et morum legumque regimen aeque perpetuum sine censurae honore.* 648. Quat. opt. et al. nonn. *vindex*, quod Hs rec., cet. *iudex*. — Un. *commonet*. 649. Undec. *ducere*, quod Hs rec., un. *discere*, cet. *dicere*. — Duo optim. *dicere possim*, quod recepi, cet. omn. *dicere possis*. Hs mav. *ducere possim*. 650. Burm. c. Hs et Neap. littera minore scribit *invicto*. 651. Codd. omnes vetust. *Quinquatres*, quod Hs plac. De Quinquatribus maioribus cf. III, 809. De minoribus Varro L. L. V. p. 56. *Quinquatrus minusculae dictae Iuniae Eidus ab similitudine maiorum, quod tibicines tum feriati per urbem vagantur et conveniunt ad aedem Minervae.* Censorin. 12. *Tibicinibus, per quos numina placantur, est permissum Quinquatribus minusculis id est Idibus Iuniis urbem vestitu, quo velint, personatis temulentisque pervagari.* Triplex est forma *Quinquatrus, Quinquatres, Quinquatria*. 654. Sex opt. *stola*, quod Hs rec., cet. *toga*, quod unice verum ducit Neap.

Sic ego. — Sic posita Tritonia cuspide dixit:
— Possem utinam doctae verba referre deae! —
Temporibus veterum tibicinis usus avorum
Magnus et in magno semper honore fuit,
Cantabat festis, cantabat tibia ludis,
Cantabat maestis tibia funeribus.
Dulcis erat mercede labor, emptusque secutum
Quod subito Graiae frangeret arte opus.
Adde quod Aedilis, pompam qui funeris isset,
Artifices solos iusserat esse decem.
Exilio mutant urbem, Tiburque recedunt:
— Exilium quodam tempore Tibur erat —

Valer. Max. II, 5, 4. *Tibicinum collegium solet in foro vulgi oculos in se convertere, quum — personis tecto capite variaque veste velatum concentus edit.* Plut. Qu. Rom. 55. rem narrans: Ἐτύγχανον, inquit, οἱ πολλοὶ διὰ τὴν παννυχίδα καὶ τὸν πότον ἐν ἐσθῆσιν ἀνθιναῖς καὶ γυναικείαις ὄντες. Ἐνομίσθη οὖν τὴν ἡμέραν ἐκείνην οὕτως ἀμπεχομένους σοβεῖν διὰ τῆς πόλεως. 655. Cf. III, 7.

656. Omnes fere id quod recepi, un. opt. *Pace velim*, quod Hs rec. etsi idem mav. *Posse velim* — Plurimi *pactae*, un. *placitae*, alius *gratae*. 657. Censorin. 12. *Musica nisi grata esset diis, profecto ludi scenici placandor. deor. causa instituti non essent, nec tibicen omnibus supplicationibus in sacris aedibus adhiberetur, non cum tibicine triumphus ageretur, non tibicinibus — esset permissum aut ludos publice facere ac vesci in Capitolio* etc. 662. Quat. opt. et al. nonn. *Graiae*, quod Hs rec., cet. *graiae*. — Ex duob. opt. et quat. al. Hs rec. *opus*, cet. *opes*. 663. Iac. Gothofredus ad Legg. XII. tabb. mav. *Adde quod edictis* — et in seq. vs. *ius erat*. — Duo opt. *pompam*, quod Hs rec., etsi mav. *pompae*, cet. *pompa*. In legg. XII tabb. (a. U. 305) auctore Cic. Leg. II, 23. sumptus funeralis extenuatus erat *tribus riciniis et vinclis purpurae et decem tibicinibus.* Quis fuerit hic Aedilis, incertum. Plut. Qu. Rom. 55. Ταύτας (τὰς τιμάς) ὕστερον ἀφαιρεθέντες ὑπὸ τῆς ἀνθυπατικῆς δεκαδαρχίας ἀπεχώρησαν ἐκ τῆς πόλεως. Liv. IX, 30. *Tibicines, quia prohibiti a proximis censoribus* (App. Claudio et C. Plautio a. U. 442. a. C. 312.) *erant in aede Iovis vesci, quod traditum antiquitus erat, aegre passi Tibur uno agmine abierunt: alleo ut nemo in urbe esset, qui sacrificiis praeiret.* 666. Noster Ep. Pont. I, 3, 81. *Quid referam veteris Romanae gentis, apud quos Romulidis tellus ultima Tibur erat?*

Quaeritur in scena cava tibia, quaeritur aris,
Ducit supremos nenia nulla toros.
Servierat quidam, quantolibet ordine dignus,
Tibure, sed longo tempore liber erat.
Rure dapes parat ille suo, turbamque canoram
Convocat. Ad festas convenit illa dapes.
Nox erat, et vinis oculique animique natabant,
Quum praecomposito nuntius ore venit:
Atque ita, Quid cessas convivia solvere? dixit:

---

667. Edd. quaerit *cava*, quod Demsterus praefert. In spectaculis scenicis tibia familiarissima. Hinc eius perpetua mentio in titulis comoediarum Terentii, ut Andriae: *Modos fecit Flaccus, Claudii F., tibiis paribus dextris et sinistris.* Nec minus in conviviis, ludis aliisq. sollemnibus. 668. Un. ex opt. *funereos n.* — Multi *choros*, quod Burm. improbat, Taubn. probat. Cic. Leg. II, 24. *Honoratorum virorum laudes in concione memorantor, easque etiam cantus ad tibicinem prosequitur; cui nomen neniae, quo vocabulo etiam Graecis cantus lugubres nominantur.* Festus: *Nenia est carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam.* *Torus*, ut M. VI, 289. *Stabant cum vestibus atris Ante toros fratrum demisso crine sorores.* Alias nominatur *feretrum, lectus, lectica, sandapila.* Frequens formula *ducere funus, exsequias. Supremos*, ut M. III, 137. *Diciq. beatus Ante obitum nemo supremaq. funera debet.* 669. Plurimi *Servus erat.* Quae Noster hic omisit, ea narrat Liv. IX, 30. *Eius rei religio tenuit senatum; legatosq. Tibur miserunt, ut darent operam, ut hi Romanis restituerentur. Tiburtini primum accitos eos in curiam hortati sunt, uti reverterentur Romam. Postquam perpelli nequibant, consilio — eos aggrediuntur.* Plut. Qu. Rom. 55. Ἀνὴρ ἀπελεύθερος κρύφα τοῖς ἄρχουσιν ἐπηγγείλατο κατάξειν αὐτούς. Nihil de hoc Livius. 671. Eadem fere Plut. l. c. καὶ παρασκευάσας θοίνην ἄφθονον, ὡς τεθυκὼς θεοῖς, ἐκάλεσε τοὺς αὐλητάς· καὶ γύναια παρῆν ἅμα τῷ πότῳ, καὶ παννυχὶς συνεκροτεῖτο παιζόντων καὶ χορευόντων. Liv. l. c. *Die festo alii alios — invitant, et vino, cuius avidum ferme genus est, onerato sopiunt, atq. ita in plaustra somno vinctos coniiciunt ac Romam deportant.* 672. Un. ex opt. *convocat illa d.*, unde Hs may. *convolat*, egregie, ait Burm. 675. Quinq. opt. et sex al. *convivia*, quod Hs rec., cet. *convivas.* Plut. l. c. pergit: Εἶτα ἐξαίφνης ὁ ἄνθρωπος ἐμβαλὼν λόγον, ὡς τοῦ πάτρωνος ἐπιόντος αὐτῷ, καὶ τα-

Auctor vindictae iam venit, ecce, tuae!
Nec mora; convivae valido titubantia vino
Membra movent: dubii stantque labantque pedes.
At dominus, Discedite, ait; plaustroque morantes
Sustulit. In plaustro sirpea lata fuit.
Alliciunt somnos tempus, motusque, merumque,
Potaque se Tibur turba redire putat.
Iamque per Esquilias Romanam intraverat urbem;
Et mane in medio plaustra fuere foro.
Plautius, ut posset specie numeroque Senatum
Fallere, personis imperat ora tegi.

ρατλόμενος συνέπεισε τοὺς ἀθλητὰς ἀναβάντας ἐφ' ἁμάξας δέρρεσι κύκλῳ περικαλυπτομένας εἰς τὸ Τίβουρι κομίζεσθαι· τοῦτο δὲ ἦν ἀπάτη.

676. Duo *Victor v.* — Nonn. mel. *nam* — Meliores *esse, tuae,* quod Hs rec., cet. *ille suae.* Boeth. in Cic. Topica: *Vindicta est virgula quaedam, quam lictor manumittendi servi capiti imponens eundem servum in libertatem vindicabat, dicens quaedam verba sollemnia; atq. ideo illa virgula vindicta vocabatur.* 680. Plurimi *scirpea* vel *sirpea* *lata,* multi *sc. nata,* duo mel. *sc. matta,* quod Muret. et Scal. malunt, un. *sc. natta,* alius *sc. larva.* Hs mav. *scortea lata f.* vel *scirpea strata f.* Varro L. L. IV. p. 39. *Sirpea* (Al. *Scirpea*) *quae virgis* (Scheffer mav. *scirpis*) *scirpatur* (sirpatur) *id est colligando implicatur, in qua stercus aliudve quid evehitur.* Plin. H. N. XVI, 37. *Scirpi fragiles palustresque ad tegulum tegetesque.* Tales sirpeae latae sive planae tegetes in his plaustris erant impositae. 681. Un. mel. *Allicuit.* 682. Duo opt. *Laetaque,* plurimi *Totaque.* — Un. *putant.* 684. Liv. l. c. *Nec prius sensere, quam plaustris in foro relictis plenos crapulae eos lux oppressit.* 685. Omnes fere *Callidus,* un. opt. *Calidus,* duo opt. pro div. lect. *Claudius,* quid. *Cautius.* Pighius Annal. ad a. U. C. 442. coniec. *Plautius,* quod Hs rec. — Tres *possit,* cet. omnes *posset,* quod servavi; Hs c. Pighio rec. *possent;* Burm. mav. *possint.* — Duo opt. et quat. al. *Senatus.* Pighius mav. *sanatum* (Gen. plur. a *sanates*) feliciter, ut ait Hs; quinq. opt. *paratus,* un. *deorum;* mendosum esse *Senatum* censent omnes. Liv. IX, 29. *C. Plautius Censor — magistratu se abdicaverat; Appius solus censuram obtinuit.* Ergo quum ille assentiente senatu, collega solo renitente, haec fecisset, lusum astutum ludere voluit. 686. Un. mel. *tegant.*

Admiscetque alios, et, ut hunc tibicina coetum
  Augeat, in longis vestibus ire iubet.
Sic reduces bene posse tegi, ne forte notentur
  Contra collegae iussa redisse sui.
Res placuit; cultuque novo licet Idibus uti,
  Et canere ad veteres verba iocosa modos.
Haec ubi perdocuit, Superest mihi discere, dixi,
  Cur sit Quinquatrus illa vocata dies.
Martius, inquit, agit tali mea nomine festa,
  Estque sub inventis haec quoque turba meis.
Prima terebrato per rara foramina buxo,
  Ut daret, effeci, tibia longa sonos.

687. *Tibicina*, non una, sed plures, more Ovidiano. 688. Duo *ire*, quod Hs rec., cet. omn. *esse*. *Long. vest.* cf. 654. 689. Un. *reducem*. — Un. *putentur*, 690. E melior. Hs rec. *redisse*, cet. *redire*, un. omn. opt. *venire*. Censor enim alter alterius decreta rescindere potuit. Hinc Liv. XLII, 10. *Concors et e republica censura Q. Fulvii Flacci et A. Postumii Albini fuit — neque ab altero notatum alter probavit.* 691. Ex uno mel. Hs rec. *libet*, duo *iuvat*, quod itidem ei placet, alius *placet*, cet. omn. *licet*, quod servavi. Plut. Qu. Rom. 55. Ὡς ἐπεισῆλθον ὑπὸ τῶν ἀρχόντων καὶ διηλλάγησαν, ἐνομίσθη, τὴν ἡμέραν ἐκείνην οὕτως ἀμπεχομένους σοβεῖν διὰ τῆς πόλεως. Liv. IX, 30. *Tunc concursus populi factus, impetratoque, ut manerent, datum, ut triduum quotannis ornati cum cantu atq. hac, quae nunc sollemnis est, licentia per urbem vagarentur, restitutumq. in aede vescendi ius iis, qui sacris praecinerent.* 693. Un. ex opt. *ubi monstravit* — Un. opt. et sex al. *dicere*, duo *quaerere*. 695. Cf. III, 809. E melior. Hs rec. *agit*, quid. *ait* cet. *habet*, un. ex opt. *habes* — Alius mel. *sua nomina festo*. 696. Gierig. aut pro *turba* aut pro *inventis* aliud vocabulum optat. Equidem pro *turba* malo legere *tibia*, διαυλλαβῶς, ut Trochaeum efficiat, ut ap. Nostr. *connubio* (M. VI, 428.), *arietis* (M. VII, 151), *arcuato* (M. XI, 590), *Antium* (M. XV, 718); apud alios alia multa similia; nisi quis turbam tibicinum aut dierum festorum praeferre malit. *Est sub* dictum videtur pro *subest*. 697. Un. mel. *pauca f.* Horat. A. P. 202. *Tibia non ut nunc orichalco vincta tubaeque Aemula, sed tenuis, simplexque, foramine parvo. Buxus* Pollux IV, 9, 6. Ἡ ὕλη τῶν αὐλῶν, κάλαμος, ἢ χαλκοῦς, ἢ λωτὸς, ἢ πύξος, ἢ κέρας, ἢ ὀστοῦν ἐλάφου, ἢ δάφνης τῆς χαμαιζήλου κλάδος. Alias alia materia memoratur.

Vox placuit: liquidis faciem referentibus undis
Vidi virgineas intumuisse genas.
Ars mihi non tanti est; valeas, mea tibia! dixi.
Excipit abiectam cespite ripa suo.
Inventam Satyrus primum miratur, et usum
Nescit; at inflatam sentit habere sonum;
Et modo dimittit digitis, modo concipit auras.
Iamque inter Nymphas arte superbus erat:
Provocat et Phoebum. Phoebo superante repertus:
Caesa recesserunt a cute membra sua.
Sum tamen inventrix auctorque ego carminis huius.
Hoc est, cur nostros ars colat ista dies.

---

699. Phaedr. I, 4, 3. *lympharum speculum.* Virg. E. II, 25. *nuper me in litore vidi, Quum placidum ventis staret mare.* 700. Multi *Vidi et v.*, e melior. Hs *et* delevit. Propert. II, 30, 16. *tibia docta Quae non iure vado Maeandri iacta natasti, Turpia quum faceret Palladia ora tumor.* 701. Duo opt. et al. duo *valeas, ars optima, dixi;* an. mel. *cava tibia dixi.* Hs mav. *Ars, mihi non tanti es.* Mendose ed. Burm. *dixit,* Hs et cet. omn. *dixi. Valeas* cf. VI, 183. Melanippid. ap. Athen. XIV. p. 616. Τὰ μὲν Ἀθαναία ὄργανα ἔῤῥιψέ τε ἱερᾶς ἀπὸ χειρὸς, εἶπέ τε, Ἔῤῥετε αἰσχεα σώματι λύμα· ἐμὲ δ' ἐγὼ οὐ κακόνητι διδωμι. 702. Duo *eiectam.* 703. Un. opt. *at,* quod Hs rec., ego cet. lect. restitui; contra in seq. vs. scripsi *at* pro *et* omnium codd. Hygin. Fab. 165. *Tibias Mareyas invenit Oeagri filius, unus ex Satyris.* Herodot. VII, 26. eum appellat τὸν τοῦ Σιληνοῦ. 704. Quat. opt. et sex al. *inflatam,* quod Hs rec., nonn. *efflatam* aut *efflatum,* pleriq. *afflatum.* Virg. E. V, 2. *calamos inflare leves.* Id. G. II, 193. *Inflavit quum pinguis ebur Tyrrhenus.* Alibi *inspirare.* Pollux IV, 9, 8. Ἐπ' αὐλῶν ἐμφυσᾶν καὶ ἐμπνεῖν φαίης ἄν, ἢ καταπνεῖν καὶ καταπίμπειν τὸ πνεῦμα εἰς τὸν αὐλόν. 705. Optim. fere quisq. et sex al. *digitis,* quod Hs rec., cet. *digitos* — Burm. mav. *continet* aut *comprimit auras.* Paulin. Nol. IX *arguta foramina flatu Mobilibusque regit digitis, claudítque aperítque.* Heins. Opusc. p. 237. praefert *digitos.* Aperiendo foramine aura *dimittitur, concipitur* claudendo. 707. Noster M. VI, 383. *Satyri reminiscitur alter, Quem Tritonia Latous arundine victum Affecit poena — Clamanti cutis est summos detecta per artus.* 710. E melior. Hs rec. *colat,* cet. *colet.* — Un. ex. opt. *dies.*

Tertia lux veniet, qua tu, Dodoni Thyene,
Stabis Agenorei fronte videnda bovis.
Haec est illa dies, qua tu purgamina Vestae,
Tibri, per Etruscas in mare mittis aquas.

Si qua fides ventis, Zephyro date carbasa, nautae:
Cras veniet vestris ille secundus aquis.

At pater Heliadum radios ubi tinxerit undis,
Et cinget geminos stella serena polos;
Tollet humo validos proles Hyriea lacertos,
Continua Delphin nocte videndus erit.

---

711. Un. ex opt. et plur. al. *lux*, quod c. Bersm. Hs rec., cet. *nox*. — Un. opt. *venit*, cet. *veniet*, quod retinui. Hs scr. et rec. *veniat*. — Melior. *Dodoni*, quod Hs rec. cet. *Dodona* — Alii *Dione*. Hygin. Astr. II, 21. *Hyadas Pherecydes Liberi nutrices esse demonstrat numero septem, quas etiam ante Dodonidas appellatas. Harum nomina sunt: Ambrosia, Eudora, Pedile, Coronie, Polisso, Phyleto, Thyene.* Cf. de Hyadibus V, 165 sq. De Tauri astro cf. V, 603 sq. et III, 658. IV, 717. Eratosth. Catast. 14. Τοῦ ταύρου τὸ μέτωπον σὺν τῷ προσώπῳ αἱ Ὑάδες καλούμεναι περιέχουσι. 712. Melior. *Agenorei*, quod Hs rec., cet. *Agenoreae* — Un. *tegenda*, alius opt. *tegente*. 713. Cf. ad 227. 714. *Etrusc. aq.* cf. I, 233. 500. IV, 47. Ap. Virg. itidem Tiberis appellatur *Lydius* (A. II, 782), *Tyrrhenus* (A. VII, 242), *Tuscus* (G. I. 499). 717. Un. mel. *texeris*, alius *duxerit*, tredec. *traxerit*. *Heliades*, ut etiam M. II, 340. a Germanico Arat. 363. *Phaethontides* et a Virg. E. VI, 62. *Phaethontiades* nominantur. De Phaethonte Nost. M. I, 751. *Sole satus Phaethon.* 718. Post hunc vs. in plerisq. codd. legitur distichon: *Nam duo sunt* etc. quod ex III, 401. repetitum est. Hos vss. ab uno cod. erasos esse ait Neap. Hs tacet de codd. — *Stella* cf. 687. *Cingere* cf. V, 414. De Zodiaci sideribus Manil. I, 257. *Quae medium obliquo praecingunt ordine mundum.* 719. Duo opt. *Hyrisea*, un. opt. *Hyrtea*, alius opt. *Hyrsea*, cet. *Hyrea* aut *Hirea*. Hs rec. *Hyriea*. Cf. V, 493 sq. De Orione Germ. Arat. 327. *non ulla magis vicina notabit Stella virum; sparsae quam toto corpore flammae. Tale caput magnisque humeris sic balteus exit, Sic vagina ensis, pernici sic pede fulget.* 720. *Continuus* ut V, 734. — Germ. Arat. 319. *Delphin inde brevis lucet iuxta Capricornum Paucis sideribus. Tulit hic Atlantida Nymphen In thalamos, Neptune, tuos miseratus amantem.* Aliter Noster II, 80 sq. Cf. I, 457. VI. 471.

Scilicet hic olim Volscos Aequosque fugatos
Viderat in campis, Algida terra, tuis.
Unde suburbano clarus, Tuberte, triumpho
Vectus es in niveis, Postume, victor equis.

Iam sex et totidem luces de mense supersunt:
Huic unum numero tu tamen adde diem;
Sol abit e Geminis, et Cancri signa rubescunt:
Coepit Aventina Pallas in arce coli.

Iam tua, Laomedon, oritur nurus, ortaque noctem
Pellit, et e pratis uda pruina fugit;
Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur,
Tum, quum Romanis, Pyrrhe, timendus eras.

---

721. Duo omn. opt. *Vulscos* — Un. opt. *fugaces*. — Hoc factum a. U. 323. a. C. 431. dictatore A. Postumio Tuberto. Liv. IV, 26. *Utrimque exercitus profecti in Algidum convenere.* Ibid. 29. *Dictator triumphans invectus est urbem.* 722. Hs mav. *e vampis* — Un. opt. *suis.* Schol. Horat. Saec. 71. *Algidus mons ab assiduo frigore appellatus est non longe ab urbe Roma.* Strabo V, 3. Μεταξὺ Τούσκλου πόλεως καὶ τοῦ Ἀλβανοῦ ὄρους κάτεσθ' ὑπὸ Ἀλγιδὸν πολίχνιον. 723. E duob. opt. Hs c. Neap. rec. *Tuberte*, un. *Tuburte*, cet. *Tiburte* aut *Tyburte*. 724. Pleriq. *postmodo vict.* 725. Hs mav. *supersint*. 727. Un. opt. *abiit Gem.*, alius opt. et quinq. al. *a Gem.* Colum. R. R. XI, 2, 49. XIII. (Al. VIII) Cal. Iul. *Sol introitum in Cancro facit.* 728. Un. opt. *in urbe.* P. Victor Reg. XII. *Aedes Minervae in Aventino.* 729. *Nurus Laom.* quae sit et cur ita dicatur cf. I, 461. III, 403. IV, 943. 730. Duo opt. et sex al. *uda*, quod Hs rec., un. opt. c. mult. al. *ima* vel *una*, duo *orta*, totidem *vana*, cet. *cana*, quam lect. ipse Hs non damnat, et Gierig. iterum recepit. 731. Mart. Capella II. p. 40. ed. Grot. *Pluto, qui etiam Summanus dicitur, quasi summus Manium.* Varro L. L. IV. p. 22. *Tatius rex vovit aedes — Vulcano Summanoque.* In Inscriptt. aliquoties *Pluto Summanus.* Cic. Divin. I, 10. *Quum Summanus in fastigio Iovis optimi maximi — e coelo ictus esset* — Plin. H. N. II, 52. *Romani fulmina diurna attribuunt Iovi, nocturna Summano.* — Quae aedes hic intelligenda sit, incertum. P. Victor in Reg. XI Circi Maximi, *Aedes Ditis Patris* — cui congruit Fragm. Calendarii antiqui, in quo huic dici adscriptum: *Summan. ad Circ. Max.* uti pridie: *Minervae in Aventino.* 732. Un. ex opt. et alius *cavendus.* Pyrrhus in Italia advenit a. U. 473. a. C. 281.

Hanc quoque quum patriis Galatea receperit undis,
  Plenaque securae terra quietis erit;
Surgit humo iuvenis, telis affatus avitis;
  Et gemino nexas porrigit angue manus.
Notus amor Phaedrae, nota est iniuria Thesei:
  Devovit natum credulus ille suum.
Non impune pius iuvenis Troezena petebat:
  Dividit obstantes pectore taurus aquas.
Solliciti terrentur equi, frustraque retenti
  Per scopulos dominum duraque saxa trahunt.
Excíderat curru, lorisque morantibus artus
  Hippolytus lacero corpore raptus erat:

---

733. Duo opt. et quat. al. *Hanc*, quod Hs rec., cet. *Hunc*. Hesiod. Th. 240. Νηρῆος δ'ἐγένοντο μεγήρατα τέκνα θεάων Πόντῳ ἐν ἀτρυγέτῳ, καὶ Δωρίδος ἠϋκόμοιο — Δωρὶς καὶ Πανόπη καὶ εὐειδὴς Γαλάτεια. 735. Duo opt. et sex al. *flammis affl.*, quinq. *stellis*. — Duo opt. *acutis*. Virg. A. VII, 773. Iuppiter *Fulmine Phoebigenam Stygias detrusit in undas*. Ib. A. II, 648. *ex quo me divom pater — Fulminis afflavit ventis*. Cyclopes, qui fulmina fabricantur, adduat secund. Virg. A. VIII, 429. *Tres imbris torti radios, tres nubis aquosae — rutili tres ignis, et alitis austri*. Colum. R. R. XI, 2, 49. *XI Cal. Iul. Anguifer, qui a Graecis dicitur* Ὀφιοῦχος, *mane occidit*. Eratosth. Catast. 6. Ὁ Ὀφιοῦχος λέγεται εἶναι Ἀσκληπιὸς, ὃν Ζεὺς χαριζόμενος Ἀπόλλωνι εἰς τὰ ἄστρα ἀνήγαγε, τοῦτον τέχνῃ ἰατρικῇ χρώμενον, ὡς καὶ τοὺς ἤδη τεθνηκότας ἐγείρειν at. xel. Apollod. III, 10. 3. Τῷ Ἀπόλλωνι ἡ Ἀρσινόη Ἀσκληπιὸν γεννᾷ. Τινὲς δὲ Ἀσκληπιὸν εἶναι ἐκ Κορωνίδος. 737. Nost. M. XV, 498. *Credulitate patris, sceleratae fraude novercae Occubuit morti*. 739. In multis hoc distichon deesse videtur, quat. opt. agnoscunt, Hs Nasonis esse negat, Heinz. Opusc. p. 237. defendit, ego uncinos Heinsii delevi. Hygin. Fab. 47. *Quum Hippolytus equis iunctis veheretur, repente e mari taurus apparuit, cuius mugitu equi expavefacti Hippolytum distraxerunt vitaq. priparunt*. Uberius haec Nost. M. l. c. 741. Un. opt. *turbantur*. Cf. III, 265. 743. Un. opt. et duo al. *loris remor*. Nost. M. XV, 524. *lorisq. tenentibus artus Membra rapi partim, partim reprensa relinqui*.

Reddiderat*que* animam, multum indignante Diana:
Nulla, Coronides, causa doloris, ait.
Namque pio iuveni vitam sine vulnere reddam,
Et cedent arti tristia fata meae.
Gramina continuo loculis depromit eburnis
Profuerant Glauci Manibus illa prius:
Tunc, quum observatas augur descendit in herbas,
Usus et auxilio est anguis ab angue dato:
Pectora ter tetigit, ter verba silentia dixit:
Depositum terra sustulit ille caput.
Lucus eum, nemorisque sui Dictynna recessu
Celat: Aricino Virbius ille lacu.

---

745. Ex uno mel. Burm. rec. *Ediderat q.*, quia sequatur *reddam*, cet. omn. *Redd.*, quod restitui, duo *Peridder.* Nusquam *animam edere*, sed *dare*, *reddere*, alia. Cf. V, 469. Virg. A. XI, 101. *animam ipse dedissem.* G. III, 495. *Et dulces animas plena ad praesepia reddunt.* Ita saepius. 747. Quat. *Iamque* — Un. opt. et alius *sine crimine.* 748. Un. opt. et tres al. *cedant.* 749. Un. opt. *loculo* — *eburno* — Un. *depromsit*, alius *demisit.* 750. Un. *piscibus illa.* Hygin. Astr. II, 14. *Aesc. quum Glaucum, Minoos filium, cogeretur sanare, bacillum tenens manu, quum, quid ageret, cogitaret, dicitur anguis arrepsisse. Quem Aesc. mente commotus interfecit. Postea fertur alter anguis eodem venisse ore ferens herbam et in caput eius imposuisse; quo facto loco fugisse. Quare Aesc. usum eadem herba, et Glaucum revixisse. Itaq; anguis et th Aesc. tutela, et in astris sicilur collocatus.* Eadem fere narrat Apollod. III, 3. de augure Polyido, a quo, ut filio vitam restitueret, Minos postulaverat. 751. In uno opt. deest *quum* — Un. *observatas.* Urr. mav. *Tum conservatas.* — Alii *anguis desc.* — Un. opt. et duo al. *ad umbras.* Hs mav. *anguis desc.* in vers. seq. *augur* vel *Glaucus ab angue.* Idem tamen hoc distichon Nasonis esse negans unctis inclusit, quocum consentit Schrader. Emend. p. 191. Defendit Heins. Opusc. p. 288. Ego uncos delevi. 753. Un. opt. *precantia.* — *Ter* cf. V, 455. *Verba.* Iam ap. Homer. Od. XIX, 456. Θρεπλὴν δ' Ὀδυσῆος ἀμύμονος, ἀντιθέοιο Δῆσαν ἐπιδραμέως· ἐπαοιδῇ δ' αἷμα κέλαινον Ἔσχεθον. Cf. II, 415. III, 323. IV, 551. VI, 141. 755. Un. opt. *ni*, quod Hs rec., cet. *sui*, quod ego retinui — Un. al. opt. *recessus*, quod idem Hs rec., cet. *recessu*, quod item servavi. Cf. III, 263. Virg.

At Clymenus Clothoque dolent, haec, fila reneri,
Hic, fieri regni iura minora sui.
Iuppiter exemplum veritus direxit in illum
Fulmina, qui nimiae moverat artis opem.
Phoebe, querebaris. Deus est; placare parenti;
Propter te, fieri quod vetat, ipse facit.

Non ego te, quamvis properabis vincere, Caesar,
Si vetet auspicium, signa movere velim.

A. VII, 774. *At Trivia Hippolytum secretis alma recondit Sedibus et Nymphae Egeriae nemoriq. relegat; Solus ubi in silvis Italis ignobilis aevum Exigeret, versoque ubi nomine Virbius esset.* Noster M. XV, 544. *Quique fuisti Hippolytus, dixit* (Diana), *nunc idem Virbius esto.*

757. Omn. fere *Lachesis Cloth.*, duo opt. *Limenus*, alius *Limens*, al. *Limeneus*, al. opt. *Climenes*, in quat. opt. et al. nonn. erasa vetus lect. Hinc Hs coni. et rec. *Clymenus*; Mitsch. rec. *Pluto*. — Sex opt. *haec f.*, quod Hs rec., cet. *sua*. — Omnes *teneri*, Salmas. ad Herodis Attici Inscr. leg. *reneri*, quod Hs rec. Diod. Sic. IV, 71. Διὸ καὶ τὸν μὲν Ἀΐδην μυθολογοῦσιν ἐγκαλοῦντα τῷ Ἀσκληπιῷ κατηγορίαν αὐτοῦ ποιήσασθαι πρὸς τὸν Δία, ὡς τῆς ἐπαρχίας αὐτοῦ ταπεινουμένης. Pausan. II, 35, de templo Clymeni in urbe Hermione narrans haec addit: τοῦ θεοῦ δέ ἐστιν ἐπίκλησις, ὅν τινα ἔχει λόγος βασιλέα ὑπὸ γῆν εἶναι. Lasi cuiusd. Hymn. in Cerer. ap. Atheu. X. p. 455. ita incepit: Δήμητρα μέλπω, Κόραν τε, Κλυμένοιο ἄλοχον. Anthol. Gr. T. II. p. 236. ed. Iac. Ἤδη γὰρ λειμῶνας ἐπὶ Κλυμένου πεπότησαι. Καὶ δροσερὰ χρυσέας ἄνθεα Περσεφόνας. *Renere*. Auct. Consol. ad Liv. 443. *Sed rigidum ius est et non evitabile mortis; Stant rata non ulla fila renenda manu.* 758. Melior. omn. *Hic*, quod Hs rec., cet. *Haec*. 759. Tres opt. *exemplo*, un. opt. *extemplo*. 760. Un. ex opt. *mirae* — Tres opt. et tres al. *moverat*, quod Hs rec., tres *voverat*, cet. *nov.* Hs coni. *foverat art. ope*. — Un. ex opt. *opus*, quod Burm. plac. Cf. I, 268. 762. Un. opt. *flecti*, multi *fleri*. — Alii opt. *quod facit, ipse vetat*; duo *facis*. 764. E melior. Hs rec. *vetet*, cet. *vetat*, un. opt. *movet*. Cic. Divin. I, 16. *Nihil fere quondam maioris rei, nisi auspicato, gerebant.* Ib. 43. *Nostri nihil in bello sine extis agunt, nihil sine auspiciis domi habent.*

Sint tibi Flaminius Thrasimenaque litora testes,
Per volucres aequos multa monere deos.
Tempora si veteris quaeris temeraria damni,
Quartus ab extremo mense bis ille dies.

Postera lux melior. Superat Masinissa Syphacem;
Et cecidit telis Hasdrubal ipse suis.

Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis,
Et fugiunt, freno non remorante, dies.
Quam cito venerunt Fortunae Fortis honores!
Post septem luces Iunius actus erit.
Ite, deam laeti Fortem celebrate, Quirites:
In Tiberis ripa munera regis habet.

---

765. Melior. *Sint*, quod Hs rec., cet. *Sunt*. Res facta a. U. 537. a. C. 217. Epitom. Livii XXII (3) *C. Flaminius Consul, homo temerarius, contra auspicia profectus, signis militaribus effossis, quae tolli non poterant, ad Trasimenum lacum cum exercitu caesus est.* Cf. Cic. Div. I, 35. 766. Multi *movere*. Cf. I, 180. 446. *Aequus*, ut VI, 548. 768. Sex *Quintus* — Edd. quaed. *esse dies*. 769. Omn. fere *Masin.*, al. *Masan.* Syphax capitur a. U. 551. a. C. 203. Cf. Liv. XXX, 3—13. De morte Hasdrubalis, qui cum Syphace coniunctas copias habebat, nihil ap. Livium. Hinc incertum, eundem intelligat, praesertim quum Syphaci supervixisse videatur, an illum, qui auct. Liv. XXVII, 49. ad Metaurum cum C. Claudio Nerone pugnans cecidit. Hoc factum a. U. 547. a. C. 207. 771. Nost. A. A. III, 59. *Venturae memores iam nunc estote senectae — sunt anni more fluentis aquae, Nec, quae praeterit, iterum revocabitur unda, Nec quae praeterit hora, redire potest. Utendum est aetate; cito pede labitur aetas.* 772. Tres *revocante*, duo *retinente*. 773. *Honores* cf. IV, 409. Virg. A. I, 632. Dido *simul divom templis indicit honorem*. Ib. V, 94. *Hoc magis inceptos genitori instaurat honores*. 774. Duo opt. *Per*. 775. Varro L. L. V. p. 56. *Dies Fortis Fortunae appellatus ab Servio Tullio rege, quod is fanum Fortis Fortunae secundum Tiberim extra urbem Romam dedicavit Iunio mense*. Prope erat alia eiusd. deae aedes. Liv. X, 46. *Carvilius Consul de reliquo aere aedem Fortis Fortunae de manubiis faciendam locavit prope aedem eius deae ab rege Serv. Tullio dedicatam.* Alia

Pars pede, pars etiam celeri decurrite cymba;
Nec pudeat potos inde redire domum.
Ferte coronatae iuvenum convivia lintres,
Multaque per medias vina bibantur aquas.
Plebs colit hanc, quia, qui posuit, de plebe fuisse
Fertur, et ex humili sceptra tulisse loco.
Convenit et servis, serva quia Tullius ortus
Constituit dubiae templa propinqua deae.

Ecce suburbana rediens male sobrius aede
Ad stellas aliquis talia verba iacit:
Zona latet tua nunc, et cras fortasse latebit,
Dehinc erit, Orion, adspicienda mihi.
At si non esset potus, dixisset eadem
Venturum tempus solstitiale die.

Lucifero subeunte Lares delubra tulerunt,
Hic, ubi fit docta multa corona manu.

---

haec erat dea *Fors Fortuna* (cf. 784), aliae illae, de quibus ad 569, IV, 145. 375. V, 729.

777. Tres *discurrite*. Cic. Fin. V, 24. *Scipionem Africanum posteriorem Tiberina decursio summo gaudio affecit*. 779. Un. opt. *coronati*. 783. Cf. ad 627. Ap. Livium I, 47. Servium appellat Tarquinius *Servum servaque natum*. 784. *Dubia dea* Cic. Leg. II, 11, 28. *Fors Fortuna, in quo incerti casus significantur magis*. Donat. Terent. Phorm. V, 6, 1. *Aliud Fortuna est, aliud Fors Fortuna; nam Fors Fortuna est, cuius diem festum colunt, qui sine arte aliqua vivunt; huius aedes trans Tiberim est*. Accurate de ea egit Iac. Perizonius in Triade Diss. p. 233 — 244. 785. Un. ex opt. et tres al. *residens*, alius opt. *veniens*. 787. Aetius: Μηνὶ τῷ αὐτῷ κέ (XXV) Ὠρίων ἑῶος ἄρχεται ἀνατέλλειν. Hygin. Astr. III, 33. *Orionem a zona et reliquo corpore aequinoctialis circulus dividit. Hic habet in zona tres stellas* — 789. Duo opt. et quat. al. *stultus*, un. ex opt. *pulsus*. 790. Colum. R. R. XI, 2, 49. *VIII et VII et VI Cal. Iul. Solstitium, Favonius et calor*. 791. P. Victor Reg. VIII. Forum Romanum. *Templum Larum*. — In eius vicinia taberna coronariae cuiusdam doctae fuisse videtur.

Tempus idem Stator aedis habet, quam Romulus olim
Ante Palatini condidit ora iugi.

Tot restant de mense dies, quot nomina Parcis,
Quum data sunt trabeae templa, Quirine, tuae.

Tempus lucis erat natale Kalendis:
Pierides, coeptis addite summa meis.
Dicite, Pierides, quis vos adiunxerit isti,
Cui dedit invitas victa noverca manus.

---

793. Plurimi *Statoris erit, quod R.*, quat. *Stator aedis habet*, un. opt. *Statoris habet*; duo opt. et un. opt. in *ora Stator aedis habet, quam R.*, quod cum Gronov. Observ. IV, 15. p. 608. Hs rec. — Aedes Iovis Statoris a Romulo vota et exstructa. Liv. I, 12. *Quum Romana acies fusa esset ad veterem portam Palatii, Romulus arma ad coelum tollens, Iuppiter, inquit, — hinc saltem arce hostes; domi terrorem Romanis fugamq. foedam siste. Hic ego tibi templum Statori Iovi — voveo.* 796. Un. opt. et tres al. *Condita sunt — Quot turbas r.* — Quod templum Quirini sive Divi Romuli intelligat, incertum. Cf. II, 475 sq. 511. Alia aedes illa a. U. 461. a. C. 293. ap. Liv. X, 46. *L. Papirius aedem Quirini ab dictatore patre votam filius consul dedicavit exornavitque hostium spoliis.* — *Trabea* cf. I, 37. II, 503. VI, 375. 797. Ios. Scaliger leg. *Camenis.* 798. *Summus*, ut *summa dies* IV, 387. 483. 799. Multi *addixerit*, plerique etiam melior. *addixerit*, un. opt. et sex al. *adiunxerit*, quod Hs rec. — Nonn. *illic*, alii multi *illuc*. Quaestio est in Plut. Qu. Rom. 59. Διὰ τί τοὺς ὑπὲρ Ῥωμύλου Ἡρακλέους καὶ Μουσῶν; Romae aedes Herculis Musarum facta a. C. 575. a. C. 179. Eumen. Orat. de restaur. schol. 7. *Aedem Herculis Musarum in circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia conlata fecit* — *quod in Graecia acceperat, Herculem Musageten esse id est comitem ducemq. Musarum; ideoq. primus novem signa Camenarum ex Ambraciensi oppido translata sub tutela fortissimi numinis conservavit.* Hanc aedem a Marcio Philippo restitutam testatur Suetos. Aug. 29. *Multa a multis exstructa sunt, sicut a Marcio Philippo aedes Herculis Musarum.* Hoc factum a. U. 767. Liv. XL, 52. Fulvium porticum tantum ad fanum Herculis exstruxisse narrat. Cf. Plin. H. N. XXXV, 10, 36, qui nihil nisi Musas eum ex Ambracia Romam transtulisse tradit. 800. Cf. 524. *Dare m.* ut III, 688.

Sic ego. Sic Clio, Clari monumenta Philippi
Adspicis, unde trahit Marcia casta genus;
Marcia, sacrifico deductum nomen ab Anco,
In qua par facies nobilitate sua.
Par animo quoque forma suo respondet in illa:
Et genus, et facies ingeniumque simul.
Nec, quod laudamus formam, tam turpe putaris;
Laudamus magnas hac quoque parte deas.
Nupta fuit quondam matertera Caesaris illi.
O decus, o sacra femina digna domo!
Sic cecinit Clio: doctae assensere sorores.
Annuit Alcides, increpuitque lyram.

---

810. Huic Marcio Philippo matertera Augusti nupserat.

802. Plurimi *Martia;* e trib. opt. Hs rec. *Marcia.* Haec Fabii Maximi coniux, filia aut neptis Marcii Philippi fuit. 803. Liv. I, 32. *Numae Pompilii regis nepos, filia ortus, Ancus Marcius erat, qui longe antiquissimum ratus sacra publica, ut ab Numa instituta erant, facere.* 804. Plurimi *nobil. fuit*, alii *sua est*, meliores multi *sua*, quod Hs rec., etsi Ablat. insolenter usurpatum censet. At cf. IV, 306. 805. E melior. Hs rec. *respondet*, cet. *respondit.* Burm. in Francof. cod. adscriptum esse dicit: *Haec adulterina sunt.* Nihil tale ex hoc cod. annotavit Matthiae. Contra vere Ian. Brouckhusius et Schrader. Emend. p. 214. hoc distichon Nasonis esse negant. 810. Un. ex opt. *sacro — thoro.* 812. Duo opt. et tres al. *lyram*, quod Hs rec. cet. *lyra.* Ap. Nostr. Her. III, 118. Briseis Achilli tutius esse scribit *Threiciam digitis increpuisse lyram.* Aliter Horat. Od. IV, 15, 1. *Phoebus volentem proelia me loqui Victas et urbes increpuit lyra, Ne parva Tyrrhenum per aequor Vela darem.* Alcides lyra canendo finit Nasonis opus, tamquam Μουσαγέτης. — In omn. opt. Urs. cod. et quat. al. opt. subiuncti sunt hi quatuor versus:

Si novus a Iani sacris numerabitur annus,
Quintilis falso nomine dictus erit.
Si facis, ut fuerant, primas a Marte Kalendas,
Tempora constabunt ordine ducta suo.

Hi versus in uno Vatic. cod. libri septimi initium sunt. I. Fr. Gronovio auctore *Celtes Protacius* suae edit. adscripserat, reliquos sex

Fastorum libros servari ap. Presbyterum in pago prope Ulmam, septimumq. librum in illo codice ita incipere:

Tu quoque mutati causas et nomina mensis
A te, qui sequitur, maxime Caesar, habes.

Celten deceptum fuisse ab aliis censet Hs, quum a nemine veterum quidquam e libris sex posterioribus adducatur, ita ut certum sit, alterum huius poematis partem iam ante saecula complura intercidisse.

CORRECTIONES MENDORUM.

Pag. 5. Vs. 59. post *est* pone Semicolon.
„ 12. lin. 7. infer. dele Comma post *nostri*.
„ 18. „ 4. inf. lege *ego recepi — idem recepit*.
„ 26. Vs. 469. post *Luna* dele Comma.
„ 36. lin. 2. inf. *et* scribe aliis litteris.
„ 51. Obs. l. 1. post *erunt* Comma.
„ 53. „ l. 1. *ait* scribe aliis litteris.
„ 62. Vs. 523. pone in fine Colon.
„ 84. Obs. l. 6. *genitor*.
„ — „ l. 11. *Mercurius*.
„ 104. lin. 1. inf. *Gratatae*.
„ 110. Obs. l. 5. inf. post *mecum* dele Punctum.
„ 117. „ l. 6. *appellavit*.
„ — „ l. 7. ante *Nostrum* adde *Cf.*
Pag. 120. Obs. l. 4. *notata* scribe aliis litteris.
„ 127. Vs. 767. post *cincta est* pone signum interrogationis.
„ 133. „ 843. *quia*.
„ — „ 847. *vocabula*.
„ 140. Obs. l. 7. *Acrotam*.
„ 154. „ l. 12. Camoenae.
„ 164. „ l. 12. Contundere.
„ 174. „ l. extr. *multae*.
„ 214. Vs. 179. maestae.
„ 224. Obs. l. 4. summaque.
„ 234 post Vs. 497. pone Comma.
„ 243. „ „ 624. Punctum.
„ 245. „ „ 658. Punctum.
„ 254. „ „ 30. Punctum.
„ 294. Vs. 584. occuluere.

Lo 10.222
P. Ovidii Nasonis Fastorum libri se
Widener Library 006238190
3 2044 085 212 959